NOVISSIMUS COLLEGII COMPLUTENSIS ARTIUM CURSUS,

TOMUS PRIMUS.

NOVISSIMVS COLLEGII COMPLVTENSIS FR. DISCALCEATORVM B. M. V. DE MONTE CARMELI, ARTIVM CVRSVS;

Ad breuiorem formam collectus, & nouo ordine, atque faciliori stylo dispositus.

Per R. P. F. IOANN. AB ANNVNTIATIONE *in Salmanticensi eiusdem Ordinis Collegio sacræ Theologiæ Lectorem.*



TOMVS PRIMVS.

Complectens Aristot. { DIALECTICAM, & PHYSICAM.

Iuxta miram Angelici Doctoris D. THOMÆ Aquinatis Doctrinam.

CVM PRIVILEGIO.



PATAVII. MDCLXXV.

Typis Petri Mariæ Frambotti Bibliopolæ.

SVPERIORVM PERMISSV.




Illustriss. Præstantissimoq; Viro

CAROLO RENALDINIO

SERENISS. MAGNI DVCIS ETRVRIÆ COSMI III.

PHILOSOPHO AC MATHEMATICO.

Et in Patauino Lyceo Philosopho primæ Sedis, Domino suo Colendissimo.



Vmma mea in te veneratio, ac penè dixerim pietas, qua te suspicio & colo, Vir nobilissime, atque omni virtutum genere ornatissime, non nunc primum orta est, ex eo nimirum tempore, quo per liberalitatem tuam facta est mihi doctissimorum operum tuorum imprimendi copia, & quæ tua est humanitas, familiariter tecum interdum colloquendi; sed multo altius à primis ferè cunabulis ipsa suum sibi repetit initium: tempore videlicet ab illo, quo ipse parentis olim charissimi sermonibus (qui quidem inclytarum virtutum tuarum cultor studiosissimus fuit) de tua omnigena præstantique doctrina puer acciperem. Procedente dein tempore singularis illa mea de te opinio ac veneratio simul cum annis est aucta, tum ex clarissima nominis tui fama doctorum sermonibus celebrata, tum etiam ex eruditorum frequentia doctissima opera tua iampridem impressa summopere per bibliopolia perquirentium, & à nobis flagitantium. Secuta est postmodum non incelebris fama de nobili præcipuoque honore Sereniss. ab Etruriæ Magno Duce Ferdinando II. tibi munificentissime habito, cùm te nobilissima Pisani Lycei cathedra decorasset.

Nec verò Serenis. liberalitas & honoris hic collatio constitit; sed vt palam omnibus apertè testaretur quanti summam tuam & doctrinam & ingenium faceret, à te tanquam à viuo museo primogenitum suum voluit instrui, optimisque in disciplinis erudiri; supra liberalitatem interim liberalitate munifice aucta. Multa mihi prætereunda sunt hic ex ijs, quæ per illa tempora, cùm & nobilis philosophiæ professor, & Serenis. Principis præceptor esses, acciderunt, quæ & eximiæ doctrinæ præstantiam, & summum ingenij acumen, & alacrem animi solertiam, & miram indagandi subtilitatem, & summam operandi peritiam perspicuè manifestarunt, & diuinum ingenium tuum ad sydera extulerunt. Sed nec postrema tuarum est etiam laudum, quòd omnium tu primus Ser. apud Card. Leopoldum Mediceum supplicibus egeris precibus, ut commodum tibi concederet, ut nouam philosophandi per rerum experimenta rationem institueres: quibus ille precibus annuens præclaris ac miris illis, quæ iam typis impressa prostant, experimentis initium dari iussit, impigrè te interim peritas admouente manus, & sedulo negotium administrante, quibus felicibus postea primordijs nobilis illa, celebrisque doctissimorum academia virorum exorta est. Sed cùm hic angustus sit campus, & laudum seges amplissima, non iniuria Sulmonensis hic vatis illud vsurpare possum: Inopem me copia fecit: quapropter ad celebrem illam Ser. Reip. Venetæ euocationem appropero.

Septem, vel octo ab hinc annis Sereniß. Resp. percelebri singularis ac incomparabilis doctrinæ tuæ fama excita, luculentissimo proposito honorario, tam dissitis ex locis ad Patauinum hunc Archilyceum condecorandum te summe virorum accersere non dubitauit. Quo quidem in munere quanta cum laude, quantaque cum auditorum frequentia Peripateticam eloquentissime doctrinam primaria in philosophiæ cathedra, vbi tot antea clarissimi enituerunt viri, per hæc tempora sis professus, quid opus est referre? cùm ipsi doctissimi sapientissimique Lycei Moderatores vnanimi omnium consensu, & quidem aucto non leuiter honorario, publico Ser. Sen. diplomate sexennium in alteram prouinciam quam honorificentissime tibi prorogarint & confirmarint: qui quidem honor paucis admodum a Ser. Sen. exhibetur, & ijs tantùm,

Quos ardens euexit ad æthera virtus.

Nec mihi sine piaculo silentio prætereundum est, quanti præclaram olim doctrinam, ingenium & integritatem tuam Summ. Pont. Innocentius X. æstimauerit; tum scilicet, cùm inter tot eximios Italiæ mathematicos te vnum potissimùm suum in arbitrum, ut mathematicum cæteris posthabitis, elegerit ad decidendas ac dirimendas controuersias illas, quæ tunc inter Apostolicam Sedem, & Serenis. Mutinæ Ducem fortè vigebant.

Quapropter iure profectò merito veneror & admiror te Vir amplis. quod mirificas animi virtutes maxima cum generis nobilitate coniunxeris, & per impreßa maiorum vestigia gloriæ ad apicem, & immortalitatis adoream feliciter perueneris. Maiorum inquam tuorum, quos mihi si per temporis angustias recensere liceret, complures & armis & litteris apprime claros referre posem, vtpote Barthelomæum Renaldinum anno 1192. qui fuit Senarum Consul. Vgucio 1300. Gualerius anno 1273. Ventottus anno 1307. vt in Malauoltæ Senensis historiographi monumentis videre licet.

Ianus Nicius Erittreus in Pinacotheca.

Sed non possum quin hic honorificè commemorem Claris. Virum Ioannem Renaldinum patruum tuum, & in sago, & in toga celeberrimum, qui propter summum ingenij acumen, & singularem armorum peritiam apud Henricum IV. Gall. Regem & gratia maxima, & intima familiaritate plurimum floruit. Charissimus itidem & acceptissimus Philippo Tertio Hisp. Regi & alijs etiam Principibus non solum Italis, sed etiam

exteris

exteris fuit, quos hic recensere longum & molestum esset.

Nec verò prætermittendus est Metellus Renaldinus, qui Summum apud Pontif. Clementem VIII. maximo in honore, dignitateque fuit; quem postea Pontifex idem grauissimis in rebus fidissimum iuxtà, prudentissimumque semper expertus, in Vngarici expeditione belli Principi Francisco Aldobrandino nepoti, vt à consilijs esset, adiunxit.

Hæc itaque omnia, compluraque alia breuitatis gratia tacenda; præterea non exigua tua erga me merita tandem igniculos mihi subiecerunt publico qualicunque memoris animi argumento non solum apud te, sed etiam apud omnes testificandi quantopere sim tibi addictus, & quam multis nominibus deuinctus. Igitur cogitanti mihi, sæpiusque mecum hæc animo reputanti, ecce commodùm oblata est occasio præclarum hoc vniuersæ Philosophiæ Collegij Complutensis opus prælis imprimendi meis; & quidem plurimum locupletatum & auctum; quippe cùm tractatus duo, de Cælo & de Meteoris, quibus libri ante hac editi carent, in hac editione sint additi.

Hoc igitur opportunum omnino visum est philosophorum tibi omnium præstantissimo, doctrinarumque omnium genere quàm excultissimo & versatissimo dicare, quò saltem testimonium aliquod grati erga te animi, cultusque in te mei apud eruditos omnes extaret; atque etiam vt quodammodo tibi stimulos adderem, quò reliquas mathematicas lucubrationes, & præcipuè præclarum illud philosophiæ opus, quod præ manibus, & mox lucem inspecturum habes, quantocius maturando publici iuris faceres; quod quidem pro certo habemus inter cætera philosophiæ monumenta, tanquam solem inter minora sydera planè radiaturum. Nam fama est eruditorum vocibus decantata te relicta supina quorundam etiam nunc aduersa Minerua philosophantium via, peraudacì quidem, sed prospero feliciqne nixu progressum, quò nulla veterum vestigia cernebantur impressa. Nam viri mihi docti referunt te miris inauditisque ante hac experimentorum machinamentis tanquam germana genuinaque naturæ claue feliciter vsum, penitissima eiusdem Naturæ adyta reserasse, veritatemque iamdiu latitantem, ac tergiuersantem, tanquam ex altissimo Democriti puteo tandem erutam, eruditorum oculis videndam & contemplandam exposuisse. Præterea referunt etiam eruditi viri te in philosophiæ subsidium ipsas interdum & mathematicas disciplinas adsciuisse; nec non vbi res id exegerit, geometricas etiam demonstrationes adhibuisse. Quæ quidem potissima causa est, vt ipsi dicunt, cur ijdem non adeò magna teneantur admiratione te Mathematicum ad stuporem vsque peritissimum, tam longè lateque philosophiæ pomeria promouisse, ac ampliasse. Hanc eandem etiam esse causam affirmant cur ipsi non admodum admirentur in seculis anteactis tam multos philosophica tractantes, innumeros penè Gordios in philosophia nodos insolutos, deploratosque reliquisse: Alexandrino quippe gladio, geometrica nempe doctrina destituti, fieri non potuisse dicunt, quin turpiter interdum in veterum philosophorum scriptis enucleandis & cæcutiuerint, & toto cælo sæpius errauerint. Quapropter ferunt, vt etiam vel pueris est notum, diuinum olim Platonem inscriptis pro schola foribus verbis, ipsius ignaros geometriæ procul ab auditorio suo turpiter arcuisse. Sed hæc obiter; iam ad rem. Tuis etiam scriptis, Vir summe, hoc commodi & commendationis accedet, quòd non Gothico, velut olim, squalidoque deformata stylo cernemus, sed erudita culti sermonis facundia pertractata, & ad Romanum nitorem & magnificentiam conformata & expressa per te Virum eximium, Latinis, Græcisque in litteris apprimè versatum.

Iam verò nunc oro atque obsecro te, Vir humanissime ac præstantissime, ut hoc, quod tibi submissè leuidensæ munusculum offero recipere ne graueris; & ea, qua cæteris præstas humanitate, studij cultusque in te mei exiguam hanc expressionem hilari serenoque vultu suscipias, ac boni consulas; & simul patiaris me semper tibi addictissimum in numero studiosissimorum clientium esse tuorum benignè concedas. Vale sæculi nostri splendor & decus.

Patauij die XX. Decembris MDCLXXV.

Tuarum inclytarum virtutum

Addictiss. & deuinctiss. cultor
Petrus Maria Frambottus.

DIVO
THOMÆ AQVINATI
DOCTORI ANGELICO,

Catholicorum Clypeo, Theologorum Principi, Philoſophorum Lumini, ingeniorum Delicio, ac Veritatis veriſſimo Præceptori.

F. IOANN. AB ANNVNTIATIONE *Carmelita excalceatus, & diſcipulorum minimus.*

O. D. C.



D intaminatam tuæ pietatis aram, THOMAS ANGELICE, munuſculum deſpicatiſſimum litaturus, ſupplex, ac deuotus accedo. En tibi Complutenſem Philoſophiæ veterem Curſum noua, pulchrioriquè facie renidentem libo; vt illum tua fronte, hoc eſt benigna ſuſcipias, expectans. At cur me libare, atque donare geſtio, quando debitum dependo vectigal; cùm rem exibeo non meam, ſed pluribus titulis tuam? Ecquid munus nuncupo exſolutionem? Planè qui materiæ dominus fuerit, eundem eius quoque, quod ex eadem materia factum ſit, dominum eſſe, *iura firmant*, quoties ſpecies ad materiam reuerti poteſt. *Vndè vas argenteum, vel torquis aurea non aurificis dominio cedit; ſed cuius aurum, vel argentum fuerat, illius prouentibus comparatur: quia materiam iſte ſuggeſſit, quam alterius accidentaria, extimaquè forma poliuit. Iam ergo tua cenſenda eſt opella, quam ipſe concinnaui. Quid in ea contuli ego? Materiam? Minimè gentium. Hanc à tuis, & noſtris Diſcalceatis Complutenſibus, luminis Thomiſtici fidiſſimis Aſſeclis, mutuatus ſum; quam dein elimaui, cælauiquè, hoc eſt, ad pulchriorem ordinem digeſſi, & fuſiùs dicta in breuem contuli ſummam; vt totum opus venuſtiori ſpecie reluceat. Is non inſetus eſt in ſcientiarum officina nouis artificibus ſudor, vt vetus, ac bonus aſſeuerat Auctor:* Recentiores quid aliud nunc faciunt, quam Veterum ſententias contexere: quia clariùs fortaſſe, & expolitius locuti ſunt? Non aliud egiſſe videntur, quàm ſi quis rudem, ſeu informem, aut ſcabram metalli maſſam nouiter è minera productam in formam ſplendentem, & gratiorem diuerſo limaturæ genere artificialiter educat. *Quamobrem furti, atque expilationis arguerer, ſi opus iſtud, vel adſciſcerem mihi, vel largiter alteri; & tibi, DOCTOR SANCTE, illud non ſacrarem, vel (quod veriùs, eſt) reſtituerem. Tuus iampridem erat Complutenſis Curſus; & quia illius auctores tibi ipſum inſcripſerant, & quoniam ex pretioſis, ac puriſſimis aureæ tuæ doctrinæ ramentis totum opus compactum fuerat, recenti ſolùm forma diſtinctum. Quod adeò Thomiſticè fabrefactus domeſticorum tuorum probauit criſis, vt conſignauerit vnus:* Piiſſima Carmelitarum Excalceatorum Religio ardentiùs Thomiſtica, quam ipſi Thomiſtæ. *Et alibi:* Quid interrogas de Thereſiana, & Seraphica Excalceatorum doctiſſima familia tota Thomiſtica, nec in hoc zelo ipſis Dominicanis ceſſura? *Forma verò, in aqua elaboranda totus verſatus ſum, minimè diſturbauit ſubſtantiam operis; ſed aſſeruit indemnem: neque à tuo iure fecit extorrem; quin noua lege obærauit. Thomiſtica ſemper eſt, ſemper tua: quam proinde tibi non reddere piaculum foret debito ſupplicio luendum. Si quid autem proprius labor contulit hic, id quidem præſtitit, vt poſſet vetus obſequium repetita deuotione ſacrari. Nam cùm hinc aliquid tibi offerendi animus conciperet votum; inde verò affectui neutiquam ſuppeteret vſus: quippè tuum erat, quidquid antea cuderant Complutenſes: flagrans amore ingenium transfigurauit opus, quò poſſet, & penetralia tuæ pietatis ſecundò adire, & munus aliquantulum nouum offerre, & tuam erga nos beneuolentiam omnibus deſideratiſſimam pluriſariam promereri, imò æternare. Lycurgus ſciſcitanti, cur inſtituiſſet, vt minimis, ac vilibus ſacrificaretur?* Ne vnquam, *reſpondit*, deficiat nos, quo numen honoremus. *Feruens planè cupiditate ſolertia! Qua dùm cultum illiberaliter prolatare ſtuduit, numini eripuit, quidquid retardauit auarè: nec principio exhibere voluit, quod valuit. Auſpicatior Carmelitis arriſit induſtria, qui nos de pauperauimus à principio, dùm ſemel, quod poſſidebamus obtulimus: & tamen vetus munuſculum inſtaurantes, inuenimus iterum, quod libemus. Redintegraui antiquum opus, vt poſſem crebro vetus obſequium repedare; valuiquè, etſi nouis, atque diſtinctis coloribus, eundem tamen ſoluere cenſum.* Ad hoc quippè mercedes iugiter ſoluimus, vt ſine ceſſatione ſoluamus. *Semper è tuo fonte deſcendit*

Leg. Ado §. Cum quis, ff de acquirendo rer. dominio. § Cum ex aliena materia. Inſtit. de rerum diuiſione.

Gerſon apud Aponte tom 2. in ſap hom. 13. num. 64.

Caſalas in candore lilij §. 4. & §. 160.

Auctor Apophtheg. lib. 1. num. 77.


Saluian. lib. 6.

hæc vena: sed per nostros decurrens tubulos alia, & alia scaturie forma: vt queat sæpenumerò in summi repatriare principium. Hæc nostri laboris ratio, hæc in instaurando obsequium industria. Instar fluminum ducimur, quæ in mare, è quo fluunt, identidem influunt, & ipsissima lympharum eidem persoluunt, ac repetunt stipendia. Monuit Bernardus: Si copiæ aquarum secretis, subterraneisque decursibus incessanter æquora repetunt, vt inde rursus ad visus, vsusque nostros iugi, & infatigabili erumpant obsequio: cur non etiam spirituales riui, vt arua mentium rigare non desinant, proprio fonti, sine fraude, & sine intermissione reddantur? Ad locum vndè exeunt, reuertantur flumina gratiarum, vt iterum fluant. Remittatur ad suum principium cœleste profluuium, quo vlterius terræ refundatur. Sic ad te, ô MAGISTER ANGELICE THOMA, cuius interpretamur Abyssum, nunc regredimur, reddimur, ac remittimur, qui ex te priùs riuuli decurrimus. Noua nec cudimus, nec conferimus; quippè multifidæ, ac perfrictæ nouitatis osor cùm sis, veritatem diligis, quæ in ancipites non dispertitur calles; sed eadem, atque indiuidua perennat. Vetustam, ac proinde veram interamus doctrinam, vt grato, ac obsequente circuitu, quod te magistro, discimus, recordemur: & reponamus fonti, quod hausimus. Circuitus quidam est, cum ea, quæ iam fide, vel intelligentia tenemus, ordine retractamus. Bonus certe circuitus, non modò cùm noua semper, & occultiora comprehenduntur: sed cùm iam apprehensa nouo, & recenti semper affectu reuoluuntur: cùm non modo, quod restat, penetratur: sed quod iam penetratum est, frequenter iteratur. Tibi verò iucundum fore circulum laboris nostri confidimus; cùm videas nos perenni isto circuitu nil aliud optare, quàm tuæ doctrinæ gloriam, & nostri persistentiam famulitij. Vnde quòd noua non demus, paupertatis est: sed quòd renouemus antiqua, amorem diuulgat: & quidem affectibus admodum locupletem. Sit ipsa perseuerantia nostri discipulatus stigma, nostræ fidelitatis tessera: sit etiam perpetuum erga nos tui amoris illicium. Credo, quod recenti semper affectu excipias, ac magni facias antiquum donum, in quo cernis obseruantiam nostram inconcussè stabiliri, ac firmari: semper enim recens lucraris, quos retines perpetuò. Iam certè Dominus ad suam scholam homines traxerat: & tamen velut nouam reputat Patris gloriam, quod persistent. In hoc, inquit, clarificatus est Pater meus, vt efficiamini mei discipuli. Vbi Caietanus perbellè: Bene nota, quod de existentibus iam discipulis suis dicit: Et efficiamini mei discipuli, vt intelligamus perseuerantiam manendi in Iesu, consistere in continuò effici eius discipulum. Sic & Carmelitæ excalceati assiduè tui discipuli efficimur, dùm doctrinam tuam, qua semel imbuti sumus, illibatam retinemus. Hoc vnum hercle in qualiquali labore hocce tota mentis contentione curaui, & quantum ingenij mei fert debilis acies, studui: vt quod ex te didicerant Complutenses, non dediscerem ego, præcauens semper, ne operi irreperet aliquid, in quo à doctrina antiqua transuersum, vt aiunt, discederem vnguem. Quod si finem optatum nactus fuerim: non mihi, qui ignorantiæ densis tenebris cæspito, gloria attribuenda est: sed tibi qui iubare inditæ claritatis caecutientes oculos respersisti: Tuas siquidem apud Deum intercessiones gloriosas, ex quo mihi iste labor à Superioribus fuit iniunctus, promereri studui, & procurare non destiti: quamuis vile sim mancipium, qui nec pulcherrimam tuarum virtutum imaginem moribus exprimere satago, nec tibi obsequenter famulor, vt debebam. Sed qualiscumque sim ipse, tuus semper ero: illudque pro summa gloria exoptabo, vt me, DOCTOR SANCTISSIME, perpetiaris esse discipulum tuum; & tribuas (quod præcipuè mihi exoptandum est) vt præclara vitæ tuæ inconniuenti palpebra intuear documenta, & virtutum, quibus Ecclesiam Dei illustrasti, vestigijs semper insistam. FAVE, ET FOVE.

Serm. 13. in Cantica.

Gillebert. serm. 4. in Cant.

Ioan. cap. 15.



FA-

VI

FACVLTAS ORDINIS.

FRATER Stephanus à S. Ioseph Generalis Fratrum Discalceatorum B. Mariæ Virginis de Monte Carmeli. De consensu nostri Deffinitorij Generalis, vt liber, cuius titulus est. *Nouissimus Collegij Complutensis Fratrum Discalceatorum B. M. V. de Monte Carmeli Artium Cursus, ad breuiorem formam collectus à P. Fratre Ioanne ab Annuntiatione in nostro Salmanticensi Collegio sacra Theologiæ Lectore*, suis elucubrationibus accurate compositus, & à grauibus, doctisque Viris nostri Ordinis, quibus ipsum videndum, & examinandum commisimus, recognitus, & approbatus, typis mandetur, & in lucem prodeat, quantum in nobis est, tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus. Datum in hoc Matritensi conuentu, die sexta mensis Februarij Anni Domini 1669.

F. STEPHANVS A S. IOSEPH, Generalis.

F. ANTON. A MATRE DEI, Secretarius.

Approbatio Reuerendissimi, & sapientissimi P. M. F. FRANCISCI RELVZ, *Ordinis Prædicatorum, in Salmanticensi Academia primariæ Theologiæ Cathedræ dignissimi Moderatoris.*

COmpendiosum volumen Cursus artium Collegij Complutensis Fratrum Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli ad breuiorem formam collecti, & nouo ordine, atque faciliori stylo dispositi per sapientissimum, & Reuerendum admodum P. F. Ioannem ab Annuntiatione in Salmanticensi eiusdem Ordinis Collegio sacræ Theologiæ Lectorem, de mandato Illustrissimi, ac Reuerendissimi D. D. Gabrielis de Esparza Episcopi Salmanticensis, & Catholicæ Maiestatis à consilijs, recognoui, & magna animi alacritate, & iucunditate, perlegi, admirans vnius, licèt perillustris viri, ingenium fœlici limasse calamo, quod plurium sapientissimorum virorum diligentia, & studio propter communem vtilitatem antea elaboratum vidi, & in quorum doctrinæ candore stupui. Beatus Apostolus dilecto Timotheo doctrinæ Catholicæ depositum tradidit; & ipse fideliter custodiuit. Hic verò perdoctus Magister traditum à Venerabilibus Patribus totius scientiæ Philosophiæ depositum custodiuit, reformauit, splendida luce decorauit; & veteri stylo olim producta, nunc ardentiori, grata, beneuola dicendi forma, scientiæ studiosis propinauit. Fas enim erat (vt cum Lirinensi loquar *Opusc. aduersus hæreses*) *vt prisca illa cælestis Philosophia* (vt pote Angelici Doctoris) *dogmata processus temporis excurentur, limentur, poliantur: sed nefas est, vt commutentur, nefas, vt detruncentur, vt mutilentur. Accipiant licèt euidentiam, lucem, distinctionem: sed retineant, necesse est, plenitudinem, integritatem, proprietatem*. Et supra idem Auctor: *Addatur, licèt, forma, species, distinctio primæ Philosophiæ institutioni; eadem tamen cuiusque generis natura permaneat.* Vt hoc sit certissimum veritatis argumentum: nam, vt profundè, & solidè Tertullianus *lib. de præscriptionibus, cap. 28.* docet, *Quod apud multos vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum*. Igitur prædictum artium volumen abbreuiatum, quatuor tomis digestum, tanquam nulla labis imagine, aut vmbra respersum, a veteri exemplari sincerè, & fideliter depromptū, Orthodoxis moribus consonum, catholicæ Fidei conforme, ac proinde typis mandandum censeo. Salmanticæ in Conuentu S. Stephani, die 22. mensis Martij, anni 1669.

F. FRANCISCVS RELVZ.

AVCTORI GRATVLATVR EX MVNERE celeberrimum Collegium Salmanticense Benedictinum Diuo Vincentio Martyri sacrum.

DVM gratis animis hunc Sapientiss. PP. Complutensium Discalceatorum B. M. Virg. de Monte Carmelo Artium cursum ad breuiorem formam collectum, & nouo ordine, atque faciliori stylo dispositum per R. P. M. F. Ioannem ab Annuntiatione in Salmanticensi eiusdem Ordinis Collegio Sacræ Theologiæ Lectorem volueremus, & perlegeremus; imò styli perspicuitate, & compendiosa breuitate iucundaremur, quippè etsi breuius, amœnius viridarium; etsi angustius, augustius: quo incontemplando animus noster mirificè captus, pastus, & recreatus est. Dum ergo quatuor hæc volumina breuitate, & subtilitate plena legeremus, in Auctoris gratiam adfuit, afflauit D. Gregorius Nazianzen *epist. 3. Laconicè loqui non est, vt putas, paucas syllabas scribere, sed de pluribus rebus paucas. Atque hac ratione ego, & maximè breuiloquum Homerum esse pronuntio, & prolixum Antimachum*. Huius itaquè lectissimi cursus mira breuitatis, & claritatis concinnitas; sed mirabiliùs profunditatis, & perspicuitatis cum breuitate fœdus. Semper equidem toruis oculis sese claritas, & breuitas intuentur; huius sanè familiare cum obscuritate commercium, Quinimò, vt Orosius *præfat. lib. 3.* aduersus Paganos ait: *Semper obscura breuitas est, & si cognoscendi imaginem præfert, aufert tamen intelligendi vigorem*. Attu S.

P. M.

P. M. actè obscuritati bellum, vel suis domesticis suffragijs, vel sua amicissima breuitate instructus fœliciter indixisti: validissimoquè è propugnaculo pulsa victoriæ confessionem punita peruicacia ab eadem extorques, & in propriam breuitatis arcem fœlicioribus auspicijs claritatem albis equis insigni laurea redimitam deducis.

Nec abs singulari Cælitum ope partam victoriam crediderimus, cùm humanis viribus prorsus Impar. Te Ausonius alloquitur: *Suetonij tres libros de Regibus in epitomen redegisti tanta elegantia, solus vt mihi videaris assecutus, quod contra rerum naturam est, breuitas, vt obscura non esset.* Et si id contra aliquorum insitum genium; tibi ingenita vis, tibi innata indoles, tibi præclara dignitas, & animi propensio, vt breuis claritas, perspicua veritas, pro animo sit. Applauduntur, & optimè, qui terrarum diffusum orbem, cœlorum prolatam molem vnius tabulæ, aut globuli ambitu circumscribunt, quia & si aliquantum magnitudini; nihil tamen derogant veritati. Iure ergo tibi gratulandum, qui tuorum parentum cœlestem cursum, vbi per natura lium corporum vastissimum pelagus, longè, lateque protenduntur, breuioribus quatuor aureis annulis, quatuor lacteis margaritis cinxeris, etsi aliquanto detrimento magnitudinis; nullo tamen dispendio veritatis.

Mirabilis esto Myrmecides quadrigam eburneam muscæ alis, nauim apiculæ pennis intexens. Esto ille, qui Phaëtontis casum in gemma annuli scitissimis lineolis exarauit: & ille, qui in achate nouem Musas cum Apolline impressit. Quorum cuilibet, & si non primi, gloriam tamen singularis, vel hoc vno opere detraxeris. Vale breuitati, præterquàm in vita. Ex hoc D. Vincentij Collegio die 17. Aprilis, anno Domini 1669.

M. Fr. Antonius del Castilo, Abbas Collegij S. Vincentij, Philosophiæ moderator.
M. F. Maurus Somosa, Sacrorum Bibliorum perpetuus professor.
M. Fr. Placidus de Puga, in Collegio D. Vincentij studiorum Regens, in Academia Cathedra S. Thomæ moderator.
M. F. Gregorius de Quintanilla, Primarius Sacræ paginæ. & linguæ professor.
M. F. Ioseph Gomez generalis Magister, & sacræ Theolog. Lector emeritus, & Salmant. Theolog. laureatus.
M. Fr. Philippus Vahamonde, Magister generalis, & vniuersitatis Salmanticæ Theologiæ laureatus, & in Collegio Benedictino Salmanticensi Theologiæ Lector.
M. Fr. Ioseph Sanz de Aguirre, Theologiæ Lector, & Ordinis generalis Magister.
M. Fr. Iosephus de Sojo, Theologiæ Lector.

CENSVRA ILLVSTRISS. HIERONYMIANI Deiparæ de Guadalupe Salmanticensis Collegij.

ANTIQVVM Collegij Complutensis Patrum Discalceatorum B. Mariæ de monte Carmeli artium cursum, nunc nouum, non sententiarum nouitate, sed nitidioris formæ, pulchriorisquè styli nouitate decoratum, nouoquè donatum splendore per sapientissimum P. M. F. Ioannem ab Annuntiatione, eiusdem inclytæ Religionis in Salmanticensi Collegio Sacræ Theologiæ Lectorem, qui illum ad breuiorem formam collegit, & nouo ordine, faciliorique stylo disposuit; summa cum voluptate lustrauimus. Et equidem mirati sumus in opere, tam egregiè concinnato omnia mirabiliter noua sine nouitate doctrinæ: dilectissimus enim Auctor, vt verus Thomisticæ veritatis amasius, firmiter in omnibus veræ Thomisticæ à PP. Complutensibus traditæ adhærescit doctrinæ. Et vnam expertus esse veritatis viam fœlici à Complutensibus dexteritate lustratam, eorum premens secura vestigia, salebrosos nouitatum calles abhorret. Nec ob hoc compilatoris nota inurendus, vel paruifaciendus Auctor; imò summa eruditi concinnatoris celebritate commendandus, qui veterum Philosophiæ dogmata vera, veluti noua, sibiquè propria, nouo splendore perfusa conficiat. Gloriabatur quondam Bernardus, non solum se Patrum afferre sententias: verum, & eorum verba nouitatis proferre contemptu: siquidem rebus etiam optimis, sæpè sæpiùs solet ex nouitate adhærere fastidium. *Non quærimus pugnas verborum* (aiebat Bernardus) *nouitates quoque iuxta Apostolicam doctrinam 2. ad Timoth. 2. euitamus, Patrum tantùm apponimus sententias, ac verba proferimus, & non nostra: neque enim sapientiores sumus, quàm Patres nostri.*

Epist. 77. O quantum Auctori nostro dulcia illa verba blandiuntur! Glorietur se prophanæ fastidiosum nouitatis, per sacram vetustatis viam, tot comitatum luminibus incedere. *Adulетur sibi* (vt ait Caussinus) *quisque recentiorum hominum, quantum volet, & nouos ingenij sui fœtus, vt partum simiæ solent, demiretur.* Sapientissimus verò noster Autor magnas sibi concitat laudes, quod tot veteres, tam comptè eius ore loquantur. *Quod cùm veterum sententias, & monumenta refert* (verba sunt Caussini) *non tam homines loqui videntur, sed quædam ex tripode Oracula.* Quod denique antiquorum dogmata vera, tanto illustrante Doctore, quasi nouam vitam, nouumquè receperint spiritum. Nouo siquidem spiritu, nouaquè vita viget Complutensium cursus, ex quo in illius decorem, tam eximiam sapientissimus Magister suæ lucis suauitatem diffudit. Ex quo splendorem adiecit splendori, roboreque rationum robora firmauit. Ex quo denique reddidit perspicuitate illustrius, quod forsitan ordine non adeò compto dispositum aliquibus videbatur obscurum. Iure optimo dicere possumus Auctori, quod Magnus Basilius non absimili

(Caussin. In eleg. sacra. lib. 11. ibid. in.)

Epist. 39. occasione dicebat: *Accepimus librum, cuius maxima nos subijt voluptas, propterea quòd densus est simul, & re-*

& refertus sententijs, ac contrariorum obiectiones, & responsiones illi subiectas, non confusè, sed recto ordine digestas habet. En quod in Complutensium Philosophiæ cursu desiderabant quamplurimi; non enim omnibus illa vetusta methodus in proponendis sententijs, & aduersariorum dissoluendis nodis videbatur probata. Sed nouum istud ab eruditissimo magistro mutuatus lumen, quanti habebitur hic cursus? Iamiam nunc habet Auctoris ope, quod ipsi solùm supererat ad augendum fastigium, ampliùs haud facilè extollit. Nullam iam inuenire valebit rigorosa crisis in opere tanto confusionis, aut obscuritatis notam, sed omnia ordine recto digesta, fideliterquè coaptata laudabit. Siquid quondam in illo iusto prolixius Criticorum turba cernebat, opus iam breuitatis lumine splendens, gratuletur in posterum claritate nitere. Non equidem illa breuitate fulget, quæ lucis inimica censetur, iuxta illud Horatij: *Breuis esse laboro, Obscurus fio.* sed breuitate micat, qua obscuritatis tenebras, luce dominante fugauit. Censores igitur crisium addicti plaudant Auctori, & opus eximium concinnanti concinnant illud:

Sustulit interpres noctem, veterique nigrore
Detrito, fecit luce nitere noua.

Si cursum istum Complutensiũ, non tanto perpolitũ ornatu, tanti fecere Thomistæ, vt eius doctrinam, vt potè D. Thom. viua voce in tot celeberrimis academijs, lyceisquè nobilissimis discipulis darent, & præcipuè in delicijs haberetur à nobis; quantum nunc, tot illustratus luminibus eriget celebritatis fastigium. Non solùm gratulabitur Thomistica schola, sic in opere isto sui Angelici Præceptoris Philosophiam, perspicuitate, robore, methodiquè facilitate vernare politam; verum, & sic coaptatum opus habebit pro fortissima veræ Philosophiæ turri, ex qua mille Philosophicæ veritatis clypeos aduersantium tela infringentes, veneretur pendere. Ex illa quippe omnis armatura fortium, omnis Thomistarum protectio; Omnibus siquidem in Thomistica militantibus schola, admodum disertus Auctor, sic arma adaptauit, vt quæ forsan vetustatis indecorarat rubigo, noua venustatis decoraret forma, vt sic à vetustatis purgata rubigine, omnium vsui expedita fulgerent, Vt quisquis eis munitus pseudo-philosophorum valeat infringere tela. Opus igitur tanto lucis splendore difficultatum obscuritates, tenebrasquè fugans, quia omnibus certè profuturum, prælo iure mandari debere sentimus. In hoc nostro Deiparæ de Guadalupe Hieronymiano Salmanticensi Collegio, die 10. Maij, anno Domini 1669. Georgius Cracouias.

Fr. Bartholomæus de Carmona, Primarius Theologiæ Lector.
Fr. Ioseph Arias Vespertinus Lector.
Fr. Ignatius de Vrbina Theologiæ Lector, & Scholasticorum Magister.
Fr. Carolus Lopez, Philosophiæ Lector.



FRA.

FRATER IOANNES AB ANNVNTIATIONE,

Fratribus suis Carmelitis excalceatis Philosophiæ studiosis,

Salutem in Domino deprecatur; & Operis rationem exponit.



VIA in vestri præcipuè gratiam (Patres Religiosi) istud opus elaboratum est; operæ pretium me facturum duxi; si illius rationem principiò vobis exponerem, ordinemquè ante alia proferrem in medium. Quod vt euidentiùs præstem, altiori radicem trahere, atque edisserere arbitror necessarium. Illud perpetuò exoptauit Religio nostra, vt cum virtutis ardore, literarum exercitia iuuenes nostri coniungerent: quo ignorantiam errorum altricem, ac probitatis nouercam longè proscriberent, animosquè suos optimè imbuerent doctrina ad Sacramentorum administrationem desiderata. Quod vt pro votis adipisceretur, non leuem diligentiam adhibuit, cùm in eligendo Doctorem, cui omnes Lectores indiuulsè adhærerent; tum in præscribendo methodum, quâ citiùs, expeditiùsque instituerentur scholastici. Vtrumque enim, & meritò, censuit perutilè, vt necessaria artes imbiberent.

Deligendus quidem fuit Auctor, qui scientiarum duceret chorum, & qui inter alios haberetur, vt princeps: nè dùm plurium placita mens insequitur, nullius doctrinam integrè consequatur: Discere enim absque ductore, laboris haberet plurimum; plures vero auscultare in immensa conferret discrimina: quippè plura capita vbilibèt vereri, & præcauere debemus; nam *confregit Dominus capita in terra multorum*. Planè omnium Doctorum vestigia pari gressu premere, impossibile est; omnium opinionibus suffragari, leuitas; cunctorum linguis loqui, confusio. Vbi enim omnium resonant voces, plerumquè inter se contrariæ; mentium, opus est, quod generetur disiunctio. At vbi vnius Doctoris colunt omnes discipuli institutum; facilè reuocantur ad pacem, & concordiam in sensis amplectuntur placidam, & tranquillam. Vnde August. exponens illud *Genes. 11. Faciamus altam turrim &c. Tunc* (inquit) *se ceperunt non intelligere: hinc facta est origo linguarum multarum; antea enim vna lingua erat. Sed vna lingua concordibus proderat; vna lingua humilibus proderat. Per superbos homines diuisæ sunt linguæ: per humiles Apostolus congregatæ sunt linguæ. Spiritus superbiæ dispersit linguas; Spiritus sanctus congregauit linguas.* Profectò vnitas, quæ in alijs rebus vtilis habetur, necessario tenenda est in magistro: nam vbi diuersæ opiniones hinc, & inde digladiantur; consequens est, vt in discipulo absorbeatur intellectus. Nequit enim mens placidam rerum consequi notitiam, quæ per varios anfractus distorquetur Auctorum. *Quis enim*, (aiebat Magnus Athanasius) *cum eis conuenire posset, qui nec secum quidem conueniunt, aut sua ipsorum approbant? Quippè qui in suis Concilijs, decem scilicet, aut pluribus, etiam aliàs alia scribentes, satis docent se vnumquemque suæ synodi criminatores esse.*

Ps. 109.

Super Psal. 54.

Epistol. ad Epis. Afric.

Vbi autem in vnum caput debuit Religio conuertere oculos, non languidum, aut euanidum, & vt ita dicam, cucurbitinum seligendum fuit; sed sapiens, nobile, integrum, atque vegetum. *Natura est enim potioribus deteriora submittere. Mutis quidem gregibus, aut maxima corpora præsunt, aut vehementissima. Non præcedit armenta degener taurus; sed qui magnitudine, ac toris cæteros mares vicit. Elephantorum gregem excelsissimus ducit. Inter homines pro summo est optimus.* Et vero in hac parte Religio nostra in varias se non distraxit curas; sed incunctanter, non tam elegit ducem, quam habuit. Quem enim studiorum suorum sibi asciceret principem, nisi quem Christus approbat, Pontifices magnificant, Concilia prædicant, & orbis Academiæ reuerentur; nempè Angelicum Doctorem D. Thomam? Hunc adoptauit patronum, & coryphæum, *Theologorum videlicet Theologum, Alpha literarum omnium, veritatis vnicum artificem, Architectum omnis literaturæ, scientiarum delicias, primum medium, & nouissimum omnium; qui rigat Ecclesiam de superioribus suis, & de fructu operum suorum satiat terram: cuius doctrina (reuelante Seraphico Francisco) non deficiet in æternum.* In quo delectu, quam sedulò, & prudenter se gesserit Religio, facilè quiuis deprehendet; nosque possemus plura argumenta texere, si res in dubium reuocari valeret; illa tamen adeo comperta est, vt in ea elucidanda inanem operam luderemus. Vnum autem exemplar non omittam, & quidem inclytum; eximia siquidem Societas Iesu, cùm simile negotium versaret, hanc sanxit legem: *Nostri omnino S. Thomam, vt proprium Doctorem habeant, eumquè in Scholastica Theologia sequi teneantur: tùm quia Constitutiones eum nobis commendant, & S. Pontifex Clemens VIII. ita se cupere significauit. Tùm quia, cum vnius scriptoris doctrinam in Societate eligendam Constitutiones moneant, nullius hoc tempore doctrina potest occurrere, quæ sit ea solidior, aut securior, vt non immeritò S. Thomas Theologorum princeps habeatur.*

Senec. epist. 90.

Tuelm. & alij apud Aponte tom. 2. in Sap. hom. 13. n. 114. N. Gabriel à S. Vincen. 12. disp. 26. in principio. Congregat. generalis apud Casalas in candore lilij §. 4.

Doctrinam verò D. Thomæ (vt sic methodum apud nos obseruandam explicemus) quæ in eius operibus sparsa est, noluit Religio nostra, vt posset quiuis Lector pro libito colligere, & exponere, atque discipulis transcribentibus dictare: sed constituit, vt vna, eademque doctrina in vniuerso Ordine viua Le-

ctorum

ctorum voce traderetur. Quod vt decerneret, rationes incitarunt plurimæ, eæquè nullo iure contemnendæ. Quoniam in primis non leue temporis dispendium incurrunt iuuenes in scribendo; quod studendo insumerent vtiliùs. Sed, quod caput præcipuum fuit, veriti sunt superiores, ne Lectores licentia scribendi vsi, plures, & obtortas complanarent opinandi semitas; quibus continuò simplex discipulorum grex oberraret, & nunquam expetitum veritatis finem attingeret. Vnde statuerunt: *Studeant Artium Lectores communes opiniones, & Theologiæ sacræ vtiliores defendere, ne inutilibus, & postea delendis, reyciendisquè opinionibus operam perdant. Nullo modo in Artium collegijs scholastici studeant dictante Lectore.*

2. parte C onstit cap. 4.

Multitudo quippè librorum, & scribendi, opinandiquè facultas, quam ætas nostra videtur alphabetarijs etiam magistris amplissimam arrogasse, non lucem roburvè attulerunt artibus, sed implexissimam confusionem, & veri incertitudinem: quinimò rixas plerumquè luctuosas pepererunt. Iam olim emergens hoc damnum prospexerat M. Basilius, dum hæreticis, qui de multitudine librorum suorum inaniter se efferebant, mœrenti calamo scripsit: *Alter ex illis, de quibus vos admonemus, est Apolinarius, haud parum, & ipse Ecclesias contristans: facilitati namquè scribendi, quæ per occasionem ad quosdam irrepsit, habens sufficientem linguæ facilitatem, orbem libris suis repleuit, contempto Ecclesiaste, qui cauendum esse dicit, ne multi libri fiant.*

Epist. 74. ad Epist. Occid.

Vbi autem multitudini librorum libertas annectitur opinandi, statim antiquæ doctrinæ ingeneratur fastidium; & infirmum rationis palatum ligurit nouitatum cupedias. Quod quàm timendum sit, dicere non audeo; ne aliquorum delicatæ auriculæ tinniant: subtexam nihilominus boni Auctoris iudicium, qui perspectis, perpensisquè nouitatum malis concludit: *Denique Vincentius Lirinensis hoc inter Hæreticos, & Catholicos discrimen posuit, quod illi antiquitatis scita fastidiunt, & per oppositionem falsi nominis scientiæ à fide naufragent: isti deposita sanctorum Patrum, & commissa seruent, & damnent prophanas nouitates.*

Nouar. in Elect. lib. 1. cap. 14. sect. 11.

Huic ergo periculo, vt obuiam iret Religio nostra, congruum sibi visum fuit vnum integrum Philosophiæ Cursum concinnare, legitimam D. Thomæ doctrinam continentem: quem omnes Lectores vbique legerent, omnes Scholastici addiscerent, atque illius principijs instructi pari gressu ad studia sacræ Theologiæ sese conferrent. Huiuscemodi autem negotij, cuius non adeò facilis apparebat exitus, Lectoribus nostri Collegij Complutensis cura demandata fuit; illisquè præcipuè imperatum est, vt in veritatis simplicem notitiam, rescissis quibusuis nouitatibus, recto tramite collinearent; & quidquid D. Thomæ censetur aduersum, demeterent, atque exterminarent à nobis. Ipsi autem muneri sibi iniuncto fœlicem nauarunt operam, & Cursum Philosophicum breui produxerunt in lucem. Porrò huius operis laudes congerere; atquè ostendere, quam fideliter menti D. Thomæ cohæreat; & qua fœlicitate brauium comprehenderit veritatis; nostri non est, qui tanquam iudices in re propria, suspicionis, vel vtut minus alicuius gloriolæ forsan arguemur. Possum tamen extraneos inducere testes, qui omnem suspicionem propulsent; eosquè non singulares, sed agmen, & quidem illustrissimum. Nam quanti faciet Prædicatorum Ordo hoc opus fecerit, illud liquido demonstrat, quod cum cætero subsidio minimè indigeat, sed apud se habeat Aristotelis interpretes doctissimos: Cursum tamen Complutensem suis Scholasticis non semel prælegerit publicè. Inclita etiam Hieronymiana Religio id ipsum compluties amplexa est; maximè autem in regio Escorialensi lycæo. Plures præterea, ac sapientissimi Doctores Academiæ Complutensis Cathedrarij prædicti cursus doctrinam viua voce publicè tradiderunt; vt discipulos optimè informarent; quod fœliciter sunt assecuti. Deniquè ex iis, quibus Thomistica placita arrident, nemo est, qui de illius laudibus conticescat.

Cæterùm quamvis prædictus Cursus hanc apud exteros sortitus fuerit adoream, apud domesticos tamen in aliquibus notabatur; non quæ substantiam operis maculent, sed quia ab exoptato fine, ex parte saltem deficiant. Nam in primis paulò longius prouectus est, quam par erat: nec enim valet intra spatium a nostris Constitutionibus præfixum commodè exponi; sed compelluntur sæpè Lectores plura resecare, & plurima indigestè conglobare: quod in graue Scholasticorum detrimentum vergit, vt ipsa experientia compertũ est. Deindè stylus nonnullis in locis subobscurior visus fuit, quàm addiscẽtium nouitiorum sustineat debilis captus: ijs quippè adeò perspicuè doctrina suggerenda est, vt vel nolentibus sese insinuet, atquè manifestam faciat. Deniquè methodus, quam in proponẽdis opinionibus, referendisquè argumentis obseruarunt Complutenses, non omnibus probatur. Expeditior siquidem procedendi modus videtur, priùs communire propriam sententiam: & deinde argumentis aduersæ singillatim, ac immediatè obuiam procedere; quam cuncta argumenta contraria priùs vno filo contexere, postea proprium firmare placitum, & deinceps difficultatibus à principio propositis, quæ fortè è memoria discipuli iam elapsæ sunt, tandem occursum ire. Hic enim posterior procedendi ordo, difficultati, quam scientia ex se affert, accumulat difficultatem aliam non necessariam; sed merito vt fieri potest propellendam. Hæc inquam ad facilem nostrorum Scholasticorum institutionem desiderabantur in Complutensi Cursu, & mentes Superiorum pupugerunt ita, vt non semel cogitauerint de remedio. Illudquè postremò opportuniùs visum est, vt (veteri doctrina retenta) quæ fusiùs tractabantur ad breuiorem formam reuocarentur; quæ subobscura apparebant, luce donarentur noua; & illa non adeo facilis procedendi methodus per contrariam corrigeretur: deniquè vt antiqui Cursus fieret quoddam *Compendium*, vel *Resumpta*. Cui muneri explendo; etsi non pauci inueniebantur idonei; mihi tamen, qui omnium minimus eram, & difficultati impar, vt illam aggrederer, Superiores præceperunt.

Vt primum autem ad hanc prouinciam lustrandam me accinxi, illud præcipuè apud me decreui, ne ab ea doctrina, quam Patres Complutenses tradiderant, vel in minimis exorbitarem; sed eorum vestigia fideliter premerem. Metui enim, ne mihi opponeretur illud Magni Athanasij scomma. *Quomodo eos, quibus successere, patres suos appellabunt, quorum sententias ipsi culpant? Aut quomodo ipsi veraces apud suos discipulos habebuntur, quibus persuadent præceptoribus credendum non esse?*

vbi supra.

Vrgebat etiam Damasceni monitum: *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerant Patres tui; atque vt à Basilio magno pronuntiatum est, quidquid antiquitate excellit, venerationem meretur.* Nam vt inquit D. Thomas: *Si de sapientia loquamur, quæ ad contemplationem pertinet, antiqui multa audierunt; Si de prudentia,*

Epist. de Trisagio. Iob. 12. lect. 2.

quæ

Opusc. aduersus ba-ressos.

quæ experimento comparatur, multo tempore vtilia, & nocius degustarunt. Iuniores pauciora cognouerunt, & experti sunt. Vnde Lirinensis perpendens illud Apostoli *Deuita prophanas vocum nouitates. Non dixit* (inquit) *antiquitates, non dixit vetustates; imò planè quod è contrario sequeretur, ostendit. Nam si vitanda est nouitas, tenenda est antiquitas: & si prophana est nouitas, sacrata est vetustas.* Hæc, inquam, me vehementer, etsi non violenter, impulerunt, vt antiquam, & Thomisticam, perindeque veram doctrinam, quam amplexati fuerant Complutenses, tanquam sacrum depositum indemnem, atque illibatam seruarem. Quod, vt quidem sentio, præstiti, non solum in assertis principalioribus; sed etiam in argumentorum solutionibus, & aliis, quæ minoris ponderis videbantur. Id siquidem expostulabat à me, & Compilatoris munus, & Prælatorum iussus, & debita doctrinæ antiquæ reuerentia. Vnde nihil me præstitisse fateor ad substantiam operis pertinens, quod priùs non præstiterint Complutenses.

Verum si ad alia, quæ sunt velut extima substantiæ operis ornamenta, attendatur; nonnulla adijcienda elaboraui, quæ ad faciliorem, optimamquè Scholasticorum institutionem plurimum arbitror interesse. Nam rationes, quæ, vel quia minùs perspicuè propositæ, vel quia minùs artificiosè concinnatæ, non ita premebant, ad formam syllogisticam perpetuò reduxi; vt euidentiùs vrgerent, & iuuenum intellectum ad difficultatis scopum sine anfractibus, & labyrinthis deducerent. Quibus etiam frequenter nonnihil roboris adiunxi; latenter, tamen & restrictè, ne viderer munus mihi iniunctum excedere. Argumentorum præterea enodationes, quæ non semel videbantur adhuc relinquere nodum, ita perspicuas facere conatus sum; vt quantum materia fert, apertè extricentur difficultates aduersæ. Si quæ verò inordinata apparebant, & tumultuariò constituta; ea methodo digerere studui, eaquè ratione disponere, vt ipse rerum ordo manuduceret mentem, & confusas rerum species ad vnitatem reduceret. Et quia nonnulli aliquos graues tractatus de Cœlo scilicet, de Meteoris de Essentia, Existentia, ac Subsistentia, nec non de Principio indiuiduationis desiderabant, vt Noster Complutensis Cursus perfectus, & integer appareret (Nam in Metaph. Tractatum, qui solus huic operi deesse videtur, sparsim in hoc Philosophico cursu inuenies) Superiorum imperijs, & Censorum monitis auscultans prædictos tractatus tandem concinnare decreui. Tractatus nempè de Essentia, Existentia, Subsistentia, & Principio Indiuiduationis ad libros de Generatione, ob rationes ibi assignatas adieci; quorum vltimum ex ijs quæ N. Salmanticenses *tom. 1. tract. 1.* de Principio indiuiduationis tradunt desumpsi, reliquos verò propria industria contexui. Deniquè omnem laborem, & industriam meam in id contuli, vt ex vno capite doctrinam Complutensium retinerem; ex alio verò illam facilitatem, claritatemquè ipsi adijcerem, quæ posset Scholasticos, cùm incitare ad studendum auidius, cùm promouere ad veritatis notitiam citiùs capessendam. Frequenter enim animum vellicabant monita Lirinensis: *Fideliter coapta, adorna sapienter, adijce splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur te exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod antea vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen, quæ didicisti, ita doce, vt dicas nouè, non dicas noua.* Et post hæc: *Fas est; vt prisca illa cœlestis Philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur: sed nefas est, vt commutentur; nefas, vt detruncentur, vt mutilentur. Accipiant licèt euidentiam, lucem, distinctionem; sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, & proprietatem.*

vbi supra.

Circa breuitatem verò in dicendo, quæ mei muneris censetur propria, modus necessariò tenendus fuit: *Quem non magis seruat, qui infra rem, quam qui supra; qui adstrictius, quam qui effusius dicit. Itaquè, quod audis frequenter, vt illud immodicè, & redundanter; ita hoc ieiunè, & infirmè. Alius dicitur excessisse materiam; alius dicitur non impleße.* Quamobrem sicut ea, quæ minoris ponderis sunt, leui manu perstrinxi: ita in eis, quæ grauem exigunt discussionem, pedetentim processi, altiusquè fixi pedem: neque enim reputaui superuacaneum in iis longiùs prouehi in dicendo. Nihil equidem me penitus fecisse crederem, si extrema præcise capita difficultatum detegerem; vbi Scholasticos veritatis indipiscendæ fames quædam extimularet; eam tamen depellere nequiquam possent, sed abirent infacturati. Quocircà illam tantùm breuitatem conciliare studui, quam necessariam esse perpendi, vt totus Philosophiæ Cursus commodè perlegi possit intra spatium à nostris legibus definitum. Quod, vt existimo, assecutus sum: ad eam siquidem mensuram opus redactum est, vt illud, & Lectores exponere; & discipuli addiscere intra prædictum tempus absque anxietate facilè queant. Maiorem autem breuitatem, & strictiorem stylum neutiquam affectaui: ne claritatis vice tenebras offunderem operi. Æqualis enim foret periculi deficere in hac parte, ac excedere: nam sicut redundantia verborum solet doctrinæ ingenerare fastidium; sic extrema illorum paupertas veritatem obstrudit, & discipulorum mentes obscurat.

Plin. lib. 1. Epist. ad Cornel.

Hæc habui (Patres in Christo chari) de quibus vos admonitos esse volui. Si quid autem meus labor contulit, quod in aliqualem vestri vtilitatem cedat, aut leuamen; hoc vnum tantùm à vobis loco præmij amplissimi enixe flagito: quod facilè me consecuturum spero: nempè vt sanctissimi Doctoris nostri D. Thomæ simus verbo, & opere, doctrina, & factis discipuli. Ad illud perfectissimum omnis virtutis exemplar mentes nostras frequenter conuertamus: quod non solùm doctrinæ lucem, sed etiam amorem sanctitatis (quæ potiori, iure expetenda est) in nos transfundat. Fuit enim hic vir diuinus (vt deprædicat Clemens VI.) *Typus, & exemplar omnis virtutis. Omnia corporis membra erant in eo manifesta virtutum exempla. In oculis eius apparebat simplicitas, in facie benignitas, in auribus humilitas: in incessu grauitas, in gestu honestas, in visceribus pietas, in intellectu claritas, in affectu bonitas, in mente sanctitas, in corde charitas.* O exemplar perpetuò religiosis mentibus contemplandum! ô Doctor ab omnibus discipulis frequenti meditatione intuendus? Neque excusationem falsam nobis fortè prætendat ipse studiorum, in quibus versamur, ardor, atque strepitus: sed potius ab ipso S. Præceptore ducamus modum copulandi literarum exercitia quieti, ac dulcedini contemplationis, in quam Religio nostra collimat. *Præmittebat enim* (vt Ioannes XXII. testatur) *diuina, vt roboraretur in schola, cum singulis diebus antequam lecturus ascenderet cathedram, vel distraheretur ad alia, Missam vnam celebraret, aliam audiret; vel duas integras missas, si non celebraret, audiret. In quibus, & alias in oratione, cùm in illa foret assiduus, lachrymarum effusione mentis sua dulcedinem, deuotionemque Deo, cui nihil est absconditum,*

In serm. Docebat eos de regno Dei.

In bulla Canoniz.

ditum, reuelabat. Ita Scholasticas, & non semel aridas concertationes temperabat contemplationis dulcedine. Ita nectebat studium, & orationem, quæ falsò credunt nonnulli maximè dissidere, & minimè valere coniungi. Ita qui intellectum nostrum illustrauit veritatis splendore; voluntates insimul sui exemplo excitauit ad deuotionis, atque pietatis studia. *Ergo per hæc fratres* (vsurpo D. Gregorij Nysseni verba) *imitemur nostrum magistrum. Perfectus enim erit discipulus, si sit sicut magister eius. Etenim in reliquis quoque vitæ studijs, atque exercitijs, qui Medici discipulus fuit, aut Geometræ aut Rhetoris; indignus, cui fides habeatur, magistri artis laudator erit; si ratione quidem præceptoris doctrinam admiretur, in se ipso verò nihil admiratione dignum ostendat. Dicet enim aliquis ad eum: qui dicis Medicum tuum fuisse magistrum, cum ipse Medicinæ ignarus sis? Verum si quis in se ipso specimen artis, quam didicerit, edat, sua scientia artis præceptorem ornat, atque honestat. Ita etiam nos, qui Basilio magistro* (dicamus, qui præceptore Thoma) *nos iactamus, & gloriamur, vita disciplinam ostendamus; ad illud enitentes, & euadentes, quod ipsum clarum, & magnum Deo, atque hominibus fecit, per Christum Iesum Dominum nostrum, cui gloria, & imperium in sæcula sæculorum Amen.*

In oratione funebri fratris sui Basilij.



INDEX
LIBRORVM ET CAPITVM,
Quæ in Summulis continentur.

INDEX

INDEX
DISPVTATIONVM, ET QVÆSTIONVM, Logicalium.

DISPV-

DISPVTATIO IX.

De accidenti quinto prædicabili.

DISPVTATIO X.

DISPVTATIO XI.

DISPVTATIO XII.

DISPVTATIO XIII.

DISPVTATIO XIV.

DISPVTATIO XV.

DISPVTATIO XVI.

DISPVTATIO XVII.

DISPVTATIO XVIII.

DISPVTATIO XIX.

DISPVTATIO XX.



COLLEGII COMPLVTENSIS FR. DISCALCEATORVM B. M. V. DE MONTE CARMELI, ARTIVM CVRSVS.

BREVES INSTITVTIONES AD LOGICAM, quas Summulas vocant.

PROOEMIVM.



Dea, quæ difficilia, & obscura sunt, aditum oportet præstare illa, quæ minus obscuritatis, ac difficultatis habent. Logica autem, cuius erat viam ad alias scientias sternere, difficillima est inter omnes. Vndè subitò proposita, nouitiorum mentes obtunderet, & ab ipso limine deterreret. Cui periculo, vt obuiam irent Doctores, relictis in posterum, quæ in Logica difficiliora sunt, & maiorem captum postulant; extraxerunt aliqua minùs difficilia, & magis communia, quibus mentes adolescentium utcumque instruerent, demulcerentquè, & quasi per quosdam gradus allicerent ad arduum scientiæ fastigium. Huiusmodi verò institutiones, & prima Dialecticæ elementa solent Summas, *aut* Summulas, *communiter dicere: quia comprehendunt, saltem ex parte, ea, quæ diffusè postea à Logicis traduntur. Ex quo liquet, obiectum huius introductionis comprehendi sub Logicæ obiecto, continereque ea instrumenta, quorum vsu, vera rerum notitia comparatur. Finis autem eius proximus est mentem disponere ad difficiliora Dialecticæ facilius capessenda: remotus verò coincidit cum fine totius Logicæ, qui est operationes intellectus dirigere, ne*



LIBER PRIMVS DE MODO SCIENDI.

PRIVSQVAM ad singulos modos sciendi descendamus, oportet priùs explicare in communi, quid sit modus sciendi: quod *primo capite* præstandum est.

CAPVT I.

De Modo sciendi in communi.

Modus sciendi est *Oratio ignoti manifestatiua*. Illa particula *oratio* ponitur loco generis, quia in ratione orationis conuenit modus sciendi cum alijs, quæ modi sciendi non sunt; à quibus tamen differt per sequentes particulas *ignoti manifestatiua*: nam manifestare ignotum soli modo sciendi conuenit. Oratio autem (quam *infra lib. 3. cap. 2.* altius exponemus) est *plures voces congruè se habentes, & diuersa significantes*, vt *animal rationale*. Vnde à ratione orationis excluduntur tùm termini æquiuoci, vt *canis*: nam licet plura significent, non sunt plures voces: tum termini synonymi, vt *Marcus Tullius Cicero*: quia licet sint plures voces, non significant diuersa. Manifestare verò ignotum est rem in confuso, seu tenebris latentem in palam adducere, atque explicare. Modus ergo sciendi consistit in diuersis vocibus ordinatè dispositis, quibus aliquid ignotum declaramus. Et hic est sensus prædictæ definitionis.

Dices, hæc definitio hominis *animal rationale*: est verè modus sciendi: & tamen non manifestat ignotum ei, qui clare cognoscit naturam hominis: ergo non rectè definitur modus sciendi per hoc, quod sit oratio ignoti manifestatiua.

Respondetur negando consequentiam: quoniam licet per accidens prædicta hominis definitio actu non manifestet ignotum; de se tamen semper est manifestatiua illius. Quod sufficit, vt definitio modi sciendi sit legittima: quia, vt communiter docent Dialectici, verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem.

Diuiditur autem modus sciendi in *definitionem*, *diuisionem*, & *argumentationem*. Cujus diuisionis sufficientia ostenditur ex numero rerum, quæ per modum sciendi possunt manifestari, quæ sunt tres, videlicet, essentia, quam explicat definitio; multiplicitas, quam aperit diuisio, & proprietas, quam ostendit argumentatio. Sit exemplum in homine, cujus essentiam explicabis hac definitione. *Est animal rationale*, partes hac diuisione: *Hominis alia pars anima, alia, corpus*, proprietatem denique hac argumentatione: *Omne rationale est risibile: sed omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis.*

Obijcies, hæc propositio *Homo est animal*; verè manifestat aliquod ignotum: ergo est modus sciendi: & tamen prædicta propositio non est definitio, diuisio, vel argumentatio, vt ex se liquet: ergo tradita diuisio modi sciendi est insufficiens.

Respondetur propositionis officium solum esse enuntiare vnum de alio; minime verò manifestare ignotum. Quod si aliqua propositio illud manifestat, id non præstat ratione sui, sed ratione definitionis, vel diuisionis, quæ in propositione includuntur. Et ita se habet illa propositio: *Homo est animal*, continet enim definitionem inadæquatam hominis, nempe rationem genericam. Et ideò ad obiectionem negatur prima consequentia: nam vt aliqua oratio sit modus sciendi, debet per se, & ratione sui esse ignoti manifestatiua. His traditis de modo sciendi in communi, agendum est de eius speciebus in particulari.

CAPVT II.

De Definitione.

Definitio est *oratio explicans naturam rei*. Ponitur particula *oratio* loco generis, quia in ratione orationis conuenit definitio cum alijs, quæ definitio non sunt. Aliæ verò particulæ habent rationem differentiæ: nam explicare essentiam rei solum conuenit definitioni.

Diuiditur autem definitio in definitionem essentialem, & descriptiuam. Essentialis est *quæ explicat essentiam rei per partes essentiales*. Quæ rursus diuiditur in definitionem Physicam & Metaphysicam: Physica est, *quæ explicat essentiam rei per partes Physicas*, nempe materiam, & formam, qualis est ista: *Homo est constans corpore, & anima rationali*. Metaphysica est, *quæ explicat essentiam rei per partes metaphysicas*, videlicet genus, & differentiam, & huiusmodi est hæc: *Homo est animal rationale*. Definitio autem descriptiua est, *quæ explicat essentiam rei per proprias passiones*, vt si dicas: *Homo est animal risibile*.

Præter has definitiones solent aliæ duæ recenseri, nimirum causalis, & accidentalis. Definitio causalis est, *quæ datur per causas extrinsecas*, nempe efficientem, & finalem. Quæ, vt legitima sit, debet tradi non per causas omnino communes definito, & alijs à definito; sed per causas proprias ipsius definiti, vt si dicas: *Homo est animal creatum à Deo ad beatitudinem consequendam*.

Definitio autem accidentalis est, *qua datur per accidentia communia*. Ad cuius bonitatem desideratur, quod tot accidentia communia iungantur, vt licèt vnumquodque seorsim acceptum competat etiam alijs, iuncta tamen soli definito conueniant. Qualis est hæc definitio; *Homo est animal pulchrum, bipes, implume, habens caput erectum*. Si enim omnia accidentia communia inueniantur in alijs, inepta erunt ad manifestandum propriam naturam rei definitæ, vt si dicas: *Homo est animal album, bipes*.

Porrò, vt quæuis definitio legitima sit aliquæ regulæ in eius efformatione obseruandæ sunt. Prima, vt *sit clarior suo definito*, hoc est quam res; quæ per ipsam explicatur. Alias si est æquè obscura non poterit eius naturam manifestare. ¶ Secunda, *quod definitum non ingrediatur definitionem*. Alias idem manifestabitur per se ipsum, ac proinde manebit æque ignotum. ¶ Tertia, *quod nec sit superflua*: quia confusionem parit, vt hæc: *Homo est animal rationale album*. *Nec sit diminuta*: quia non explicat sufficienter essentiam definiti, cuiusmodi est ista: *Homo est viuens sensibile*. ¶ Quarta, *quod constet genere, & differentia*, vel aliquo supplente vices vtriusque. Quoniam definitum habet aliquid sibi, & alijs commune, quod vocamus genus: & aliquid sibi proprium, quod appellamus differentiam. Et ideò vt explicetur adæquata rei essentia, opus est vtrumque in definitione exponere. ¶ Quinta, & vltima, *quod definitio conuertatur cum suo definito & è conuerso*. Nam cum contineat totam essentiam definiti, ipsi, & non alteri potest conuenire.

Ex quibus inferuntur duo modi arguendi in definitione. Primus est, quod à definitione ad definitum, & è conuerso valet benè consequentia, tam affirmatiuè, quam negatiuè, vt, *est animal rationale: ergo homo: non est animal rationale: ergo non est homo*.

Secundus est, quod quidquid prædicatur de definitione, prædicatur etiam de definito, & è contra, vt si dicas: *animal rationale est sensibile: ergo homo est sensibile: homo est discursiuus: ergo animal rationale est discursiuum*. Hoc autem solum procedit in prædicatis realibus, secus autem in illis, quæ conueniunt rebus per operationem intellectus. Et ideò non valet: *animal rationale est oratio: ergo homo est oratio*. Et sic de aliis.

Hic obserua quod inquirenti, quæ sit ista definitio, respondendum est: *essentialis, vel descriptiua, physica vel metaphysica*, iuxta ea quæ supra diximus. Inquirenti verò qualis sit hæc definitio? nunquam respondebitur est *vera*, vel *falsa*: quia significare veritatem, & falsitatem est proprium solius propositionis. Sed respondebis, est *bona*, si seruet leges assignatas; vel *mala*, si non obseruet.

Contra definitionem definitionis duo possunt opponi. Primum, quod definitum non potest ingredi definitionem, vt statuimus in secunda regula: atqui si definitio definiretur, deberet explicari per definitionem: atque ideò simul esset definitum, & definitio: ergo definitio nequit congruenter definiri. ¶ Secundum, quod bona definitio non potest conuenire alijs à definito: sed definitio definitionis, nempe *oratio explicans naturam rei*, conuenit diuisioni: ergo non est bona. Probatur minor: quia diuisio est oratio explicans partes rei, vt dicemus capite sequenti: sed partes rei sunt idem, ac eius essentia: ergo diuisio est oratio explicans essentiam rei.

Respondetur ad primam obiectionem negando minorem: quia definitio in communi, & in actu signato explicatur per quandam definitionem particularem, & in actu exercito: quæ duo satis distinguuntur. Et ideò non sequitur, quod idem explicetur per se ipsum. ¶ Ad secundam neganda est minor, quam inducta probatio non suadet: quoniam licet essentia, & illius partes sint materialiter idem; secus autem formaliter, quatenus explicantur per definitionem, & diuisionem: nam illa explicat essentiam coniungendo partes, & componendo totum; hæc autem explicat multiplicitatem, partes separando, & disiungendo.

Consultò *in hoc capite* definitionis quam vocant *quid nominis*, non meminimus: quia hæc non deseruit ad manifestandum aliquod ignotum ad scientias pertinens, proindeque non habet rationem modi sciendi. Sed solùm exponit significationem vocis, vt cum *fari* explicatur per *loqui*, & *cosmos* per *mundum*. Si autem explicetur quidditas nominis, dicendo: *Nomen est vox significatiua ad placitum sine tempore*, iam definitio non est *quid nominis*; sed verè habet rationem definitionis *quid rei*, quam hactenus exposuimus. Ex quo sequitur definitionem *quid nominis* solum secundum quid, & impropriè vocari definitionem, quam proinde ab hoc tractatu amandamus.

CAPVT III.

De Diuisione.

Diuisio est *oratio explicans partes rei*, vt *Hominis alia pars corpus, alia anima rationalis*. Res autem, quæ diuiditur, appellatur, *diuisum*; partes, in quas diuiditur, vocantur *membra diuidentia*; oratio verò, quæ diuidit, dicitur *diuisio*. Vnde satis liquet sensus adductæ definitionis, & quod eodem proportionali modo, ac definitio definitionis exponenda est.

Cum autem proprium sit diuisionis diuidere totum, iuxta diuersa tota erunt diuersæ diuisiones. Porrò totum est triplex, nempe potentiale, actuale, & accidentale: & ideò triplex inuenitur diuisio, videlicet *potentialis, actualis*, & *accidentalis*.

Diuisio potentialis est, *qua diuidit totum in partes, quas continet in potentia*. Et est duplex *alia generis in species*; & alia *analogi in analogata*. Prior contingit, cum diuisum essentialiter, & æqualiter inuenitur in membris diuidentibus: vt cum animal diuiditur in hominem, & Leonem. Ad quam reducitur diuisio generis in differentias, vt cum animal diuiditur in rationale, & irrationale. Posterior autem datur, quando diuisum principaliter est in vno membro diuidenti, & minus principaliter in alijs: vt cum ens diuiditur in Deum, & creaturas. In qua diuisione, diuisum vocatur *analogum*, membra diuidentia *analogata*, quorum primum vocatur *principale analogatum*: quia ratio diuisi inuenitur in eo absolutè; in alijs verò secundum quid, & per participationem à primo. Vnde ortum duxit illud axioma: *Analogum per se sumptum stat pro famosiori significato*.

Diuisio actualis est, *qua diuidit totum in partes, ex quibus actu constituitur*. Et est triplex, nimirum, *Physica, metaphysica*, & *integralis*. Physica diuidit totum in partes Physicas: vt *hominis alia pars corpus, & alia anima*. Metaphysica diuidit totum in partes metaphysicas; vt *hominis alia pars animal, alia rationale*. Integralis diuidit totum in partes integrales: vt *hominis alia pars caput, alia cor, alia manus &c*.

Diuisio accidentalis est, *quæ diuidit totum per ea, quæ illi accidentaliter conueniunt*. Et est triplex, alia *subiecti in accidentia*; vt *corpus aliud album, aliud nigrum*. Altera *accidentis in subiecta*: vt *album aliud nix, aliud papyrus*: vltima *accidentis in accidentia*. vt *album, aliud dulce, aliud amarum*. Ad hanc autem posteriorem diuisionem saluandam, opus est quod accidens diuisum non sit de essentia accidentium diuidentium; aliter quippè

non

non erit diuisio accidentalis; sed essentialis, vt si dicas: *Coloratum aliud album, aliud nigrum*. ¶ Huic diuisioni accidentali annumeranda est diuisio, qua nomen diuiditur in sua significata, vt nomen canis, quod significat canem marinum, latrabilem, & cælestem. Quoniam significatio est quoddam accidens rationis, positum ad placitum in entitate vocis: vndè diuisio vocis in suas significationes est diuisio subiecti realis in accidentia rationis.

Vt autem diuisio rectè fiat, sequentes regulæ obseruandæ sunt. Prima, *quod membra diuidentia sint opposita, seu distincta*: alias non erunt partes, quarum est proprium se inuicem excludere. Et ideò in qualibet diuisione debent dari duo saltem membra diuidentia. ¶ Secunda, *quod membra diuidentia seorsim accepta non adæquent diuisum; & simul sumpta ita adæquent, vt illud non excedant*. Quoniam diuisum est totum, & membra diuidentia sunt partes: totum autem excedit quamlibet partem; non tamen omnes; nec exceditur ab illis. Vbi obserua, quod cum dicitur: *Hominis alia pars animal, alia rationale*, Ly *animal* non sumitur vt totum potentiale, qua ratione est superius ad hominem, & alia animalia; sed accipitur vt pars actualis, quo pacto est inferius ad hominem, & membrum diuidens. ¶ Tertia *quod diuisio fiat per pauca membra diuidentia*: quia eorum multitudo parit confusionem. Et ideò communiter fit per membra contradictoria, hoc est per vnum positiuum, & alterum negatiuum, vt cum dicimus: *Animal aliud rationale & aliud irrationale*.

Sed circa hanc vltimam regulam obserua duo. Primum, quod si omnia membra diuidentia alicuius diuisi fuerint nota, & potuerint recenseri, diuisio ex se erit optima, cum apertè explicet multiplicitatem: quamuis multitudo defectu nostri intellectus nobis ingerat confusionem. Sed quia communiter, vel non sunt nota, vel omnium notitia non conducit ad rem de qua agitur; ideò frequenter diuisiones traduntur per pauca membra, comprehendendo sub vno, alia, quæ sub diuiso continentur. Et ità procedit regula præscripta.

Secundum sit, quod cum diuisio datur per vnum membrum positiuum, & aliud negatiuum, vt cum dicitur: *Animal aliud rationale, & aliud irrationale*, membrum negatiuum, non accipiatur purè negatiuè, hoc est pro omnibus, quæ vtcumque carent v. g. ratione. Ità enim acceptum comprehenderet lapides, & omnia alia, quæ ratione carent licet animalia non sint; & consequenter vnum membrum diuidens excederet diuisum, nempè animal. Accipiendum ergo est quasi priuatiuè: quatenus significat carentiam alterius membri diuidentis, intra idem diuisum. Vndè *irrationale* in prædicta diuisione solum importat carentiam rationis, in his quæ supponuntur esse intra genus animalis; & quibus quantum est ex parte generis, seu diuisi, non repugnabat habere rationem. Alia enim vt puta lapides, per ipsum diuisum, siue genus excluduntur.

Denique in diuisione tripliciter possumus arguere. Primò à diuiso ad omnia membra diuidentia, & è conuerso valet consequentia; tam affirmatiuè, quàm negatiuè. Vndè hæc est legitima: *Est animal: ergo rationale, vel irrationale: Est rationale, vel irrationale; ergo animal*. ¶ Secundò à quolibet membro diuidenti ad diuisum valet affirmatiuè, non verò negatiuè: vt si dicas: *est rationale: ergo animal*, tenet consequentia. Si autem dicas: *Non est rationale: ergo non est animal*, non valet: quia potest esse brutum. E contra verò à diuiso ad quodlibet membrum diuidens valet negatiuè; non verò affirmatiuè, vt si dicas: *Non est animal: ergo non est homo*, tenet consequentia. Sed hæc non valet: *Est animal: ergo homo*: quia potest esse Leo. ¶ Tertiò à diuiso cum negatione aliorum membrorum diuidentium valet consequentia ad affirmationem alterius membri, quod superest, vt si dicas: *Est elementum, & non ignis, aër, vel aqua: ergo terra*.

Circa modum loquendi obseruanda sunt, quæ de definitione statuimus. Vndè inquirenti, Quæ sit illa diuisio? respondebis: *potentialis*, vel *actualis*, *Physica*, aut *Metaphysica*, &c. Inquirenti autem, qualis sit? dices *bona*, vel *mala*: non tamen *vera*, vel falsa.

CAPVT IV.

De Argumentatione.

Argumentatio est *oratio explicans illationem vnius ex alio, vt* Petrus ambulat: *ergo mouetur*. Ex quo colliguntur duò: primum est ad argumentationem non sufficere, quod vnum possit ex alio inferri; sed debere explicari illationem. Quamobrem hæc oratio: *Petrus ambulat, & mouetur*, non est argumentatio: quia non explicat motum inferri ex ambulatione. Secundum est, tria in argumentatione inueniri, nempe id, ex quo infertur; & appellatur *antecedens*, vel *præmissæ*: id quod infertur; & vocatur *consequens*: & id quod significat vnum deduci ex alio, & dicitur *consequentia*. Sit exemplum in hac argumentatione: *Omnis homo est animal; sed Petrus est homo; ergo Petrus est animal*. Duæ primæ propositiones sunt id ex quo infertur, & appellantur præmissæ, quarum prima vocatur *maior*, secunda *minor*: tertia propositio est id quod infertur, & appellatur *consequens*: & tandem illa particula *ergo* significat consequens colligi ex præmissis, & ideo dicitur nota illationis, seu consequentia.

Triplex autem est nota illationis, videlicet *conditionalis*, *causalis* & *rationalis*. Conditionalis fit media particula, *Si*, vt *si homo currit mouetur*. Causalis media particula *quia*, aut simili: vt *quia homo est rationalis, est admiratiuus*. Rationalis media particula *ergo*, vel *igitur*: vt *homo est rationalis; ergo risibilis*. Et ad huiusmodi illationes reducuntur omnes aliæ, quæ possunt excogitari. Imò verò omnis argumentatio solet communiter per illationem rationalem exerceri; & ideò relicta argumentatione conditionali, & causali.

Argumentatio rationalis est quadruplex, nimirum *syllogismus*; *enthymema*, *inductio*, & *exemplum*. Syllogismus est *argumentatio constans tribus propositionibus, scilicet maiori, minori, & consequentia*, vt si dicas: *Omnis homo est animal; sed Petrus est homo; ergo Petrus est animal*. Enthymema est *argumentatio constans duabus propositionibus, nempè antecedenti, & consequenti*. v. g. *Homo est rationalis: ergo est risibilis*. Inductio est *argumentatio in qua ex pluribus singularibus colligitur aliquod vniuersale*, vt *Hic ignis calefacit, & iste ignis calefacit, & sic de singulis ignibus: ergo omnis ignis calefacit*. Exemplum est *argumentatio in qua ex aliquo singulari aliud singulare colligimus*, vt *Deus pepercit Niniuitis pœnitentiam agentibus: ergo parcet tibi, si pœnitentiam egeris*. Nolumus autem in præsenti amplius hæc exponere: quia id commodius præstabimus *lib.* 4. vbi diffusius de argumentatione agemus.

Circa modum in disputatione obseruandum, plura sunt à præceptore iniungenda discipulis, quæ non oportet hic inserere; cum apud varios varia obseruentur. Vnde solum subijciemus monita, quæ principaliora videntur, & apud omnes rectè disputantes obseruari oportet. Prima igitur regula, tam prò arguente, quàm prò respondente sit, ne peruertant disputationis finem, qui est veritatis inquisitio. Et ideò vitandum est ne euidenter verum negetur, vel manifestè falsum defendatur.

Exercitij tamen gratia, licet non semel verum impugnari, ac falsum defendi.

Secunda regula pro arguente est, vt breuiter, ac perspicuè proponat argumentum, & non loquatur aliquid extra formam, nec perturbet respondentem; sed sinat ipsum suas partes agere. In probando autem ita debet procedere, vt propositionem à respondente negatam inferat pro consequenti succedentis argumentationis: alias operam, & laborem perdit. Vndè in totius disputationis processu debet in vnum scopum vim argumentationis dirigere, & ad nouas difficultates, seu media non diuertere.

Tertia regula pro respondente sit, vt argumentum à contrario propositum integrè, ac fideliter resumat. Deindè repetat maiorem: quam si fuerit falsa, neget; si vera, concedat; si ambigua, distinguat; si indifferens, vel impertinens ad argumentum, omittat. Postea repetat minorem, & eodem modo, ac in maiori se gerat. Quacumque autem præmissa absolutè negata, ibi cessabit responsio. Si verò vtraque concedatur, vel distinguatur, perueniendum est ad propositionem consequentem, quæ non potest, si Syllogismus est legitimus, absolutè concedi, vel negari; sed tantum distingui. Consequentia autem seu illatio non distinguitur, sed solum conceditur, vel negatur. Qui autem, concessis præmissis, negat consequentiam; vel ostendet defectum syllogismi, vel censebitur conuictus. Caueat autem respondens, nè inter respondendum aliquid loquatur, & intempestiuè proferat rationem, cur neget, aut concedat: sed id remittat ad finem disputationis, vel cum arguens postulauerit. Si autem aliquam propositionem distinxerit, poterit breuissimè membra distinctionis exponere.



LIBER SECVNDVS

De Terminis, seu Vocibus simplicibus.

SVPPOSITA aliquali notitia instrumentorum sciendi, possumus iam ad alia gradum facere. In quibus tradendis obseruabimus methodum compositionis, secundum quam à simplicioribus inchoandum est: & ideò statim agemus de terminis, seu vocibus simplicibus.

CAPVT I.

De Significatione, & Signo.

VOces non pertinent ad institutum Dialecticum, quatenus important entitatem materialem; sed prout significatiuæ sunt: ita quippè conducunt ad directionem intellectus. Quocircà antequam agamus de terminis, opus est signi, & significationis rationes prælibare. Omittendum autem duximus in præsenti signum formale: quia illius notitia spectat ad libros de Anima. Vndè solum agemus de signo instrumentali: nam termini sunt signa instrumentalia; atque ideò in præsenti tractatu nomine *signi*, solum signum instrumentale intelligendum venit.

Signum ergo sic acceptum est, *quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire*. Ita definit D. August. *lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 1.* Et explicatur definitio exemplis: nam fumus præter cognitionem sui, inducit etiam cognitionem ignis: & ideò est signum illius. Similiter vestigium animalis, primò repræsentat se, & deindè ingerit cognitionem animalis, cujus proindè est signum. Ex quo fit, vt cuilibet signo correspondeat duplex cognitio: alia ipsius signi, vt cognitio fumi: altera verò signati, vt cognitio ignis. Fit etiam, quod significare nil aliud sit, *quam potentiæ cognoscitiuæ aliud à se repræsentare.*

Diuiditur autem signum in signum *naturale*, & signum *ad placitum*. Naturale est, *quod per se ipsum, & independenter ab hominum voluntate aliud à se repræsentat*: quo pacto fumus significat ignem. Signum verò ad placitum dicitur; *quod ex hominum institutione aliud à se repræsentat*: qua ratione nomina sunt signa rerum, quas significant. Nam hæc vox *homo* non significat ex se ipsa animal rationale potius quam equum; sed id habet ex humana impositione. Porrò hujusmodi significatio vocum duplex est, *propria* videlicet, & *impropria*. Prior obseruatur, quando vox vsurpatur, juxta propriam, ac primam impositionem: quomodo vox *homo* significat hominem, & vox *leo* leonem. Posterior verò contingit, cum per metaphoram transfertur ad aliam significationem, vt cum *agnus* significat Christum Dominum, & *Nero* hominem crudelem. Signum autem *ex consuetudine*, quod alij hîc specialiter recensent, reducitur ad aliquod ex his, quæ nos recensuimus: nam si significatio fundetur in natura, erit signum naturale; si verò in voluntate humana, erit signum ad placitum.

Objicies: imago Cæsaris est verè signum illius: & tamen neque est signum naturale; cùm prædicta imago fiat arte: neque est signum ad placitum; cùm vera effigies habeat ex se, & independenter ab hominum voluntate, suum prototypum repræsentare: ergo diuisio signi, à nobis tradita est insufficiens.

Respondetur negando minorem quoad primam partem: nam licet præcesserit ars, qua imago est depicta; nihilominùs imago semel facta jam repræsentat Cæsarem ob naturalem similitudinem cum illo, & non ob puram hominum impositionem: & ideò imago Cæsaris est signum naturale illius. In quo plurimum differt significatio imaginis à significatione nominum: nam vox per impositionem humanam nihil intrinsecum habet, per quod dicat ordinem ad signatum: & ideò est signum purè ad placitum, nec pertingit ad rationem signi naturalis.

Ex quibus omnibus habendum est voces non pertinere ad Dialecticam, quatenùs sunt præcisè quidam soni formati in aere; sed quatenùs impositæ sunt ad significandas res, & vt proprios conceptus explicemus. Vndè voces non significatiuæ, vt *blitiri* exclusæ manent ab hoc tractatu.

CA-

CAPVT II.

De Essentia termini.

NOn possumus naturam termini explicare, nisi prius declaremus, qualiter se habeant, & differant hæc tria *vox*, *nomen*, & *terminus*. Vox igitur *est illa entitas soni, quæ causatur in ore animalis ex collisione quarumdam partium*. Nomen autem supra illam entitatem addit significationem, quæ aduenit voci ex hominum impositione: & ideò nomen definitur, quod sit *vox significatiua ad placitum*, &c. vndè entitas soni, seclusa impositione humana, est quidem vox; non autem nomen: nam istud importat, tùm entitatem vocis, sicut materiam; tùm significationem, veluti formam. Terminus deniquè supra illa duo addit hoc, quod est terminare, seu finire propositionem, vt cum dicitur: *Petrus est homo*, ly *Petrus*, & ly *homo* non solùm sunt voces, & nomina; sed etiam termini: quia propositionem finiunt, sicut puncta extrema lineæ dicuntur termini illius.

Vndè possumus terminum definire per hoc, quod sit *extremum propositionis*. Ly; *extremum* ponitur loco generis: quia in ratione extremi conuenit terminus Logicus cum alijs extremis, vt puta cum vltimis punctis lineæ. Ly verò *propositionis* habet rationem differentiæ: nam alia extrema sunt quidem extrema aliarum rerum; non verò propositionis: hoc enim proprium est solius termini Logicalis.

Ex quo fit voces extra propositionem non esse propriè terminos. Quam doctrinam tradit Aristot. 1. priorum, cum inquit: *Terminum autem eum appello, in quem resoluitur propositio, vt prædicatum, & id de quo prædicatur*. Nam totum non resoluitur, nisi in partes ex quibus actu constituitur: ergo si terminus est id, in quod resoluitur propositio, vt docet Aristot. planè sequitur, voces actu non componentes propositionem non esse terminos.

Quod etiam suadetur ratione: quia licet id, quod essentialiter est pars, possit etiam, cum actu non componit, appellari pars, vel extremum compositi, ob essentialem respectum ad illud, vt anima rationalis se habet ad hominem; nihilominùs id cui accidit componere, nequit dici extremum, antequam actu componat, vt apparet in lapide, qui dum est in lapidicina, non dicitur terminus domus: quia nec eam componit, nec dicit essentialem respectum ad ipsam. Constat autem, quod voces existentes extra propositionem, non dicunt essentialem ordinem ad componendum; sed omninò accidit eis, quod ab hominibus ordinentur ad compositionem: ergo non sunt propriè loquendo termini; licet sint voces, & nomina. Sicut lapides in lapidicina sunt quidem lapides; sed non termini: & vox antequam imponatur actu ad significandum, est verè vox; non tamen nomen.

Confirmatur: quia vbi saluatur essentia, ibi debent etiam saluari proprietates rei: sed voces extra propositionem non habent proprietates termini, videlicet suppositionem, ampliationem, appellationem &c. vt ex se liquet; ergo nec habent essentiam termini.

Sed objicies: nam verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem: ergo ad rationem termini non desideratur, quod actu terminet propositionem; sed sufficit, quod habeat aptitudinem ad eam terminandam: at qui voces extra propositionem habent hujusmodi aptitudinem: ergo verè sunt termini. ¶ Confirmatur ex communi modo loquendi: nam voces communiter appellamus terminos, siuè sint extra propositionem, siuè intra illam: ergo vtroque modo habent rationem termini.

Respondetur ad objectionem, illam maximam solum verificari, cùm actus non est de essentia definiti: quod frequentiùs inuenitur in rebus, & ideò præbuit occasionem communi proloquio. Nonnulla tamen inueniuntur, de quorum ratione est aliquod actuale exercitium: sicut de ratione verbi mentalis est terminare actu cognitionem; & de ratione existentiæ est terminare actu naturam; & de essentia Dei est, quod actu existat. In his autem non sufficit sola aptitudo ad illos effectus, vt ex se liquet. Et hujusmodi est terminus Logicus ob ea, quæ nuper diximus. ¶ Ad confirmationem dicendum, quod licet in vulgari modo loquendi voces, & termini confundantur; non ideò propriè eorum rationes confundendæ sunt, quia cum pluribus loquendum, cum paucioribus verò sentiendum est, vt dicitur secundo Topicorum.

CAPVT III.

De varijs termini diuisionibus.

POstquam exposuimus essentiam termini, æquum est, vt ejus diuisiones subjiciamus. Prima ergo diuisio termini est in *subjectum*, & *prædicatum*. Subjectum est *terminus, de quo dicitur aliud*. Prædicatum verò est *terminus, qui dicitur de alio*. Vt cum dico: *Petrus est homo*, Petrus habet rationem subjecti, & homo prædicati. Ex quibus subjectum habet rationem partis materialis propositionis; prædicatum verò est pars formalis. Et præfata diuisio est essentialis, & generis in species; quia subjectum, & prædicatum diuidunt terminum in ratione termini, & ipsius rationem propriè, ac intrinsecè participant.

Deindè diuiditur terminus in *vocalem*, *mentalem*, & *scriptum*. Terminus vocalis est *extremum propositionis vocalis*: mentalis est *extremum propositionis mentalis*; & scriptus est *extremum propositionis scriptæ*. Hujusmodi autem diuisio est accidentis in subjecta: quia reddit hunc sensum: *Ratio termini inuenitur, vel in vocibus, vel in actibus intellectus, vel in scriptis*. Quæ omnia habent rationem materiæ, siuè subjecti respectu formalitatis termini, quæ est accidens rationis illis rebus superadditum. Omittimus in præsenti majorem indagationem termini scripti, & mentalis: quia illius notitia parum facit ad nostrum institutum; istius verò cognitio haberi nequit, nisi in præsenti inculcemus plura, quæ superant captum summulisticum, & propriam sedem habent in lib. de Anima. Quare ijs relictis.

Terminus vocalis primò diuiditur in *categorematicum*, & *syncategorematicum*. Categorematicus est, *qui per se ipsum significat*, vt *homo*, & *Leo*. Syncategorematicus est, *qui per se non significat, nullus tamen categorematico facit illum aliter significare*, vt *omnis*, *nullus*, *aliquis*, & similes. Qua de causa terminus categorematicus dicitur *significatiuus*; syncategorematicus verò vocatur *consignificatiuus*, & modus subjecti, vel prædicati: quia licet non sit per se subjectum, aut prædicatum; potest tamen illa modificare. Vndè categorematicus dicitur significare aliquid, syncategorematicus verò aliqualiter: & ille comparatur litteris vocalibus; ille autem consonantibus, quæ licet per se non sonent; faciunt tamen, quod vocales sonent aliter, & aliter. Ex quibus liquet terminum syncategorematicum esse terminum secundum quid: & consequenter prædictam diuisionem esse analogam. ¶ His solet addi terminus *mixtus*, qui virtualiter continet categorematicum, & syncategorematicum, vt *nemo*, id est, *nullus homo*.

Deindè terminus categorematicus diuiditur in *complexum*, & *incomplexum*. Complexus est, *cujus partes separata significant juxta significationem habitam in toto*,

vt

vt *homo albus*. Vndè excluduntur voces, cuius partes separatæ aliter significant, ac in toto, vt *Dominus*, *Sacerdos*, & aliæ. Terminus incomplexus est, *cuius nulla pars separata significat*, vt *homo*, *leo*, & omnes voces simplices. Ex quibus solus incomplexus est simpliciter terminus: complexus autem, cùm simpliciter sit oratio, solum secundum quid habet rationem termini. Et ideò prædicta diuisio est analoga.

Terminus autem incomplexus iterùm diuiditur in vniuocum, *æquiuocum*, & *analogum*. Vniuocus est *qui significat plura in aliqua ratione omninò conuenientia*, vt *homo*, *animal*. Æquiuocus est, *qui significat plura nullo modo conuenientia, secundum quod per nomen significantur*, vt *canis* respectu marini, cœlestis, & latrabilis: quibus prout sic nihil est commune, præter nomen. Analogus est, *qui significat plura nec omninò conuenientia, nec omninò disconuenientia, sed medio modo, hoc est, vt inter se similia*, sicut *sanum* respectu animalis, medicinæ, & vrinæ. Nam vt animal dicitur sanum, quia habet in se sanitatem: ità medicina dicitur quodam modo sana, quia causat sanitatem, & vrina, quia illam indicat. ¶ Hic autem obserua, posse æquiuocum, & analogum fieri terminum vniuocum, si per aliquam particulam determinetur ad vnum significatum, vt si cani, qui est terminus æquiuocus, addatur *latrabilis*, fit vniuocus ad omnes canes latrabiles.

Secundò diuiditur terminus vocalis in *communem*, & *singularem*. Communis est, *qui significat plura diuisim*, vt *homo*. Vndè terminus collectiuus, qua ratione est collectiuus, excluditur à ratione termini communis: quia non significat plura diuisim; sed collectiuè, & per modum vnius, vt *populus ciuitas*. Diximus, *qua ratione est collectiuus*, quia si populus v. g. sumatur, quatenùs abstrahit ab hoc, & illo, & illo populo, jam significat diuisim hunc, & illum, & illum populum. Sed hoc pacto acceptus amittit rationem termini collectiui, & fit communis.

Rursus terminus communis diuiditur in *transcendentem*, & *non transcendentem*. Transcendens est, *qui in omnibus inuenitur, & eorum differentias penetrat*. Sub quo sex communiter enumerantur, nempe *ens*, *res*, *verum*, *bonum*, *aliquid*, *vnum*. Terminus autem non transcendens est, *qui solùm de aliquibus prædicatur*, vt *homo*, *animal*.

Terminus singularis est, *qui tantum significat vnum, vel plura per modum vnius*, vt *Petrus*, *Salmantica*. Et est quadruplex, nempè *determinatus*, qui vnum determinatè significat, vt *Petrus*. *Demonstratiuus*, qui afficitur signo demonstratiuo, vt *hic homo*. *Ex suppositione*: qui licet plura posset significare, tamen facta aliqua suppositione, vnum tantum significat, vt *Filius Mariæ Virginis* significat Christum. Denique *vagus*, qui significat vnum, sed illud non determinat; vt *quidam homo*.

Tertiò diuiditur terminus vocalis in *concretum*, & *abstractum*. Concretus est, *qui significat formam concernendo subjectum*, vt *album*, quod significat albedinem in subjecto. Abstractus est, *qui solam formam significat*, vt *albedo*.

Quartò diuiditur terminus vocalis in *absolutum* & *connotatiuum*. Absolutus est, *qui significat rem ad modum per se stantis*, & idem est ac apud Grammaticos nomen substantiuum, vt *homo*. Connotatiuus est, *qui significat per modum alteri adiacentis*, & idem valet ac nomen adjectiuum, vt *bonus*.

Quintò diuiditur terminus vocalis in *finitum*, & *infinitum*. Infinitus est, *qui afficitur negatione*, vt *non homo*. Finitus est, *qui negatione caret*, vt *homo*. Vbi obserua, quod negatio aliquandò afficit solum terminum, vt si dicas: *Homo est non lapis*. Et hæc dicitur negatio infinitans. Aliquandò verò afficit verbum copulans extrema propositionis, vt si dicas: *Homo non est lapis*: quæ vocatur negatio negans, & reddit totam propositionem negatiuam: quia, vt vulgò dicitur, negatio est malignantis naturæ, & quidquid post se inuenit, destruit. Obserua etiam, quod termini infiniti nequeant deseruire ad propositionem scientificam: cum non determinent aliquid, & possint de ipso nihilo dici: Vndè relegandi sunt à ratione termini Logici, sicut ob eandem causam eos excludit Arist. à ratione nominis 1. *Perih. c.* 2.

Sextò, & vltimò diuiditur terminus vocalis in terminum *primæ*, & *secundæ intentionis*. Terminus primæ intentionis est, *qui significat rem secundum id, quod habet à parte rei*, vt *homo*, *leo*. Terminus autem secundæ intentionis est, *qui significat rem secundum id, quod habet ex consideratione intellectus*, vt *genus*, *species*.

His suppositis comparandi sunt termini inter se: & hoc pacto loquendo in plurali, sunt in duplici differentia. Alij *impertinentes*, alij verò *pertinentes*. Impertinentes dicuntur, *quorum vnus, nec infert alium, nec repugnat* vt *album*, & *dulce*. Pertinentes verò appellantur, *quorum vnus, vel infert alium*, vt *homo*, & *animal*, *vel repugnat illi*, vt *homo*, & *lapis*. Primi dicuntur pertinentes sequela: & secundi pertinentes repugnantia.

Pertinentes sequela alij sunt conuertibiles; videlicet, qui mutuò se inferunt, vt *homo*, & *rationale*: alij verò inconuertibiles, quorum scilicet vnus infert alium, sed non infertur ab illo, vt *homo*, & *animal*.

Pertinentes repugnantia alij sunt disparati, qui videlicet non habent oppositionem propriam, licet sint omninò diuersi, vt *homo*, & *equus*. Alij autem sunt propriè oppositi. Et quia oppositio est quadruplex, vt infrà latiùs exponemus *disp.* 16 *qu.* 3. §. 1. fit, quod etiam hi termini sint in quadruplici differentia. Alij opponuntur contrariè, vt *calor*, & *frigus*. Alij contradictoriè, vt *homo* & *non homo*. Alij priuatiuè, vt *visus*, & *cæcitas*. Alij denique relatiuè, vt *pater*, & *filius*.

CAPVT IV.

De Suppositione.

SIcut ex natura hominis oriuntur aliquæ proprietates, vt puta risibilitas: ità ad essentiam termini Logici nonnullæ proprietates sequuntur, quæ sunt *suppositio*; *ampliatio*, *restrictio*, *alienatio*, *diminutio*, & *appellatio*. Has autem oportet exponere, tum ad perfectiorem cognitionem termini, tùm quia illarum notitia non parùm necessaria est, & inter disputandum occurrit. Primum autem locum damus suppositioni: quia principalior est inter illas.

Suppositio ergo est *positio termini loco alicujus*. Et diuiditur in *materialem*, & *formalem*. Materialis est *positio termini loco sui ipsius*, vt cum dico: *Homo est nomen*: nam ly *homo* stat pro ipsa voce, non autem pro re significata. Et dicitur hæc suppositio materialis: quia ibi voces non se habent vt signa alterius, sed stant pro se ipsis. Suppositio verò formalis est *positio termini loco rei significatæ*, vt cum dicimus: *Homo est animal*. Nam cum non possimus ipsas res ad disputationem afferre, vtimur nominibus vice rerum, vt dicitur 1. *Elenchor. cap.* 1. Et hunc vsum, quo voces substituimus loco rerum, vocamus suppositionem formalem: eò quod voces exercent formaliter officium signi. Et relicta suppositione, aut significatione impropria, ac metaphorica, cujus suprà meminimus *cap.* 1. & quam à disputatione scientifica arcere oportet.

Suppositio propria, est duplex: alia *simplex*; & alia *realis*.

realis, seu personalis. Suppositio simplex est *positio termini loco sui significati primi, & immediati*. Et hæc suppositio datur, quoties subiectum est terminus primæ intentionis, & prædicatum secundæ; siue termini sint communes, siue singulares. Sit exemplum in hac propositione; *Homo est species*, in qua ly *homo* non supponit pro indiuiduis, nempè pro Petro, & Paulo; aliàs esset falsa: sed supponit prò natura humana in communi, quam primò, & immediatè significat. Et similiter in hac propositione: *Petrus est indiuiduum*, ly Petrus non supponit pro natura humana, quod est significatum remotum illius termini; alias propositio esset falsa: sed stat prò hoc determinato indiuiduo, quod primò, & immediatè significat. Ex quibus liquet nullam esse hanc consequentiam: *Homo est species: ergo Petrus est species*, & illam: *Petrus est indiuiduum; ergo homo est indiuiduum*.

Suppositio realis est *positio termini loco significat, tam proximi, & immediati, quam proximi, ac remoti*. Et hæc suppositio inuenitur, quoties subiectum, & prædicatum sunt termini primæ intentionis. Est autem duplex, nempè *communis*, & *discreta*. Illa datur, cum subiectum est terminus communis, vt si dicas: *Homo est animal*, vbi ly *homo* supponit non solum pro natura humana, quod est significatum immediatum illius vocis, sed etiam pro omnibus indiuiduis, quod est significatum remotum. Discreta verò contingit, quando subiectum est terminus singularis, vt si dicas: *Petrus studet*, vbi Petrus non solum supponit pro hoc homine, qui proximè significatur per illam vocem; sed etiam pro natura humana, quæ significatur remotè. Et ideò bene valet: *Petrus studet: ergò homo studet*.

Deinde suppositio realis diuiditur in *accidentalem*, & *naturalem*. Accidentalis est *positio termini pro re significata, secundum tempus significatum per copulam, & secundum exigentiam prædicati*, vt si dicas: *Homo est disputans*, ly *homo* ratione copulæ supponit solùm pro præsentibus, & ratione prædicati supponit tantum pro viris: quia fœminas non decet disputare. Et huiusmodi suppositio reperitur, quando propositio est in materia contingenti. Suppositio naturalis est *positio termini pro omnibus suis significatis existentibus, & non existentibus*. Vt si dicas: *Homo est animal*, ly *homo* stat pro omnibus hominibus præsentibus, & absentibus, existentibus, & non existentibus, fœminis, & viris. Et hæc suppositio datur, quando propositio est in materia naturali. Tunc enim copula non significat determinatum tempus; sed vnionem perpetuam inter subiectum, & prædicatum, & ideò semper propositio verificatur, quamuis non existant extrema.

Præterea suppositio communis diuiditur in *distributiuam, copulatiuam, determinatam, & confusam*. Distributiua contingit, quando terminus accipitur pro omnibus suis significatis seorsim, & copulatiuè sumptis: ita vt prædicatum verificetur de omnibus illis in propositione copulatiua: vt si dicas *Homo est animal*, ly *homo* supponit pro omni homine seorsim, & copulatiuè, ita vt verificetur: *Hic homo est animal*, & *hic homo est animal*, & sic de singulis.

Copulatiua inuenitur, cùm terminus accipitur pro omnibus suis significatis non seorsim, sed simul, & collectiuè sumptis: vt si dicas: *Omnes Apostoli sunt duodecim*, ly *Apostoli* non sumitur pro singulis Apostolis seorsim, sed pro omnibus collectiuè. Vnde non valet: *Omnes Apostoli sunt duodecim: ergo Petrus, & Paulus sunt duodecim*: sed inferendum est: *ergo iste, & iste, & iste, recensendo omnes, sunt duodecim*.

Determinata tunc datur, quando terminus accipitur pro omnibus suis significatis sumptis seorsim, & disiunctiuè, vt in hac propositione; *Aliquis homo est albus*: ex qua proindè non licet inferre: *Ergo hic homo est albus, & hic homo est albus, & sic de alijs*; sed inferendum est: *Ergo hic homo, vel hic homo est albus*. Confusa denique tunc contingit, cum terminus ita accipitur pro omnibus significatis, vt tamen sumatur pro hoc, vel illo (in quo differt à distributiua) & non supponat determinatè pro aliquo (in quo distinguitur à determinata) sed confusè, hoc est, vel pro omnibus, vel pro vno, vel pro altero. Sit exemplum in hac propositione: *Oculus requiritur ad videndum*: in qua ly *oculus* non supponit determinatè pro vno oculo, sicut si diceretur: *Aliquis oculus requiritur ad videndum*. Nec supponit distributiuè, sicut in hac propositione: *Omnis oculus requiritur ad videndum*. Sed stat confusè, & reddit hunc sensum: *Oculus requiritur ad videndum, vel dexter, vel sinister, vel vterque*. Et ideò ex illa propositione: *Oculus requiritur ad videndum*, non licet inferre: *Ergo aliquis oculus requiritur ad videndum*, neque: *Ergo iste, & iste requiritur*; sed inferendum est: *Ergo iste, vel ille, vel vterque*.

Porrò suppositio distributiua bipartitur in *completam*, & *incompletam*. Suppositio distributiua completa est *acceptio termini, non solum pro omnibus speciebus, sed etiam pro omnibus indiuiduis*, vt in hac propositione: *Omne animal est viuens*: in qua ly *animal* stat pro hoc homine, & pro hoc leone, & pro hoc equo, & sic de singulis animalibus, nullo excepto. Incompleta verò est *acceptio termini pro omnibus speciebus, non tamen pro omnibus indiuiduis*, vt in hac propositione: *Omne animal fuit in arca Noë*, quæ reddit hunc sensum: *Ex omnibus speciebus fuit aliquod animal in arca*. Et ideò non licet inferre, quod hoc animal modo existens fuerit in arca Noë.

His suppositis, priusquam regulas suppositionis statuamus, obseruandum est illa signa, quæ vocantur termini syncategorematici, esse in triplici differentia. Alij sunt purè vniuersalia, vt *omnis*, *nullus*. Alia purè particularia, vt *quidam*, *aliquis*. Alia mixta ex vniuersali, & particulari, vt *vterque*, id est, *aliquorum duorum omnis*: & *neuter*, id est, *aliquorum duorum nullus*: & *alter*, id est *omnium duorum aliquis*. Et ad hæc signa mixta reducuntur termini numerales, vt *duo*, *tria*, *quatuor*. Sicut etiam *semper*, *aliquando*, & similia aduerbia miscentur ex categorematico, & syncategorematico: nam *semper* idem valet ac *omni tempore*, & sic de alijs.

Prima ergo regula ad cognoscendum, quomodò termini supponant, sit: *Quoties terminus nullo afficitur signo, & propositio est in materia contingenti, supponit determinatè*, vt in hac: *Homo est albus*. Si verò fuerit in materia necessaria, supponit distributiuè, vt in hac: *Homo est animal*. Et ideo ex prima solum licet inferre: *Ergo aliquis homo est albus*; vel: *Ergo iste, vel ille est albus*. Ex secunda autem possumus concludere: *Ergo omnis homo est animal*; vel: *Ergo iste homo, & iste homo, & iste est animal*. Quia vt infra magis declarabimus, propositio indefinita in materia contingenti æquiualet particulari; in materia verò necessaria æquiualet vniuersali.

Secunda regula: *Cùm subiectum propositionis afficitur signo vniuersali affirmatiuo, tunc subiectum supponit distributiuè, prædicatum verò confusè*, vt in hac propositione: *Omnis homo est animal*: in qua ly *homo* supponit pro isto, & illo, & illo homine; ly autem *animal* stat confusè, & nullum determinat. Signum autem negatiuum distribuit, tam subiectum, quam prædicatum, vt in hac propositione: *Nullus homo est equus*; reddit enim hanc sensum. *Nec iste, nec ille, nec ille homo est iste, nec ille, nec ille equus*. ¶ Ab hac regula excipitur suppositio copulata, quæ non variatur, quamuis applicetur aliquod signum vniuersale, vt si dicas: *Omnes Apostoli sunt duodecim*, adhuc ly *Apostoli* non supponit distributiuè, sed copulatè.

Tertia

Tertia regula: *Cum subiectum afficitur signo particulari affirmatiuo, supponit determinatè; prædicatum verò relinquitur intactum*, vt in hac propositione: *Aliquis homo est albus*, ly *homo* supponit determinatè; *albus* verò perindè se habet, ac si nullum esset signum. Si verò signum fuerit particulare, & propositio negatiua, vt hæc: *Aliquis homo non est albus*, subjectum supponit determinatè, prædicatum verò distributiuè ratione negationis.

Quarta regula: *Quando subiectum afficitur signo mixto, supponit partim distributiuè, partim determinatè*, vt si dicatur: *Alter oculus est dexter*; sensus est: *Omnium duorum oculorum iste, vel ille est dexter*. Similiter cum dicitur; *Vterque pes est claudus*, hic sensus redditur; *Aliquorum duorum pedum iste, & iste est claudus*. Vbi obserua aliqua ex his signis magis accedere ad vniuersalia; & in his magis attenditur suppositio distributiua. Alia verò magis accedunt ad particularia; & hæc supponunt magis determinatè.

Quinta regula; *Signum mixtum ex categorematico, & sincategorematico, si fuerit vniuersale affirmatiuum, distribuit terminum categorematicum, cui immediatè applicatur, alios verò terminos confundit*. Verbi gratia hæc propositio: *Semper homo disputat*, æquiualet isti: *Omni tempore homo disputat*; & ideo tempus distribuitur; homo verò, & alij termini confunduntur. Si verò terminus mixtus fuerit vniuersalis negatiuus, tunc omnes termini distribuuntur, vt in hac propositione; *Nullus homo disputat*.

Sexta, & vltima regula; *Terminus, cui applicatur actio verbi, confunditur*, vt si dicas *Bis cantaui Missam*, confunditur missa; quia remanet sub confusione, an cantauerit duas Missas, vel bis eandem cantauerit. Et hæc signa dicuntur specialis confusionis.

Denique pro perfectiori huius materiæ intelligentia obserua duo. Primò regulas supra traditas extendi etiam ad terminos, qui ponuntur in obliquo. Et ideò in hac propositione; *Aliquis equus hominis currit*, ly *hominis* supponit determinatè sicut equus. Et in hac; *Omnis equus hominis currit*, ly *hominis* supponit distributiuè, sicut equus. ¶ Secundo, quod si plura signa afficiant eundum terminum, tunc quæratur signum æquipollens, & quemadmodum illud fecerit supponere; ita efficient alia duo. Sit exemplum in hac propositione; *Non omnis homo est albus*; quia *non omnis* est idem, ac *aliquis non*, ideo illa propositio æquiualet huic: *Aliquis homo non est albus*. Sicut ergo in hac ly *homo* stat determinatè, & ly albus *distributiuè*: ita in priori dicendum est. Si autem quodlibet signum afficiat terminum suum, in eo exercet suam vim, & impedit aliud signum, vt videre est in hac propositione: *Nullus homo est aliquis lapis*: in qua *homo* stat distributiuè, & *lapis* determinatè: quia licet ly *nullus* habeat vim distribuendi omnes terminos; nihilominus impeditur per subsequens signum *aliquis*: & ideo non exercet suam vim respectu prædicati.

CAPVT V.

De ampliatione, restrictione alienatione, & diminutione.

HAs quatuor termini proprietates, sub eodem capite comprehendimus: quia minoris momenti sunt, & faciliores intellectu; à quibus proinde breuiter nos expediemus.

Ampliatio est *extensio termini à minori ad maiorem suppositionem*. Et est duplex: alia *temporum*, alia verò *temporum, & suppositorum*. Ampliatio temporum contingit, *cum suppositio termini extenditur ad varias differentias temporum*, quæ apud Logicos sunt quinque, videlicet præteritum, præsens, futurum, possibile, & imaginatium, vt in hac propositione: *Auarus expetit pecunias*, pecuniæ ampliantur ad omnia tempora. Et ideo prædicta propositio reddit hunc sensum; *Auarus expetit pecunias, quæ fuerit, vel erunt, vel sunt possibiles, aut imaginariæ*. Ampliatio autem temporum, & suppositorum contingit, quando suppositio termini extenditur, non solum ad differentias temporis, sed etiam ad plura subiecta, vt in hac propositione: *Iusti in perpetuum viuent*, ly *iusti*, non solum extenditur ad varia tempora, sed etiam importat plura subiecta. Primus modus ampliationis conuenit terminis communibus, & singularibus: posterior autem solùm inuenitur in communibus. quia solus terminus communis habet plura indiuidua, ad quæ valeat fieri maior, aut minor ampliatio.

Restrictio est *coarctatio termini, à maiori ad minorem significationem*. Et fit quatuor modis. *Primò* per copulam implicationis, vt, *Homo, qui est iustus diligit Deum*. Vbi ly *homo* restringitur ad solos iustos. *Secundò* per additionem substantiui inferioris, vt, *Animal homo disputat*. *Tertiò* per positionem adiectiui, vt, *Homo albus disgregat visum*. *Quartò*, & vltimò per additionem casus obliqui, vt, *Doctrina D. Thomæ præstantior est alys*.

Alienatio est *translatio termini à propria ad impropriam significationem*, vt cum dicitur: *Vicit leo de tribu Iuda*, Leo transfertur à propria significatione, vt Christum Dominum significet.

Diminutio est *detractio partis suppositionis*, vt cum dicitur; *Æthyops est albus secundum dentes*, ly *albus* non supponit pro toto homine, sed pro quadam eius parte. Quod solet appellari dictum *secundum quid*. Si verò terminus detrahatur à tota significatione, vt in hac propositione: *Homo irrationalis est brutum*, tunc appellatur *remoto*.

CAPVT VI.

De appellatione.

APpellatio est *applicatio significati formalis vnius termini ad significatum alterius*. Pro cuius luce obserua, terminum concretum habere duplex significatum. Primum est formale, nempè ipsa forma, quam concretum significat, vt *humanitas*, & *albedo* sunt significata formalia *hominis*, & *albi*. Alterum est materiale, & est suppositum, quod connotat nomen concretum, tanquam subiectum formæ; vt *corpus*, & *persona* sunt significata materialia *albi*, & *hominis*. Appellare ergo est applicare significatum formale vnius supra significatum materiale, aut formale alterius. Ex quibus terminus, qui applicatur, vocatur *appellans*: ille verò cui fit applicatio dicitur *appellatus*. Vnde appellans debet esse terminus connotatiuus, vt sic possit applicari, seu alteri adiacere: appellatus autem id non petit, sed sufficit, quod sit categorematicus, & absolutus.

Hinc fit appellationem esse duplicem; nempe *materialem*, & *formalem*. Materialis contingit, *quando fit applicatio ad significatum materiale alterius*, vt cum dicitur: *Petrus logicus est magnus*, ly *magnus* applicatur Petro, non ratione Logicæ, sed ratione corporis. Formalis verò contingit, *cum fit applicatio ad significatum formale*, vt si dicas: *Petrus est logicus magnus*, magnitudo appellat supra Petrum quà logicum.

Pro cognoscendis autem appellationibus deseruient regulæ sequentes. Prima: *Si subiectum sit terminus connotatiuus. prædicatum verò connotatiuus, fit appellatio suprà materiale subiecti*. Propter quod hæc est falsa: *Christus*

est factus: quia suppositum Christi, quod est significatum materiale illius, non est factum, sed increatum, & diuinum. Et ob eandem rationem hæc est vera: *Christus est æternus*: quia suppositum est æternum. Vndè etiam in hac propositione: *Album est disgregatiuum visus*, disgregare solum appellat supra *corpus*, quod disgregat, licet disgregare conueniat ratione albedinis: quià propositio non curat, vndè id prouenlat.

Secunda: *Si ex parte subiecti sint duo termini, vnus absolutus, & alter connotatiuus, prædicatum appellat suprà absolutum*, vt in hac propositione: *Petrus logicus est magnus*, vbi magnitudo appellat supra Petrum, non supra Logicam. Si autem ex parte subiecti sit vnus tantum terminus absolutus, & ex parte prædicati duo connotatiui, tunc vnus connotatiuus appellat suprà alium connotatiuum, vt si dicas: *Petrus est Logicus magnus*.

Tertia: *actio significatiua per verbum appellat suprà formale, non verò suprà materiale termini cui adiungitur*, vt cùm dicitur: *vidi Papam, vel facio calceum*, sensus est vidisse Papam, cùm erat Papa, & fecisse formam calcei, non verò materiam.

Quarta: *Termini numerales applicati terminis absolutis appellant tam suprà materiale, quam suprà formale, & vtrumque multiplicant*, vt si dicas: *Video tres homines*, significas te videre tria supposita habentia tres humanitates. *Si autem applicentur connotatiuis, solum appellant suprà materiale, illudque multiplicant*, vt si dicas: *Video tria alba*, significas te videre tria supposita habentia albedinem, siue hæc sit vna, siue tres. Ex quo sequitur hanc esse falsam: *In diuinis sunt tres Dij*; hanc autem veram: *In diuinis sunt tres diuini*. Quia prima significat dari tres personas habentes tres deitates, quod est hæreticum: secunda verò dari tres personas habentes deitatem, quod est Catholicum. Si autem ly, *diuini*, sumeretur in vi nominis substantiui, secunda etiam propositio esset falsa: quo pacto accipitur adiectivum in Symbolo Athanasij, cum dicitur: *Non tres omnipotentes, non tres increati, non tres æterni, &c.*

In fine huius libri obseruandum est, proprietates terminorum vel ex eo addiscendas, & perfectè cognoscendas esse: quia ex earum ignorantia frequentes defectus in argumentatione occurrunt. Quod ex dictis *in præsenti capite* satis deprehenditur, si enim arguas: *Calceus est corium: sed fit calceus: ergo fit corium*; nulla est consequentia: quia variatur appellatio, & transit de materiali ad formalem. Quod posset etiam in aliis proprietatibus terminorum inductiuè ostendi, & ex dicendis amplius constabit.

LIBER TERTIVS

De Propositione.

POST voces simplices, quæ directioni primæ operationis intellectus deseruiunt, statim succedit propositio ex illis composita, per quam secunda operatio dirigitur. Et quià propositio est quædam oratio, & hæc coalescit ex nomine, & verbo; oportet, quod de his tribus aliqua breuiter prælibemus. Alias autem partes orationis, quas Grammaticus, & Rhetor congruitatis, vel ornatus gratia considerant, missas facimus in præsenti: quià Dialecticus solùm intendit discernere verum & falsum; ad quod sufficit quod propositio sit simplex, aut rudis oratio ex nomine, & verbo composita.

CAPVT I.

De Nomine, & Verbo.

NOmen *est vox significatiua ad placitum sine tempore, cuius nulla pars separata significat, finita & recta*. Hæc definitio traditur ab Aristot. 1. *Periherm. cap.* 1. & explicatur sic; Dicitur nomen *vox significatiua*, vt excludantur voces non significatiuæ: istæ quippè licet sint verè voces, non tamen nomina, vt diximus *lib. præced. cap.* 2. *Sine tempore*, vt excludatur verbum cuius est significare cum tempore, vt statim dicemus. *Cuius nulla pars separata significat*, vt excludatur oratio. *Finita*, vt excludantur termini infiniti. Et *recta*, vt excludantur casus obliqui. Vndè liquet Aristot. definisse nomen strictissimè acceptum, & quatenus potest deseruire propositioni scientificæ. Quamobrem à ratione nominis sic accepti, excluduntur termini complexi, infiniti, & obliqui: ij enim sicut termini, ità & nominis rationem participant solum secundum quid.

Verbum autem est *vox significatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta, & semper eorum, quæ de altero dicuntur nota*. Ità Aristot. vbi proximè *cap.* 2. Illæ particulæ: *Vox significatiua ad placitum, cuius nulla pars separata significat*, liquent ex definitione nominis. Aliæ verò vt explicentur, obserua hæc tria *significare tempus, connotare tempus, & significare cum tempore*, multum inter se differre. Nam significare tempus, conuenit vocibus impositis ad significandum tempus, vel partes eius, vt *annus, dies, hora*. Connotare verò tempus conuenit vocibus impositis ad significandum rem, quæ connotat aliquam durationem, eò quod fieri soleat tempore determinato, vt *cœna, prandium*. Significare autem cum tempore, conuenit vocibus impositis ad significandam actionem prout exercetur in tempore, vt *currit, vincit*. Significare ergo, aut connotare tempus conuenit quidem nomini: at significare cum tempore proprium est solius verbi, & participij. Vndè per illam particulam *cum tempore* differt verbum à nomine, & conuenit cum participio: à quo tandem distinguitur per alias particulas, nempè, & *est eorum, quæ de altero dicuntur nota*. Quia participium nequit esse nota, hoc est copula propositionis, siue vnio prædi-

prædicati cum subiecto.

Deindè additur finita, vt excludantur verba infinita, vt *non currit*, *non intelligit*: quia tam nomina, quam verba infinita nullam habent determinatam significationem, sed applicari queunt tam entibus, quam non entibus: & ideò non deseruiunt ad institutum scientificum. Vltimò additur *recta*, vt excludantur alia tempora, & modi præter præsens indicatiui. Loquebatur enim Aristot. de verbo, quod per se enuntiat veritatem: alia autem tempora illam enuntiant non per se, sed dependenter à tempore præsenti modi indicatiui; quandoquidem ideò verificatur: *Petrus cucurrit*, vel *Petrus curret*, quia aliquando fuit, aut erit verum de præsenti: *Petrus currit*.

CAPVT II.

De Oratione.

ORatio est *vox significatiua ad placitum*, *cuius aliqua pars separata significat*. Ita Arist. *vbi suprà c.* 4. In prioribus particulis: *Vox significatiua ad placitum*, conuenit oratio cum nomine, & verbo, vt constat ex dictis *cap. praced.* à quibus differt per id, quod sequitur: *Cuius aliqua pars separata significat*. Vt constat ex nuper dictis: obseruat autem D. Thom. *lect. 6.* quod *significare* sumitur in præsenti rigorosè, & vt distinguitur à *consignificare*: atque ideò de ratione orationis erit, quod aliqua illius pars sit terminus categorematicus, vt satis expressit translatio antiqua, quæ habet: *Cuius partium aliquid significatiuum est*. Non erit tamen contra rationem orationis, quod alia pars sit terminus syncategorematicus: vndè istæ sunt veræ orationes: *Omnis homo*, *nullus equus*. Et ità accipiendum est, quod suprà diximus, videlicet, *Orationem esse plures voces diuersa significantes*: non enim requiritur, quod vtraque pars propriè significet; sed sufficit vnam significare, & aliam consignificare.

Diuiditur autem oratio *in enuntiatiuam*, & *non enuntiatiuam*. Enuntiatiua est, *quæ aliquid affirmat*, *vel negat*. Et hæc semper fit per verbum modi indicatiui, & nomine incomplexo vocatur propositio: de qua in sequentibus agendum est. Oratio autem non enuntiatiua est, *quæ nihil affirmat vel negat*: in qua proindè nulla reperitur veritas, vel falsitas. Rursus, oratio non enuntiatiua diuiditur *in perfectam*, & *imperfectam*. Perfecta est, quæ licet non affirmet, vel neget; *tamen generat perfectum sensum*: quales sunt orationes modi imperatiui, & optatiui, vt *fac hoc*: & *vtinam faceres* &c. Imperfecta verò est, *quæ non generat perfectum sensum*, cuiusmodi sunt orationes, quæ carent verbo, vt *homo albus*, & orationes modi infinitiui, vt *Petrum legere*.

Vbi obserua, tres modos sciendi suprà explicatos contineri sub oratione non enuntiatiua. Et ratio est: quia in eis non reperitur affirmatio vel negatio; veritas, aut falsitas. Etenim *hominis definitio*, vt inquit Aristot. *vbi suprà cap.* 5. *nisi est*, *aut erat*, *aut erit*, *aut eiusmodi quidquam addatur*, nondum est oratio. Idemque de diuisione proportionabiliter dicendum. Hæc quippè est integra definitio essentialis hominis, *Animal rationale*: hæc perfecta diuisio essentialis metaphysica eiusdem, *Alia pars animal*, *alia rationale*. In quibus tamen orationibus nullum inuenitur verbum, quod erat necessarium ad orationem enuntiatiuam: & si daretur verbum, iam definitum, & diuisum ingrederentur definitionem, & diuisionem; & consequenter idem esset ignotum, & pars modi sciendi, quod est absurdum. Idemque de argumentatione formaliter accepta asserendum est: nam prout sic solum est quidam discursus, in quo nulla veritas, aut falsitas reperitur; cum consequentia non dicatur vera vel falsa, sed bona, vel mala, vt constat ex suprà dictis. Diximus: *In argumentatione formaliter accepta*: quià de materiali importat propositiones, quas certum est esse orationes enuntiatiuas. Differunt autem hi tres modi sciendi in eo, quod argumentatio est oratio perfecta: quia generat perfectum sensum: definitio autem, & diuisio sunt orationes imperfectæ ob oppositam rationem.

Obijcies: oratio, quæ manifestat ignotum, generat perfectum sensum; sed definitio v. g. est oratio manifestans ignotum: ergo generat perfectum sensum.

Respondetur negando maiorem: quià, vt generetur perfectus sensus, requiritur aliquid copulans ea, quæ in oratione habent rationem agentis, & patientis: quod licet fieri possit absque enuntiatione; minimè tamen absque verbo. Manifestare autem ignotum nihil aliud est, quam proponere distinctè ea, quæ confusè in ignoto continebantur: vndè si istud non contineat verbum, minimè oportet adducere verbum aliquod, sed sufficit proponere genus, & differentiam definiti, vel membra diuidentia diuisi: quod optimè fieri potest absquè verbo, vt constat ex nuper dictis. Quamobrem licet definitio, & diuisio manifestent ignotum, non generant perfectum sensum: & ideò continentur sub oratione non enuntiatiua, & imperfecta.

Inquires: quomodo hæc oratio, v. g. *homo albus*, sit terminus complexus? Videtur enim impossibile, quod aliquid contineatur sub diuersis generibus inter se non subordinatis, v. g. quod aliquid sit simul planta, & animal: oratio autem, & terminus sunt genera non subordinata: alias vel omnis terminus esset oratio, quod est falsum, vt apparet in termino incomplexo; vel omnis oratio esset terminus, quod etiam est absurdum, vt constat in propositione.

Respondetur, quod licet nihil possit essentialitèr constitui sub generibus non subordinatis, minimè tamen repugnare, quod accidentaliter collocetur sub illis: nam homo v. g. accidentaliter constituitur sub genere quantitatis, & denominatur quantus: & rursùs constituitur accidentaliter sub genere qualitatis, & fit v. g. albus: deindè constituitur accidentaliter sub genere relationis, & fit similis alteri albo, & sic de aliis, quin in hoc detur aliqua contradictio. Et ità contingit in præsenti: nam rationes termini, & orationis sunt quædam accidentia rationis respectu entitatis vocum. Vndè licet hæc nequeat essentialiter esse simul oratio, & terminus; minimè tamen repugnat, quod denominetur accidentaliter ab intentione vtriusque, & sub vtroque genere constituatur. Et ideò entitas v. g. harum vocum, *homo albus*, essentialiter solùm est in genere qualitatis; sed denominatur accidentaliter *oratio* à secunda intentione significationis, & *terminus complexus*, ab alia secunda intentione, ratione cuius fit extremum propositionis.

Cæteræ igitur orationes, inquit Aristot. *cap. 4. citato*, *missæ fiant: quoniam artis Rhetoricæ*, *vel Poeticæ magis propria est earum consideratio: enuntiatiua autem præsentis est inspectionis*. Vnde relictis omnibus orationibus non enuntiatiuis, tam perfectis, quam imperfectis, de sola enuntiatiua, quæ propositio vocatur, exinceps agendum est.

CAPVT III.

De Propositione.

PRopositio est *oratio enuntiatiua*. Ità definit Aristot. *loc. citat.* & definitionis intelligentia satis liquet ex dictis *cap. praeced.*

Diuiditur autèm propositio in *categoricam*, & *hypoteticam*. Categorica est, *quae constat subiecto, & praedicato tamquam partibus principalibus, & copula tanquam vnione*, vt *homo est animal*: quae etiam vocatur propositio *simplex*. Vbi obserua, subiectum aliquandò esse vnicam dictionem, vt in exemplo proposito: aliquandò verò vnam orationem, vt *homo albus disgregat visum*: aliquandò autèm integram propositionem, vt *homo qui est iustus diligit Deum*. Id autèm simplicitati propositionis categoricae minimè obest: quia illa integra propositio implicatur per modum vnius subiecti, & gerit vicem illius: vndè eius copula solet dici minus principalis, & copula implicationis: quia veritas propositionis non attenditur penes illam, sed penes copulam secundam, seù principalem. Idemquè contingit in hac propositione: *Homo est animal, est propositio*: quia prima propositio gerit vicem vnici subiecti. ¶ Obserua etiam quòd licet in categorica non semper explicetur praedicatum, id non est, quia verè non habeat illud, sed quia includitur in verbo, vt cùm dicitur: *Homo disputat*, sensus est: *Homo est disputans*.

Propositio hypotetica est, *quae constat duabus propositionibus, tanquam partibus principalibus aliqua vnione vnitis*, vt *Magister docet, & Discipulus audit*. Et haec vocatur propositio *composita*: de qua latius agemus *cap. seq.* Hic autèm obseruandum est, diuisionem propositionis in categoricam, & hypoteticam esse analogi in analogata. Quod docet D. Thom. *opusc. 48. tract. de enuntiatione cap. 6.* & facilè ostenditur: nàm enuntiare, in quo sita est essentia propositionis, est vnum de alio dicere: sed hoc conuenit simplicitèr propositioni categoricae, quae praedicatum praedicat de subiecto, vt ex se liquet; hypotetica autèm non praedicat vnam propositionem de alia, sed vnam alteri vnit, quod est vmbra quaedam enuntiationis: ergo categorica participat simplicitèr rationem propositionis; hypotetica verò solùm secundum quid, & consequenter praedicta diuisio est analogi in analogata, iuxtà ea, quae diximus *lib. 1. cap. 3.*

Rursus propositio categorica diuiditur in *affirmatiuam*, & *negatiuam*. Illa est, quae *applicat praedicatum subiecto*, vt *homo est animal*. Haec verò, *quae remouet praedicatum à subiecto*, vt *homo non est lapis*. Quae diuisio est essentialis, & generis in species: quia enuntiare, in quo consistit essentia propositionis, formalitèr, & propriè fit, vel applicando vnum alteri, quod est affirmare; vel remouendo vnum ab alio, quod est negare. ¶ Et confirmatur: quia praedictae differentiae ità pugnant inter se, vt nunquam eidem propositioni conueniant: ergo signum est, esse differentias essentiales. Sicut ob oppositam rationem diuisio propositionis in veram, & falsam non est essentialis, sed accidentalis, & subiecti in accidentia: quia eadem propositio potest transire de vera in falsam, aùt è conuerso, vt haec propositio: *Petrus sedet*, est vera eo sedente; & falsa si stet. Quod satis euincit veritatem, & falsitatem esse accidentia propositionis.

Sed prò intelligentia aliarum diuisionum propositionis animaduertè, quòd sicut in homine v. g. reperiuntur forma, materia, quantitas, & qualitas: ità in propositione eadem quatuor proportionabilitèr distinguenda sunt. *Forma* est vnio praedicati ad subiectum. *Materia* est habitudo eorum, quae vniuntur, antecedens ipsam vnionem. *Quantitas* est illa magnitudo, secundum quam propositio dicitur vniuersalis, vel particularis. Denique *qualitas* est illa habitudo, secundum quam propositio dicitur vera, vel falsa.

Deindè nota, materiam propositionis esse triplicem: nempè *naturalem*, *contingentem*, & *remotam*. Naturalis datur, *quandò praedicatum est de essentia, vel proprietas subiecti*. Contingens, *quandò praedicatum est accidens commune subiecti*; Remota verò, *cum praedicatum subiecto repugnat*. Et haec vera sunt, licet propositio varietur penes affirmationem, aut negationem, vniuersalitatem, aut particularitatem; veritatem, aut falsitatem; quia adhuc remanet habitudo extremorum, quae praecedit actualem praedicationem. Et ideò istae propositiones sunt in materia naturali: *Homo est animal; homo non est animal*; & istae in materia contingenti: *Homo est albus, homo non est albus*; & istae in remota: *Homo est equus: homo non est equus*.

Quibus suppositis, propositio categorica potest iterùm multiplicitèr diuidi: nàm in primis ratione materiae diuiditur in *necessariam*, *contingentem*, & *impossibilem*. Necessaria est, *quae enuntiat rem, quae aliter se habere non potest*: quod conuenit affirmatiuae in materia naturali, & negatiuae in remota, vt *homo est animal*, *homo non est lapis*. Impossibilis est, quae enuntiat rem, *quae sic se habere non potest*: quod conuenit negatiuae in materia naturali; & affirmatiuae in remota, vt *homo non est animal*, *homo est lapis*. Contingens est, *quae enuntiat rem, quae aliter se habere potest*: quod conuenit propositioni in materia contingenti, siuè sit affirmatiua, siuè negatiua, vt *homo est albus*, *homo non est albus*. ¶ Ratione *formae* diuiditur propositio, in affirmatiuam, & negatiuam, quarum rationes satis constant ex supra dictis.

Deindè ratione quantitatis diuiditur in *vniuersalem*, *indefinitam*, *particularem*, & *singularem*. Vniuersalis est, *cuius subiectum est terminus communis signo vniuersali affectus*, vt *omnis homo est animal*. Indefinita est, *cuius subiectum est terminus communis nullo signo affectus*; & haec in materia naturali, & remota aequiualet vniuersali, vt *homo est animal*, *homo non est lapis*; in materia verò contingenti aequiualet particulari, vt *homo est albus*. Particularis est, *cuius subiectum est terminus communis affectus signo particulari*, vt *aliquis homo est albus*. Denique singularis est, *cuius subiectum est terminus singularis*, siuè sit determinatus, vt *Petrus*, siuè demonstratiuus, vt *hic homo*, siuè ex suppositione, vt *Filius Mariae Virginis*. Quae omnia verificantur siuè praedicatum sit terminus vniuersalis, siuè particularis: non enim prò dignoscenda quantitate propositionis attenditur ad praedicatum, sed solum ad subiectum, quòd habet rationem materiae: sicut etiam in naturalibus quantitas conuenit composito ratione materiae.

Tandem ratione qualitatis diuiditur propositio in *veram*, & *falsam*. Vera est, *quae enuntiat rem sicuti est in se*, vt *homo est animal*. Falsa est, *quae enuntiat rem aliter, ac est in se*, vt *homo non est animal*. Pertinet etiam ad qualitatem propositionis, esse exclusiuam, exceptiuam, &c. de quibus agemus infrà.

CAPVT IV.

De Propositionibus hypoteticis.

PRopositio hypotetica, quam *cap. praeced.* definiuimus, diuiditur in *copulatiuam, disiunctiuam, & conditionalem*. Copulatiua est, *cuius partes principales vniuntur particula copulatiua*, quales sunt *&*, *ac*, *nec*, & similes, vt si dicas: *Homo est rationalis, & equus est hinnibilis; Nec homo est equus, nec equus est homo*. Et, vt copulatiua sit vera, debet habere vtramque partem veram, sed vt sit falsa, sufficit, quòd vtraque, vel altera pars sit falsa. Vt autem sit possibilis, non sufficit habere vtramque partem diuisiuè possibilem; sed requiritur, quod sint compossibiles. Et ideò hæc propositio: *Petrus loquitur, & non loquitur* dicenda est simplicitèr impossibilis: quia licet quælibet pars seorsim accepta sit possibilis, coniunctio tamen earum repugnat.

Disiunctiua est, *cuius partes principales vniuntur coniunctione disiunctiua*, quales sunt *vel*, *aut*, *siuè*, & similes, vt si dicas: *Vel Petrus loquitur, vel sedet*. Hæc autem verificatur, si habeat vnam partem veram: est autem falsa, si vtraque pars falsa sit. Quòd si contingat vtramque partem veram esse, tunc distinguendum est; quia vel disiunctio sumitur in vi disiunctionis, quo pacto facit propositionem exclusiuam, redditque hunc sensum: *Vnum tantum istorum verum est*. Quamobrem, si vtrumque extremum sit verum, tota hypotetica erit falsa. Vel sumitur disiunctio non in rigore disiunctiuo, sed vt valet idem, ac *saltèm*, vel *ad minus*: quo pacto reddit hunc sensum: *Vnum saltèm istorum duorum verum est*. Et in hac acceptione sufficit ad veritatem disiunctiuæ veritas vnius partis, & non obest veritas vtriusque.

Conditionalis est, *cuius partes principales vniuntur particula, si, vel alia simili*, vt in hac propositione: *Si Petrus disputat, loquitur*. Sub conditionali comprehenduntur etiam hypotetica *rationalis*, & *causalis*. Illa est *cuius partes vniuntur particula ergo*, vt si dicas: *Petrus ambulat; ergo mouetur*. Hæc autèm est *cuius partes vniuntur particula quia, vel alia coniunctione causali*, vt cum dicitur: *Quia ignis est, calor est*. In his autem propositionibus, cùm sint veræ argumentationes, vna oratio vnitur alteri per modum cuiusdam consecutionis, & prima dicitur antecedens, & secunda consequens. Vbi obserua, prædictas orationes esse simpliciter argumentationes, ac proindè dicendas esse in rigore *bonas*, vel *malas*. Sed quia habent modum quendam enunciationis, saltèm virtualitèr; ideò participant vtcumque rationem propositionis, & prout sic dicuntur *veræ*, aut *falsæ*, saltèm secundum quid.

Ad veritatem harum propositionum requiritur generalitèr, quòd consequentia sit bona, seù quòd consequens inferatur legitimè ex antecedenti. Sed ad veritatem rationalis insuper desideratur antecedens esse in se verum: & ideò hæc est falsa: *Homo est equus; ergo est animal*; licèt consecutio sit bona. Similitèr ad veritatem causalis requiritur, quòd antecedens sit causa consequentis: quamobrem hæc est falsa: *Quia homo est risibilis, est rationalis*. Vt autèm conditionalis sit vera, sufficit consecutionem esse legitimam; etsi vtrumque extremum sit in se falsum: vnde hæc est vera: *Si immobile currit, immobile mouetur*: & è conuerso hæc est falsa: *Si Petrus est albus, Petrus est musicus*, quia licèt contingat vtrumque extremum esse verum, consequentia est illegitima. Vndè emanauit commune illud axioma, *Conditionalis nihil ponit in esse*.

Quod, vt altius penetres, obserua propositionem conditionalem posse sumi duplicitèr. Primò in rigore consequentiæ: & tunc ad veritatem illius sufficit, & requiritur, quod consequentia sit bona, siuè quod posito antecedenti, & circumscriptis quibuscumque alijs, sequatur consequens: siuè aliàs antecedens, & consequens sint vera, siuè falsa, siuè possibilia, siuè impossibilia, siuè necessaria, siuè contingentia. Et quia consequentia, quæ secundum se est bona, semper est bona, ac proindè necessaria: & quæ secundum se est mala, semper est mala, & per consequens impossibilis: propptereà omnis propositio conditionalis vera est necessaria; & omnis conditionalis falsa est impossibilis: & consequenter nulla datur conditionalis contingens. Quapropter ista propositio: *si Petrus venerit in Ecclesiam, conuertetur*; & similes, si illatiuè accipiantur, sunt impossibiles, & determinatè, ac omnino falsæ: quia ex illo antecedenti, circumscriptis alijs, minimè colligitur consequens. Quod expressè docet D. Thom. 7. *Metaph. lect.* 13. *& alibi*.

Potest autèm dictio *si* accipi non illatiuè, sed concomitanter, ità vt significet coniunctionem consequentis ad antecedens fundatam non in bonitate consequentiæ secundum se; sed in aliquo proposito, aut promissione, ratione cuius posito antecedenti, poneretur etiàm consequens, vt patet in illa propositione: *Si Petrus venerit in Ecclesiam, conuertetur*, quæ est vera ex suppositione decreti Dei ità determinantis. In his autèm propositionibus ità acceptis, licèt interueniat aliqua consecutio: hæc tamèn non est bona secundum se: sed innititur decreto, proposito, aut promissioni decernentis, quod posito antecedenti, ponatur consequens. Ad earum ergo veritatem requiritur, quod cùm enunciantur verè existat illud decretum, vel promissio, in quibus fundantur. Ad falsitatem verò sufficit, quòd non detur à principio illud fundamentum; quamuis posteà euentus sequatur. Et ideò hæc est falsa: *Si prò me intercesseris apud regem, dabo tibi equum*, si promittens non habuit propositum sic faciendi; licèt posteà, facta intercessione apud regem, donetur equus. Vndè fit nullam propositionem conditionalem de futuro contingenti, quatenùs antecedit propositum diuinum, esse determinatè veram, adhuc concomitantèr. Videatur Aluarez *lib.* 2. *de Auxilijs, disputat.* 7.

Denique circà hypoteticas obseruandum est esse affirmatiuas, quandò principalis copula affirmatur; siuè extrema sint affirmata, siuè negata, & ideò istæ sunt affirmatiuæ: *Si homo est animal, est sensibilis; si homo non est animal, non est sensibilis*. Sunt autèm negatiuæ, quandò copula est negatiua; siuè extrema sint negata, siuè affirmata: & ideò istæ sunt negatiuæ: *Non si Petrus mouetur, currit; Non si Petrus non mouetur, non currit*.

§ Vniuersalitas autèm, vel particularitas, quæ sunt quantitas propositionis, in hypoteticis non inuenitur: quia quantitas attenditur penes subiectum: hypoteticæ autèm non componuntur ex subiecto, & prædicato.

Quia ergo propositio hypotetica solùm secundum quid participat rationem propositionis ex quadam similitudine ad categoricam; ideò quidquid de his dictum fuerit, poterit proportionabilitèr hypoteticæ applicari. Quamobrem pluribus omissis, quæ solent alij de hypoteticis pertractare, categoricæ proprietates elucidare studebimus. Prius tamèn agemus de ijs, quæ nullo afficiuntur modo, & simplices appellantur: quia faciliores sunt intellectu. Posteà vero de modalibus agendum est: ad quas simplices expeditiorem sternent viam.

CAP.

CAPVT V.

De Oppositione propositione simplicium.


PRopositio simplex quasdam sibi vendicat proprietates, nempè *oppositionem*, *aequipollentiam*, & *conversionem*: quas in hoc, & sequentibus capitibus exponemus. Oppositio ergo est *affirmatio, & negatio eiusdem de eodem*, vt si dicas: *Petrus est albus, Petrus non est albus.*

Ex hac autem definitione legitimè intellecta plura colliguntur requisita ad veram oppositionem. Primum, *vt copula principalis, quae affirmatur in vna propositione, negetur in alia*, vt patet in exemplo adducto. Defectu hujus requisiti, istae non opponuntur: *Petrus, qui disputat loquitur: Petrus, qui non disputat loquitur.*

Secundum est: *vt in vtraque propositione maneant idem praedicatum, & subjectum in nomine, in re significata, in integritate, in tempore, & in loco*: quià haec omnia importantur per ly *eiusdem de eodem*, quod ponitur in oppositionis definitione.

Defectu ejusdem *nominis* eae non opponuntur: *Angelus est Dei: Angelus non est Deus.* ¶ Defectu ejusdem *rei significatae* istae carent oppositione: *Canis latrat; Canis non latrat*, si in prima fiat suppositio prò lattabili, & in secunda prò coelesti. Quod frequens est in aequiuocis. ¶ Defectu *integritatis* non opponuntur illae propositiones, in quarum vna deest aliqua pars, vel modus praedicati, & subjecti, quae erant in alia: siuè sit casus obliquus, siuè aduerbium, siuè copula implicationis, aùt quid simile. Et propter hunc defectum non reperitur oppositio in his: *Petrus currit; Petrus non currit velociter. Omnis equus regis possidetur à rege: Aliquis equus non possidetur à rege: Omnis homo est omne animal: Aliquis homo non est animal.* Excipiuntur signa, quae reddunt propositionem vniuersalem, aut particularem, de quibus posteà dicemus. ¶ Defectu *ejusdem temporis* eae non opponuntur: *Petrus disputat, Petrus non disputat*, si accipiantur prò diuersis temporibus. ¶ Denique defectu *eiusdem loci* non opponuntur istae: *Magister est in aula; Magister non est in aula*, si prima proferatur, dum est in aula: & secunda, cum est in Ecclesia. Quae omnia comprehenduntur, si in oppositione eaedem proprietates terminorum obseruentur, excepta suppositione, quae prouenit à signis; haec enim aliquando variatur, vt jam dicemus.

Oppositio ergo sic explicata diuiditur in *contradictoriam*, *contrariam*, *subcontrariam*, & *subalternam*. Contradictoria inuenitur inter propositiones vniuersalem, & particularem, vt *Omnis homo est animal; Aliquis homo non est animal*. Contraria, inter duas vniuersales, vt *Omnis homo est animal; Nullus homo est animal*. Subcontraria, inter duas particulares, vt *Aliquis homo est animal; Aliquis homo non est animal*. Et in omnibus his supponitur vnam propositionem esse affirmatiuam, & aliam negatiuam; quià hoc est proprium oppositionis rigorosae. Vndè oppositio subalterna, quae datur inter propositiones, quarum ambae sunt affirmatiuae, vel negatiuae; vna tamen vniuersalis, & alia particularis, vt *Omnis homo est animal; Aliquis homo est animal*, impropriè dicitur oppositio; cum ibi non interueniat affirmatio, & negatio. Quià tamen inuenitur inter propositiones habentes diuersam quantitatem, potest vtcumquè dici oppositio. Appellatur autem subalterna; quia particularis continetur sub vniuersali, ex quibus haec vocatur subalternans, & illa subalternata. Prò quibus melius comprehendendis deseruit sequens figura.



Sed prò majori intelligentia oppositionis adhuc nota, ad oppositionem contradictoriam, quandò subjectum est terminus supponens realiter, requiri, quod in vna propositione afficiatur signo vniuersali, & in alia particulari, vt *Omnis homo est animal, Aliquis homo non est animal* ... ratio est; quia contradictio est maxima oppositio ... *Aristotel. 10. Metaphys. capite septimo*; *Logic.* vndè nullum permittit medium; sed est totalis remotio affirmationis per negationem. Quando autem subjectum est terminus communis supponens realiter, negatiua vniuersalis totalitèr destruitur per particularem affirmatiuam, & affirmatiua vniuersalis per negatiuam particularem; & ideò in praedicto casu debet contradictio exerceri variata quantitate propositionum. ¶ Si autem subje-

ctum sit terminus singularis, vel communis supponens simpliciter, copulatè, & confusè; debet manere inuariatum in vtraque propositione, nulla facta mutatione in quantitate, vt videre est in his contradictorijs; *Petrus currit; Petrus non currit. Homo est species; Homo non est species. Omnes Apostoli sunt duodecim; Omnes Apostoli non sunt duodecim. Oculus requiritur ad videndum; Oculus non requiritur ad videndum.* Et ratio est; quia si in his propositionibus mutaretur quantitas, jam affirmatio vnius non destrueretur per negationem alterius, vt liquet in his; *Omnes Apostoli sunt duodecim: Aliqui Apostoli non sunt duodecim*: facilèque constabit consideranti alia exempla.

Deindè prò signis mixtis ex vniuersali, & particulari obserua, alia esse magis vniuersalia, vt *vterque, & neuter*: alia verò magis particularia, vt *alter, & alter non*. Vndè *vterque*, & *neuter* opponuntur contrariè: *alter*, & *alter non* subcontrariè: *vterque, & alter non*, & similiter *neuter*, & *alter* contradictoriè. ¶ Pari proportione conjunctio *&* est signum vniuersale, & conjunctio *vel* signum particulare. Quocircà cùm subjectum vnius propositionis est copulatum per copulam, *&*, debet manere eadem conjunctio in propositione contraria, vt apparet in his: *Petrus, & Paulus est rationalis: Petrus, & Paulus non est rationalis*. Sed vt fiat contradictio, debet *&*, mutari in *vel*, dicendo: *Petrus, & Paulus est rationalis: Petrus, vel Paulus non est rationalis*. Erunt autem subcontrariæ, si in vtraque propositione extremum copuletur per *vel*, vt si dicas; *Petrus, vel Paulus est rationalis; Petrus, vel Paulus non est rationalis*; Quæ intelligenda sunt, cùm partes subjecti non copulantur in ordine ad verbum de plurali; tunc enim subjectum supponit copulatè, & per modum singularis, vt *Petrus, & Paulus currunt*. Quamobrèm tunc non poterit exerceri nisi oppositio contradictoria, sicut contingit in alijs singularibus; nec potest mutari quantitas, sed debet eadem conjunctio, *&*, retineri in propositione contradictoria dicendo; *Petrus, & Paulus non currunt*.

Deniquè obserua, quod in propositionibus affectis terminis numeralibus, vt, *bis, tria* &c. fit optimè contradictio præponendo negationem secundæ propositioni, dicendo v. g. *Bis cantaui Missam; Non bis cantaui Missam*.

CAPVT VI.

De legibus oppositionum.

EX dictis colliguntur aliquæ regulæ, prò vnaquaque oppositione. Prima est, *Contradictorias in nulla materia posse esse simul veras, aut simul falsas*. Ratio est; quià in contradictorijs affirmatio vnius totaliter destruitur per negationem alterius, (propter quod contradictio dicitur maxima oppositio, & nullum habere medium) ergo sicut est impossibile idem simul esse, & non esse; ità repugnat duas contradictorias simul esse veras, aut simul non esse veras, sed falsas. Quidquid autem oppositionis inuenitur in alijs, est per participationem à contradictoria, juxtà illud; *Primum in vnoquoque genere est causa cæterorum, quæ sunt in tali genere*. Id verò, quod addunt suprà oppositionem contradictoriam potius minuit repugnantiam; quià est conuenientia in quantitate, nempè vniuersalitatis in contrarijs, & particularitatis in subcontrarijs.

Secunda lex; *Contraria valent esse simul falsa in materia contingenti; & nequeunt esse simul vera in vlla materia*. Primum liquet in his propositionibus; *Omnis homo est albus; Nullus homo est albus*. Quæ euidenter falsæ sunt. Quod etiam contingit in propositionibus indirectis, in quibus inferius prædicatur de superiori, vt si dicas; *Omne animal est rationale; Nullum animal est rationale*; quià inferius habet rationem accidentis respectu superioris. Secundum autem probatur; quià ex opposito fieret, posse dari duas contradictorias simul veras. Si enim hæc est vera; *Omnis homo est albus*, etiam particularis sub illa contenta, nempe; *Aliquis homo est albus*, erit vera; sed hæc est contradictoria alterius vniuersalis negatiuæ, nempè, *Nullus homo est albus*; ergo si hæc etiam est vera, sequitur dari duas contradictorias simul veras.

Tertia lex; *Subcontrariæ possunt esse simul veræ in materia contingenti; & nequeunt in vlla materia esse simul falsæ*. Primum constat in his; *Aliquis homo est albus; Aliquis homo non est albus*, quæ veræ sunt. Secundum suadetur ex dictis; quoniam ex opposito fieret dari duas contradictorias simul veras; si enim duæ subcontrariæ sunt simul falsæ, earum contradictoriæ erunt simul veræ: istæ autem sunt duæ vniuersales inter se contrariæ: cum ergo ex duabus contrarijs simul veris, sequantur duæ contradictoriæ simul veræ, vt modò vidimus, jam ex duabus subcontrarijs falsis colligerentur duæ contradictoriæ simul veræ.

Quarta lex. *Ex subalternis in materia naturali si vna est vera, altera etiam est vera; & idem dicendum est de falsitate. Sed in materia contingenti fieri potest, quod vniuersalis sit falsa, & particularis vera*, vt patet in his; *Omnis homo est albus: Aliquis homo est albus. Sed fieri nequit, vt vniuersalis sit falsa, & particularis vera.*

Contra primam regulam objicies: istæ sunt contradictoriæ: *Omne album aliqua albedine est album: Aliquod album aliqua albedine non est album*, & tamen sunt simul veræ; ergo possunt dari duæ contradictoriæ simul veræ. ¶ Confirmatur primò; quia istæ; *Omnis hominis alter oculus est dexter; Alicuius hominis alter oculus non est dexter*, sunt verè contradictoriæ; quas tamen constat esse simul veras; ergo &c. ¶ Confirmatur secundò, nam hæ etiam sunt simul veræ; *Omnis homo seruans omne mandatum Dei saluabitur; Aliquis homo seruans aliquod mandatum Dei non saluabitur*. Et similiter istæ sunt veræ; *Omne animal fuit in arca Noë; Aliquod animal non fuit in arca Noë*. Quibus tamen nihil videtur deficere ad veram contradictionem. Non ergo est vniuersalitèr verum repugnare duas contradictorias simul veras, aut simul falsas.

Respondetur objectioni, illud obliquum, *aliqua albedine* esse partem prædicati, quod in prima propositione affirmatur de subjecto; vndè in secunda debet illud obliquum negari; quod fiet præponendo ei negationem. Vnde istæ sunt verè contradictoriæ; *Omne album aliqua albedine est album; Aliquod album non aliqua albedine est album*. Et hinc colliges generalem regulam prò contradictorijs, nempè quod quandò vna est vniuersalis, & alia particularis, terminus distributus in vna non distribuatur in alia; & non distributus in vna, distribuatur in altera, ità scilicet, vt nullus maneat in vtraque indistributus. Et defectu huius regulæ propositiones, quæ nobis objiciuntur, carent contradictione; quia ly *aliqua albedine*, in nulla earum distribuitur, vt consideranti constabit.

Ad primam confirmationem constat ex dictis; nam ly *alter oculus* in nulla propositione distribuitur. Fierent autem contradictoriæ, si diceretur: *Omnis hominis alter occulus est dexter; Alicuius hominis non alter oculus est dexter*. Adde quantitatem propositionis non attendi ex obliquo, sed ex casu recto. In vtraque autem propositione ly *alter oculus*, quod habet rationem recti, est terminus particularis, Vndè non sunt contradictoriæ, sed

sub-

subcontrariæ. Fient autem contradictoriæ, si inuariato obliquo, mutetur rectus secundum quantitatem dicendo; *Omnis hominis alter oculus est dexter*; *Omnis hominis neuter oculus est dexter*.

Ad secundam negamus illas primas propositiones esse contradictorias; quia ly *omne mandatum* supponit copulatè in prima propositione, & ideò retinenda est eadem suppositio in secunda, vt fiat contradictio, dicendo; *Omnis homo seruans omne mandatum Dei saluabitur*; *Aliquis homo seruans omne mandatum Dei non saluabitur*. Ad alias propositiones respondemus, quod si in vtraque seruetur suppositio completa, prima est falsa, & secunda vera; si autem seruetur in vtraque suppositio incompleta, prima est vera, & secunda falsa; si verò in prima fiat suppositio incompleta, & in secunda completa, tollitur contradictio; quia suppositio variatur; & ideò nil mirum, quod vtraque habeat verum sensum.

Contra secundam regulam oppones; ideò nequeunt duæ contradictoriæ esse simul falsæ in vlla materia, quia affirmatiua totaliter destruitur per negatiuam; sed hoc idem inuenitur in contrarijs; siquidem ista; *Omnis homo est animal*, totaliter remouetur per hanc; *Nullus homo est animal*, nec potest dari medium inter illas; ergò in nulla materia possunt dari duæ contrariæ simul falsæ.

Respondetur, quod duæ contradictoriæ ideò nequeunt in vlla materia esse simul veræ, aut falsæ, quià, ex vi formæ, nullum admittunt medium, siquidem inter *nullus* v. g. & *aliquis*, nullum medium excogitari potest. Contrariæ autem, quantum est ex parte formæ, permittunt aliquod medium; cum inter *nullum*, & *omne* mediet *aliquis*, vt ex se liquet. Vndè in contrarijs vnum extremum non remouetur totaliter per aliud extremum, sed relinqui potest aliquod medium possibile. Et ità contingit in materia accidentali; nam inter has; *Omnis homo est albus*; *Nullus homo est albus*, quæ sunt falsæ mediant istæ; *Aliquis homo est albus*; *Aliquis homo non est albus*, quæ sunt veræ. Quod si contrariæ sint in materia naturali, quales sunt illæ, quæ recensentur in obiectione; tunc ratione materiæ excludunt omne medium; quià non stat vniuersalem esse falsam, si particularis est vera: siquidem qua ratione aliquis homo est animal, verificatur, quod omnis homo est animal. Vndè non est vniuersaliter verum repugnare duas contrarias, simul falsas in quacumque materia.

CAPVT VII.

De æquipollentia, & conuersione propositionum simplicium.

ÆQuipollentia est *eadem vis duarum propositionum à diuersis signis prouenient*. Eamquè inuenerunt Dialectici, vt propositiones obscuras resoluerent in clariores. Prò quo tria obseruanda sunt, quæ significantur hoc carmine,

Præ contradic; post contra; præ, postquè subalter.

Quod sic exponitur, *Vt duæ contradictoriæ fiant æquipollentes, præponenda est negatio subiecto earum*. Sit exemplum in his contradictorijs; *Omnis homo est animal*; *Aliquis homo non est animal*; quas reddes æquipollentes, si præponas negationem cuilibet illarum dicendo v. g. *Non aliquis homo non est animal*; fit enim æquipollens primæ scilicet, *Omnis homo est animal*; quia *non aliquis non* idem valet ac *omnis*. Et hoc significatur per illam particulam carminis, *Præ contradic*.

Vt duæ contrariæ fiant æquipollentes, postponenda est negatio subiecto cuiuslibet earum. Et ideò has; *Omnis homo est animal*, *Nullus homo est animal*, reddes æquipollentes dicendo: *Omnis homo non est animal*; sic enim æquiualet secundæ, nempè, *Nullus homo est animal*; quià *omnis non* idem valet ac *nullus*. Et hoc significatur illa particula, *Post contra*.

Vt duæ subalternæ fiant æquipollentes, applicandæ sunt duæ negationes cuilibet earum, vna ante subiectum, & alia post illud. Vndè istas; *Omnis homo est albus*; *Aliquis homo est albus*, facies æquipollentes, si dicas; *Non aliquis homo non est albus*; ità enim æquiualet primæ, nimirum, *Omnis homo est albus*; quià *non aliquis non* idem valet ac *omnis*. Et hoc important posteriores illæ particulæ, *Præ postque subalter*; Prò subcontrarijs nulla traditur regula; quià nunquam possunt fieri æquipollentes, quantumuis varientur signa, vt consideranti constabit.

Ex dictis sequitur signa, quibus propositiones fiunt æquipollentes, esse a fortiori æquipollentia inter se. Hæc autem comprehenduntur sequentibus versibus.

Non omnis, quidam non; omnis non, quasi nullus.
Non nullus, quidam; sed nullus non, valet omnis.
Non aliquis, nullus; non quidam non, valet omnis.
Vterque non, neuter; neuter non, valet vterque.
Non alter, neuter; non alter non, est vterque.

Conuersio est transmutatio vnius extremi totalis in alterum extremum totale, videlicet subiecti in prædicatum & è conuerso. Diuiditur autem in simplicem, & per accidens. Conuersio simplex est, *transmutatio extremorum manente eadem quantitate & qualitate*, nempè vniuersalitate, aut particularitate, affirmatione, aut negatione, veritate, aut falsitate. Et hoc modo conuertitur vniuersalis negatiua, v. g. *Nullus homo est lapis*. *Nullus lapis est homo*: & particularis affirmatiua, v. g. *Aliquis homo est animal*, *Aliquod animal est homo*. ¶ Conuersio per accidens est, *transmutatio extremorum mutata quantitate, non verò qualitate*. Et sic conuertuntur vniuersalis affirmatiua, & vniuersalis negatiua, vt *Omnis homo est animal*: *Aliquod animal est homo*. *Nullus lapis est homo*; *Aliquis homo non est lapis*. Quæ significantur hoc carmine.

Simpliciter F E C I, conuertitur E V A per acci.

Sensus enim, quoad primam partem, est, vniuersalem negatiuam, quæ significatur per *E* & particularem affirmatiuam quæ significatur per *I* contentas in dictione *FECI* conuerti conuersione simplici. Deindè vniuersalem negatiuam significatam per *E*, & vniuersalem affirmatiuam significatam per *A*, quæ continentur in dictione *E V A* conuerti conuersione per accidens. Quarum literarum significatio exprimitur his carminibus.

Asserit A, negat E, sunt vniuersaliter ambo.
Asserit I, negat O, sunt particulariter ambo.

Litera *O* deseruiebat cuidam conuersioni, quam vocant *per contrapositionem*; eam tamen, vt præsenti instituto inutilem, omittimus. Significat autem *O* propositionem particularem negatiuam, illiusque vsus deseruiet dicendis *lib. 4.* circà modos syllogismorum.

Sed vt prædictæ conuersiones rectè fiant, obseruanda duò. Primò, vt integrum subiectum fiat integrum prædicatum, & è contrà; alias nulla erit consequentia: non enim sequitur; *Petrus videt Paulum*; *ergo Paulus videt Petrum*; sed inferendum est; *Ergo videns Paulum est Petrus*; nàm extremum integrum primæ propositionis non erat ly *Paulum*, sed *videns Paulum*. ¶ Secundò, vt seruentur omnes proprietates terminorum, excepta suppositione, quæ prouenit à signis. Et ideò defectu ampliationis non valet; *Senex fuit puer: ergo puer fuit senex*: sed inferendum est: *Ergo quod fuit puer, est, vel fuit senex*. Quæ omnia apprimè retinenda sunt, quia eorum notitia non leuiter conducit ad artem syllogisticam, vt syllogismi imperfecti reducantur ad perfectos, de quo infrà.

CAPVT VIII.

De propositione modali.

HActenùs egimus de propositione simplici, seù nullo modo affecta: tractandum nunc est de propositione modali, siuè quæ afficitur modo aliquo. Est autem modus, vt definit D. Thom. *adiacens rei determinatio*. Vndè modificare, est determinare, seù restringere. Quando ergò propositio afficitur aliquo modo determinante vnionem, seù compositionem prædicati, & subiecti, dicitur *modalis*: quales sunt istæ: *Petrum currere est contingens*: *Petrus contingenter currit*. Et per hunc modum, propositio constituitur in esse modalis; quo ablato, propositio remanens vocatur de inesse, seù *officians*, vt *Petrus currit*.

Porrò isti modi, alijs minoris momenti relictis, sunt quatuor, videlicet, *Necessarium*, *impossibile*, *contingens*, & *possibile*; (qui duo postremi, quantum ad præsens, prò eodem reputantur) & correspondent tribus materijs propositionis, quas *cap.* 3. explicuimus: nam naturali respondet *necessarium*; remotæ *impossibile*; contingenti verò *contingens*, & *possibile*. Illa ergò propositio dicetur *modalis*, quæ fuerit affecta vno ex his tribus modis, seù quæ explicuerit non solum conuenientiam prædicati ad subiectum, sed etiam modum conuenientiæ, vt si dicas: *Hominem esse animal est necessarium*. *Hominem esse album est contingens*.

Prò cuius doctrinæ luce animaduertendum, est prædictos modos bifariam accipi, nempè *nominaliter*, vt necessarium, impossibile contingens: & *aduerbialiter*, vt necessariò, impossibiliter, contingenter. Priori modo accepti, habent rationem prædicati in propositione modali, vt si dicas: *Petrum currere est contingens*: ibi enim de illo infinitiuo, *Petrum currere*, tanquam de subiecto, prædicatur *esse contingens*. Quod etiam verificatur, tametsi modus præponatur propositioni, dicendo: *Contingens est Petrum currere*, nàm quoad sensum postponitur, habetquè officium prædicati. Posteriori autem modo sumpti, non habent rationem prædicati, sed modificant vnionem, prædicati, & subiecti, vt in hac propositione: *Petrus contingenter currit*.

Quo supposito, propositio modalis diuiditur in *compositam*, & *diuisam*. Illa est, *quæ facit sensum compositum*. Hæc verò, *quæ facit sensum diuisum*. Sensus autem compositus fit, quandò vnit extrema dicti secundum sua significata formalia, vt si dicas: *Cæcum videre est contingens*, & significetur posse coniungi actum videndi cum actuali cæcitate. Sensus verò diuisus tunc fit, quandò propositio non vnit extrema secundum significata formalia vtriusque: sed significatum formale prædicati vnit significato materiali subiecti, vt si dicas: *Cæcus contingenter videt*, & significetur hominem, qui alias est cæcus, posse videre.

Vt autem discernamus, quandò propositio faciat sensum compositum, & quandò diuisum; sequentem, & vniuersalem regulam tradunt D. Thom. *opusc* 4. Ferrara, 1. *contra gentes cap.* 67. Aluarez *lib.* 11. *de Auxilijs*, *disp.* 115 *num.* 12. & communiter Thomistæ. Tunc modalis facit sensum compositum, cùm dictum subijcitur, & modus prædicatur, vt si dicas: *Prædestinatum condemnari est impossibile*. Tunc verò reddit sensum diuisum, quandò modus non prædicatur, sed interponitur partibus dicti, vt in hac propositione: *Prædestinatus impossibiliter condemnatur*. Et ratio huius regulæ est: nam quandò modus prædicatur, tunc totum dictum est subiectum, & consequenter de partibus dicti sumptis per modum vnius prædicatur modus; vndè significatur extrema dicti esse compossibilia in eodem subiecto: in quo consistit sensus compositus. Et ideò in illa propositione: *Prædestinatum condemnari est impossibile*, significatur repugnare, quod actualis comdemnatio coniungatur cum actuali prædestinatione, quod est verissimum & propterea talis propositio sine vlla distinctione admittenda est. Cæterum quandò modus non prædicatur, sed ponitur inter partes dicti, non componit extrema, sed permittit, quod vnum habeat rationem subiecti, & alterum prædicati: & ideò, secundum generales regulas appellationis, significatum formale prædicati appellat supra materiale subiecti: in quo consistit sensum esse diuisum. Quamobrem in illa propositione: *Prædestinatus impossibiliter condemnatur*, significatur hominem, qui alias est prædestinatus, non posse condemnari, quod est falsissimum: & ideò talis propositio sine vlla distinctione neganda est. Quod si Doctores modalem quoquo modo dispositam distinguunt; id præstant, ne his dialecticis præcisionibus implicentur, & vt imperitioribus se conforment: quia cum pluribus loquendum est.

Quâ regulâ, vt facilius, expeditiusque vti valeas, obserua, extrema dicti aliquando significare duas actiones: & tunc modalis composita vnit illas actiones simul, vt si dicas: *Ridentem esse flentem est impossibile*, significatur non posse actionem ridendi, & actionem flendi simul esse in eodem subiecto. Aliquandò verò significant solum potentias; & tunc modalis composita, solum componit potentias, vt si dicas: *Risibile esse flebile est impossibile*, significatur non posse potentiam ad flendum, & potentiam ad ridendum coniungi in eodem subiecto. Aliquandò autem vnum extremum significat potentiam, & aliud actum: & tunc modalis composita componit actum cum potentia, vt si dicas: *Ridentem esse flebilem est impossibile*, significatur non posse actum ridendi, & potentiam ad flendum coniungi in eodem subiecto.

Ex quibus liquet, primam propositionem, nempè, *Ridentem esse flentem est impossibile*, esse verissimam: quià enuntiat actus ridendi, & flendi esse incompossibiles, quòd omninò verum est. Secunda verò videlicet, *Risibile esse flebile, est impossibile*, est falsissima: quià enuntiat potentias ad ridendum, & flendum non posse in eodem subiecto coniungi, quod apertè falsum est. Tertia etiam est falsa, nimirum, *Ridentem esse flebilem est impossibile*: quià enuntiat actum ridendi non posse coniungi cum potentia ad flendum, quod falsum est, vt ex se liquet.

Qua ratione Thomistæ absolutè concedunt hanc propositionem: *Voluntatem à Deo præmotam auxilio efficaci dissentire est impossibile*, quia reddit hunc sensum: *Præmotio actualis auxilij efficacis, & dissensus actualis nequeunt simul existere in eadem voluntate*. Quod est verissimum, nullusque negabit nisi, qui negauerit Augustinum, & diuini auxilij efficaciam. E contra verò Thomistæ negant absolutè istam: *Voluntatem à Deo præmotam posse dissentire est impossibile*, quia significat: *Actualis Dei motio, & potentia ad dissentiendum non possunt esse in eadem voluntate*. Quod est falsissimum, nullusque admittet, nisi qui negauerit libertatem voluntatis. Sed hæc superant præsens institutum: eaquè vel delibasse sufficiat, vt nouitij in schola Thomistica non omninò ignorent distinctionem sensus diuisi, & compositi sibi satis affinem, & alijs materijs grauioribus opportunam.

His circà essentiam, & diuisionem propositionis modalis præmissis, videndum est, vndè in ea desumuntur affirmatio, & negatio; vniuersalitas vel particularitas; veritas, vel falsitas, & aliæ proprietates propositionis. Hoc autem difficultate caret in modali diuisa: in ea

quippè idem ferè iudicium habendum est, ac in propositione simplici, seù de inesse. Pauca verò excipiuntur, quæ *cap. sequenti* adnotabimus. Et ideò relicta modali diuisa, agendum est de affectionibus modalis compositæ, quæ ob diuersam structuram, diuersimodè sortitur quantitatem, qualitatem &c. vt iam subijcimus.

CAPVT IX.

De Quantitate, Qualitate, Oppositione, Æquipollentia, & Conuersione propositionis modalis compositæ.

Affirmatio, & negatio in propositionibus modalibus attenditur penès copulam principalem, quæ nimirum modus enuntiatur de dicto: & ideò cum modus negatur, modalis est absolutè negatiua, licet dictum affirmetur, vt si dicas: *Petrum currere non est contingens*. Quandò autem modus affirmatur propositio est simpliciter affirmatiua, quamuis dictum negetur, vt si dicas: *Petrum non currere est contingens*. Solet tamen prima illa modalis dici affirmatiua de dicto, & negatiua de modo: secunda verò appellatur negatiua de dicto, & affirmatiua de modo: sed absolutè loquendo prior est negatiua, & posterior affirmatiua.

Idem proportionabiliter dicendum est de modalis quantitate: hæc enim attenditur ex quantitate modi. Et ideò illa modalis est simpliciter vniuersalis: cuius modus est vniuersalis, quamuis habeat dictum particulare: sicut è conuersò, illa est simpliciter particularis cuius modus est particularis, licet habeat dictum vniuersale. Modi autem vniuersales & particulares dicuntur tales per correspondentiam ad signa quantitatis propositionis, & comprehenduntur his versibus.

Omnis necesse valet: impossibile, nullus.
Possibile quidam: quidam non, possibile non.

Qui significant quod *necesse* est modus vniuersalis affirmatiuus, & correspondet signo *omnis*: at *impossibile*, est modus vniuersalis negatiuus, & correspondet signo *nullus*: deindè *possibile*, seu *contingens* est modus particularis affirmatiuus, & correspondet signo *quidam*: deinde *possibile non*, seù *contingens non*, est modus particularis negatiuus, & correspondens signo *quidam non*.

Circà veritatem, & falsitatem modalis obserua, propositionem de contingenti esse veram, quandò eius de inesse est contingens, vt si dicas: *Petrum currere est contingens*, & esse falsam quandò eius de inesse non est contingens, vt si dicas: *Petrum esse lapidem, est contingens*. Propositio autem de impossibili est vera, quandò eius de inesse est impossibilis, vt si dicas, *Petrum esse equum est impossibile*: & est falsa, quandò eius de inesse non est impossibilis: vt si dicas: *Petrum esse album est impossibile*. Propositio deniquè de necesse est vera, cum eius de inesse est necessaria, vt si dicas: *Hominem esse animal est necesse*: & est falsa, quandò eius de inesse non est necessaria, vt si dicas: *Hominem esse album est necesse*. ¶ Vbi etiam obserua, omnem modalem veram esse necessariam, & omnem falsam esse impossibilem. Et ideò hæc est necessaria: *Petrum currere est contingens*: & hæc impossibilis: *Petrum currere non est contingens*. Et ratio est: quià in modali non solum explicatur prædicatum conuenire subiecto; sed exprimitur modus conuenientiæ: necessarium autem est, quod currere conueniat Petro contingenter; & impossibile, quod conueniat non contingenter: ergo prima illa propositio est necessaria, & secunda impossibilis: idemque de alijs modalibus dicendum est.

Deindè circà oppositionem modalium obseruandum est, quod cum isti modi correspondeant signis suprà explicatis, pari modo fundant oppositionem. Vndè sicut *omnis*, & *nullus* opponuntur contrariè: ità *necesse*, & *impossibile*. Sicut *aliquis*, & *aliquis non*, opponuntur subcontrariè: ità *contingens*, & *contingens non*. Sicut *Omnis & aliquis non*, & similiter *nullus, & aliquis* opponuntur contradictoriè: ità *necesse & contingens non*, & similiter *impossibile* & *contingens*. Et deniquè sicut *omnis* & *aliquis*, & similiter *nullus*, & *quidam non*, subalternantur: ità etiam *necesse*, & *contingens*, & similiter *impossibile, & contingens non*.

Prætereà circà æquipollentiam horum modorum animaduertendum est, etiam in eis valere illam regulam: *Præ contradic. post, contra: præ, postque subalter.* Vndè *necesse*, & *contingens non*, qui sunt modi contradictoriè oppositi, fient æquipollentes, si cuilibet præponatur negatio. Verbi gratia, istæ sunt contradictoriæ: *Petrum currere est necesse*: *Petrum currere non est contingens*: quas facies æquipollentes, si primæ præponas negationem, dicendo: *Non est necesse Petrum currere* quià, *non necesse*, idem valet, ac *contingens non*. Idemque fiet in contrarijs, postponendo negationem cuilibet illarum; & in subalternis, illam præponendo, & postponendo, vt in simplicibus diximus. In modalibus autem, tunc anteponitur negatio, cùm negatur modus; & tunc postponitur, cùm negatur dictum: tunc verò anteponitur, & postponitur, cùm vtrumque negatur: quod fit ponendo negationem tam à parte dicti, quam à parte modi, vt facilius constabit ex figura infrà statuenda.


Quam vt intelligas, nota, Dialecticos inuenisse quatuor dictiones, seu rotulos, nempe. *Purpurea, Illiace, Amabimus, Edentuli*, in quibus inueniuntur quatuor istæ vocales A. E. I. V. Harum A. significat affirmatiuam de dicto, & de modo. V. negatiuam de dicto, & de modo. E. negatiuam de dicto, & affirmatiuam de modo. I. affirmatiuam de dicto, & negatiuam de modo, iuxtà illud carmen.

E dictum negat: I què modum; nihil A: sed. V. totum.

Quælibet ergo dictio continet quatuor modos suprà *cap. præced.* relatos: ità quod prima litera in vnaquaque dictione significat propositionem de possibili: secunda de contingenti: tertia de impossibili: & quarta de necesse. Distributis ergò modis in quatuor angulis, ità, vt *purpurea*, & *illiace* collocentur in superioribus; & *amabimus*, & *edentuli*, in inferioribus, formatur figura oppositionis inter modales compositas. Nam, quæ sunt in *purpurea*, & *illiace* opponuntur contrariè: quæ *in amabimus*, & *edentuli*, subcontrariè: quæ in *purpurea*, & *edentuli*, & similiter, quæ in *illiace*, & *amabimus*, contradictoriè: & deniquè, quæ in *purpurea*, & *amabimus*, & pariter, quæ in *illiace*, & *edentuli* subalternè.

Propositiones autem ejusdem rotuli omnes sunt æquipollentes. Quas faciliùs comprehendes, inspiciendo subjectam figuram.

Quæ



Quæ omnia procedunt, & verificantur provt jacent, quandò propositio est de dicto singulari. Si autem dictum est commune, opus est, vt si in propositione *de necesse* est vniuersale, in alijs modis sit particulare; vel è conuerso; alias dabuntur duæ contradictoriæ simul veræ, v.g. *Necesse est aliquod animal esse hominem*: *Possibile est aliquod animal non esse hominem*, quod vitatur, mutando quantitatem dicti, v. g. *necesse est omne animal esse hominem*: *Possibile est aliquod animal non esse hominem*. Vel, *Necesse est aliquod animal esse hominem*: *Possibile est nullum animal esse hominem*, Ex quibus vna est vera, altera falsa, & hæc de propositione, & æquipollentia inter modales compositas. Sed prò modalibus diuisis adhuc notandum est, quod, vt fiat contradictio, debet mutari quantitas modorum, ità vt in vna sit vniuersalis, & in alia particularis. Et ideò respectu istius: *Petrus necessariò est homo*: hæc erit contradictoria: *Petrus possibiliter non est homo*. Quod si modalis diuisa sit de subjecto communi, debet etiam mutari quantitas dicti, vt si dicas: *Omnis homo necessario est animal*, illius contradictoria erit: *Aliquis homo possibiliter non est animal*.

Deniquè prò conuersione modalium obserua, quod generaliter loquendo, conuertuntur ratione dicti, & inuariato modo, juxta regulas *cap. 7.* traditas, siuè modalis sit composita, siuè diuisa: vt si dicas: *Omnis homo necessario est animal*, fiet conuersio dicendo: *Aliquod animal necessariò est homo*. Si dicas: *Omnem hominem esse animal est necesse*, fiet conuersio: *Aliquod animal esse hominem est necesse*. Si autem in propositione de necesse subjectum dicti sit aliquod concretum accidentale, tunc *necesse* mutandum est in *possibile*; alias dabitur antecedens verum, & consequens falsum, vt *Grammaticus necessariò est homo*, non valet: *Ergo homo necessariò est Grammaticus*: sed inferendum est: *Ergo possibiliter est Grammaticus*. Et ratio est: quia sæpe vna res petit necessariò vniri alteri, quin hæc necessariò petat priori conjungi. Alia non ità necessaria solent alij inculcare in præsenti: quæ tamen modò omittimus. Imo præceptores monemus, ne nouitiorum intellectum nimis in hac parte discrucient: nouimus enim nobilia ingenia non semel his regulis intricari, easque velut jejunas rationabis discursus, quem auent, summoperè fastidire. Vndè curandum est, vt quantociùs extricentur ab his labyrinthis.

CAPUT X.

De propositionibus exponibilibus.

PRopositio exponibilis dicitur, *quæ ratione alicujus in ea inclusi, habet sensum obscurum*. Vndè indiget exponi per aliam propositionem, quæ, ob hanc causam, exponens appellatur.

Primum genus exponibilium est earum, quæ dicuntur *exclusiua*: quià afficiuntur aliqua dictione exclusiua, quales sunt *tantum*, *dumtaxat*, & similes. Quandò ergò talis particula afficit subjectum, modificat totam propositionem, & reddit absolutè exclusiuam, excluditquè omnia alia subjecta à participatione talis prædicati, vt si dicas: *Tantum homo est rationalis*, exponitur sic: *Homo est rationalis, & nullus ab homine est rationalis*. Quandò verò afficit prædicatum, propositio dicitur de excluso extremo, & excludit à subjecto omnia alia prædicata, vt si dicas: *Homo est tantum rationalis*, exponitur ità: *Homo est rationalis, & non est aliquid aliud*. Quæ duò sunt valdè diuersa, vt videre est in his duabus propositionibus: *Prædicabilia sunt tantum quinquè*. *Tantum prædicabilia sunt quinquè*; quarum prima est vera, quià significat prædicabilia non esse plura, vel pauciora: secunda verò est falsa, quia significat numerum quinarium solis prædicabilibus conuenire. Obserua tamen istas particulas, cuicumque applicentur, non excludere ea, quæ necessariò illud comitantur; & ideò si dicas: *Tantum diligo salutem*, non excludis media necessaria ad consequendum illam.

Secundum genus propositionum est earum, quæ vocantur *exceptiua*: quià afficiuntur particula exceptiua *præter*, vel alia simili. Nequit autem fieri exceptio, nisi detur aliquid commune, ex quo aliquid excipiatur: & ideò ad exceptiuam requiritur, quod terminus sit communis, & distribuatur. Defectu cujus hæc: *Homo est albus præter* Petrum, impropriè dicitur exceptiua: sicut è conuerso ista: *Omne animal, præter hominem, est irrationale*, est exceptiua cum proprietate. Quam rectè expones, si loco particulæ *præter*, ponas, *excepto*, vt si dicas: *Omne animal, excepto homine, est irrationale*: vel per copulam implicationis negatiuam, dicendo: *Omne animal, quod non est homo, est irrationale*.

Tertium genus est earum, quæ dicuntur *reduplicatiua*: quia habent subjectum duplicatum, ratione alicujus particulæ, illud duplicantis, quales sunt, *vt*, *in quantum*, *quatenùs*, *quâ ratione*, *& similes*. Istæ autem dupliciter accipiuntur; nempè *reduplicatiuè*, & *specificatiuè*. Sumuntur reduplicatiuè, quandò reduplicant causam, ob quam prædicatum conuenit subjecto, vt si dicas: *Petrus in quantum rationalis, est risibilis*. Et tunc rectè exponuntur per causalem dicendo v. g. *Quia Petrus est rationalis, est risibilis*. Sumuntur autem specificatiuè, cum reduplicant rationem formalem, seù naturam, cui adequatè conuenit prædicatum; licet non sit causa istius, vt si dicas: *Color in quantum color, est objectum visus*. Et tunc, non per causalem, sed per conditionalem, aliqualiter exponuntur, dicendo v. g. *Si est color, est objectum visus*. Quæ, licet in rigore dialectico, vera sint; vulgò tamen non obseruantur: sed illa propositio dicitur sumi reduplicatiuè, quæ reduplicat rationem, ob quam prædicatum conuenit subjecto: illa verò specificatiuè, quæ reduplicat aliquid purè materialiter, aut concomitanter se habens ad prædicatum. Quod, licet non probemus; haud facilè tamen erit extirpare, & contrarium rigorem inducere.

Deindè circà reduplicatiuas obseruandum est, aliquandò non sumi reduplicatiuè, vel specificatiuè; sed solum diminutiuè, vt cum dicitur: *Aethiops est albus secundum dentes*, *vel quantum ad dentes est albus*, non reduplicatur causa, vel ratio formalis prædicati; sed prædicatum, quod ex se poterat conuenire toti subjecto, diminuitur, & trahitur ad partem ejus. Quamobrem Æthiopem non vocamus album simpliciter, sed solum secundum quid. Circà quod rectè obseruat D. Thom. *3. p. q. 16. art. 8.* quædam esse, quæ indifferenter possunt conuenire toti, vel parti: & hæc cùm inueniuntur in sola parte, non denominant totum simpliciter, sed solum secundum quid, siuè cùm addito: & ideò non dicimus *Aethiops est albus*; sed albus secundum dentes. Alia autem sunt, quæ nequeunt esse in toto, sed in sola parte: & hæc si in illa inueniantur, tribuuntur toti absolutè, & ideò dicimus. *Petrus est crispus*, licet crispitudo non sit in toto corpore: quià non potest ei conuenire nisi secundùm capillos, & inuenitur in istis.

Et hinc oritur, vt ibidem notat S. Doct. quod ea de quibus non dubitatur; an conueniant Christo Domino ratione humanæ, vel diuinæ naturæ; sed certò cognoscitur, quod conueniant ratione illius, prædicentur absolutè de Christo, vt cùm dicimus esse passum, mortuum, & sepultum. Ea verò, de quibus suspicari potest vtrum conueniant illi ratione humanitatis, vel personalitatis diuinæ, non sunt ei attribuenda absolutè; sed cum addito diminuente; nè cum hæreticis videamur conuenire. Et ideò istæ: *Christus incepit esse*: *Christus est creatura*, *& minor Patre*, non conceduntur absolutè à Catholicis: quia Ariani dicebant hæc verificari de Christo non solum quòad humanitatem, sed etiam quòad personam. Similiter istæ, *Christus est incorporeus*, *Christus est impassibilis*, non sunt concedendæ absolutè: quià Manichæi tenebant Christum non habuisse verum corpus passibile. Et ideò oportet prædictas propositiones distinguere, easque admittere cum addito diminuente, videlicet Christum incepisse, esse creaturam, & minorem Patre secundum humanitatem, esse verò incorporeum, & impassibilem secundum diuinitatem. Alias exponibiles, quas vocant *insolubiles* vel se falsificantes, consultò omittimus: quià sunt puræ sophisticæ, & conducere nequeunt ad scientiam comparandam.

LIBER QVARTVS

De Argumentatione.

ACCEDIMVS jam ad argumentationem, quæ est præcipuum Dialecticæ instrumentum, & cui proindè alia instrumenta subseruiunt: cujus naturâ, speciebus, ac proprietatibus expositis, breues eæ institutiones absoluentur.

CA-

prædicati cum subiecto.

Deindè additur finita, vt excludantur verba infinita, vt *non currit*, *non intelligit*: quia tam nomina, quam verba infinita nullam habent determinatam significationem, sed applicari queunt tam entibus, quam non entibus: & ideò non deseruiunt ad institutum scientificum. Vltimò additur *recta*, vt excludantur alia tempora, & modi præter præsens indicatiui. Loquebatur enim Arist. de verbo, quod per se enuntiat veritatem: alia autem tempora illam enuntiant non per se, sed dependenter à tempore præsenti modi indicatiui; quandoquidem ideò verificatur: *Petrus cucurrit*, vel *Petrus curret*, quia aliquando fuit, aut erit verum de præsenti: *Petrus currit*.

CAPVT II.

De Oratione.

ORatio est *vox significatiua ad placitum*; *cuius aliqua pars separata significat*. Ita Arist. *vbi suprà c.* 4. In prioribus particulis: *Vox significatiua ad placitum*, conuenit oratio cum nomine, & verbo, vt constat ex dictis *cap. præced.* à quibus differt per id, quod sequitur: *Cuius aliqua pars separata significat*. Vt constat ex nuper dictis: obseruat autem D. Thom. *lect. 6.* quod *significare* sumitur in præsenti rigorosè, & vt distinguitur à *consignificare*: atque ideò de ratione orationis erit, quod aliqua illius pars sit terminus categorematicus, vt satis expressit translatio antiqua, quæ habet: *Cuius partium aliquid significatiuum est*. Non erit tamen contra rationem orationis, quod alia pars sit terminus syncategorematicus: vndè istæ sunt veræ orationes: *Omnis homo*, *nullus equus*. Et ità accipiendum est, quod suprà diximus, videlicet, *Orationem esse plures voces diuersa significantes*: non enim requiritur, quod vtraque pars propriè significet; sed sufficit vnam significare, & aliam consignificare.

Diuiditur autem oratio *in enuntiatiuam*, & *non enuntiatiuam*. Enuntiatiua est, *quæ aliquid affirmat*, *vel negat*. Et hæc semper fit per verbum modi indicatiui, & nomine incomplexo vocatur propositio: de qua in sequentibus agendum est. Oratio autem non enuntiatiua est, *quæ nihil affirmat vel negat*: in qua proindè nulla reperitur veritas, vel falsitas. Rursus, oratio non enuntiatiua diuiditur *in perfectam*, & *imperfectam*. Perfecta est, quæ licet non affirmet, vel neget; *tamen generat perfectum sensum*: quales sunt orationes modi imperatiui, & optatiui, vt *fac hoc*: *& vtinam faceres* &c. Imperfecta verò est, *quæ non generat perfectum sensum*, cuiusmodi sunt orationes, quæ carent verbo, vt *homo albus*, & orationes modi infinitiui, vt *Petrum legere*.

Vbi obserua, tres modos sciendi suprà explicatos contineri sub oratione non enuntiatiua. Et ratio est: quia in eis non reperitur affirmatio vel negatio; veritas, aut falsitas. Etenim *hominis definitio*, vt inquit Aristot. *vbi suprà cap. 5. nisi est, aut erat, aut erit, aut eiusmodi quidquam addatur*, nondum est oratio. Idemque de diuisione proportionabiliter dicendum. Hæc quippè est integra definitio essentialis hominis, *Animal rationale*: hæc perfecta diuisio essentialis metaphysica eiusdem, *Alia pars animal, alia rationale*. In quibus tamen orationibus nullum inuenitur verbum, quod erat necessarium ad orationem enuntiatiuam: & si daretur verbum, iam definitum, & diuisum ingrederentur definitionem, & diuisionem; & consequenter idem esset ignotum, & pars modi sciendi, quod est absurdum. Idemque de argumentatione formaliter accepta asserendum est: nam prout sic solum est quidam discursus, in quo nulla veritas, aut falsitas reperitur; cum consequentia non dicatur vera vel falsa, sed bona, vel mala, vt constat ex suprà dictis. Diximus: *In argumentatione formaliter accepta*: quià de materiali importat propositiones, quas certum est esse orationes enuntiatiuas. Differunt autem hi tres modi sciendi in eo, quod argumentatio est oratio perfecta: quia generat perfectum sensum: definitio autem, & diuisio sunt orationes imperfectæ ob oppositam rationem.

Obijcies: oratio, quæ manifestat ignotum, generat perfectum sensum; sed definitio v. g. est oratio manifestans ignotum: ergo generat perfectum sensum.

Respondetur negando maiorem: quià, vt generetur perfectus sensus, requiritur aliquid copulans ea, quæ in oratione habent rationem agentis, & patientis: quod licet fieri possit absque enuntiatione; minimè tamen absque verbo. Manifestare autem ignotum nihil aliud est, quam proponere distinctè ea, quæ confusè in ignoto continebantur: vndè si istud non contineat verbum, minimè oportet adducere verbum aliquod, sed sufficit proponere genus, & differentiam definiti, vel membra diuidentia diuisi: quod optimè fieri potest absque verbo, vt constat ex nuper dictis. Quamobrem licet definitio, & diuisio manifestent ignotum, non generant perfectum sensum: & ideò continentur sub oratione non enuntiatiua, & imperfecta.

Inquires: quomodo hæc oratio, v. g. *homo albus*, sit terminus complexus? Videtur enim impossibile, quod aliquid contineatur sub diuersis generibus inter se non subordinatis, v. g. quod aliquid sit simul planta, & animal: oratio autem, & terminus sunt genera non subordinata: alias vel omnis terminus esset oratio, quod est falsum, vt apparet in termino incomplexo; vel omnis oratio esset terminus, quod etiam est absurdum, vt constat in propositione.

Respondetur, quod licet nihil possit essentialitèr constitui sub generibus non subordinatis, minimè tamen repugnare, quod accidentaliter collocetur sub illis: nam homo v. g. accidentaliter constituitur sub genere quantitatis, & denominatur quantus: & rursùs constituitur accidentaliter sub genere qualitatis, & fit v. g. albus: deindè constituitur accidentaliter sub genere relationis, & fit similis alteri albo, & sic de aliis, quin in hoc detur aliqua contradictio. Et ità contingit in præsenti: nam rationes termini, & orationis sunt quædam accidentia rationis respectu entitatis vocum. Vndè licet hæc nequeat essentialiter esse simul oratio, & terminus; minimè tamen repugnat, quod denominetur accidentaliter ab intentione vtriusque, & sub vtròque genere constituatur. Et ideò entitas v. g. harum vocum, *homo albus*, essentialiter solùm est in genere qualitatis; sed denominatur accidentaliter *oratio* à secunda intentione significationis, & *terminus complexus*, ab alia secunda intentione, ratione cuius fit extremum propositionis.

Cæteræ igitur orationes, inquit Aristot. *cap. 4. citato*, *missæ fiant*: *quoniam artis Rhetoricæ, vel Poeticæ magis propria est earum consideratio*: *enuntiatiua autem præsentis est inspectionis*. Vnde relictis omnibus orationibus non enuntiatiuis, tam perfectis, quam imperfectis, de sola enuntiatiua, quæ propositio vocatur, exinceps agendum est.

CAP.

CAPVT III.

De Propositione.

PRopositio est *oratio enuntiatiua*, Ità definit Aristot. *loc. citat.* & definitionis intelligentia satis liquet ex dictis *cap. præced.*

Diuiditur autèm propositio in *categoricam*, & *hypoteticam*, Categorica est, *quæ constat subiecto, & prædicato tanquam partibus principalibus, & copula tanquam vnione*, vt *homo est animal*: quæ etiam vocatur propositio *simplex*, Vbi obserua, subiectum aliquandò esse vnicam dictionem, vt in exemplo proposito: aliquandò verò vnam orationem, vt *homo albus disgregat visum*: aliquandò autèm integram propositionem, vt *homo qui est iustus diligit Deum*. Id autèm simplicitati propositionis categoricæ minimè obest: quia illa integra propositio implicatur per modum vnius subiecti, & gerit vicem illius: vndè eius copula solet dici minus principalis, & copula implicationis: quia veritas propositionis non attenditur penes illam, sed penes copulam secundam, seù principalem. Idemquè contingit in hac propositione: *Homo est animal, est propositio*: quia prima propositio gerit vicem vnici subiecti. ¶ Obserua etiam quòd licet in categorica non semper explicetur prædicatum, id non est, quia verè non habeat illud, sed quia includitur in verbo, vt cùm dicitur: *Homo disputat*, sensus est: *Homo est disputans*.

Propositio hypotetica est, *quæ constat duabus propositionibus, tanquam partibus principalibus aliqua vnione vnitis*, vt *Magister docet, & Discipulus audit*. Et hæc vocatur propositio *composita*: de qua latius agemus *cap. seq.* Hic autèm obseruandum est, diuisionem propositionis in categoricam, & hypoteticam esse analogi in analogata. Quod docet D. Thom. *opusc.* 48. *tract. de enuntiatione cap.* 6. & facilè ostenditur: nàm enuntiare, in quo sita est essentia propositionis, est vnum de alio dicere: sed hoc conuenit simplicitèr propositioni categoricæ, quæ prædicatum prædicat de subiecto, vt ex se liquet; hypotetica autèm non prædicat vnam propositionem de alia, sed vnam alteri vnit, quod est vmbra quædam enuntiationis: ergo categorica participat simplicitèr rationem propositionis; hypotetica verò solùm secundum quid, & consequenter prædicta diuisio est analogi in analogata, iuxtà ea, quæ diximus *lib.* 1. *cap.* 3.

Rursus propositio categorica diuiditur in *affirmatiuam*, & *negatiuam*. Illa est, quæ *applicat prædicatum subiecto*, vt *homo est animal*. Hæc verò, *quæ remouet prædicatum à subiecto*, vt *homo non est lapis*. Quæ diuisio est essentialis, & generis in species: quia enuntiare, in quo consistit essentia propositionis, formalitèr, & propriè fit, vel applicando vnum alteri, quod est affirmare; vel remouendo vnum ab alio, quod est negare. ¶ Et confirmatur: quia prædictæ differentiæ ità pugnant inter se, vt nunquam eidem propositioni conueniant: ergo signum est, esse differentias essentiales. Sicut ob oppositam rationem diuisio propositionis in veram, & falsam non est, essentialis, sed accidentalis, & subiecti in accidentia: quia eadem propositio potest transire de vera in falsam, aùt è conuerso, vt hæc propositio: *Petrus sedet*, est vera eo sedente; & falsa si stet. Quod satis euincit veritatem, & falsitatem esse accidentia propositionis,

Sed prò intelligentia aliarum diuisionum propositionis animaduerte, quòd sicut in homine v. g. reperiuntur forma, materia, quantitas, & qualitas: ità in propositione eadem quatuor proportionabiliter distinguenda sunt. *Forma* est vnio prædicati ad subiectum. *Materia* est habitudo eorum, quæ vniuntur, antecedens ipsam vnionem. *Quantitas* est illa magnitudo, secundum quam propositio dicitur vniuersalis, vel particularis. Deniquè *qualitas* est illa habitudo, secundum quam propositio dicitur vera, vel falsa.

Deindè nota, materiam propositionis esse triplicem: nempè *naturalem*, *contingentem*, & *remotam*. Naturalis datur, *quandò prædicatum est de essentia, vel proprietas subiecti*. Contingens, *quandò prædicatum est accidens commune subiecti*; Remota verò, *cum prædicatum subiecto repugnat*. Et hæc vera sunt, licet propositio varietur penes affirmationem, aut negationem, vniuersalitatem, aut particularitatem; veritatem, aut falsitatem; quia adhuc remanet habitudo extremorum, quæ præcedit actualem prædicationem. Et ideò istæ propositiones sunt in materia naturali: *Homo est animal; homo non est animal*; & istæ in materia contingenti: *Homo est albus, homo non est albus*; & istæ in remota: *Homo est equus: homo non est equus*.

Quibus suppositis, propositio categorica potest iterùm multiplicitèr diuidi: nàm in primis ratione materiæ diuiditur in *necessariam*, *contingentem*, & *impossibilem*. Necessaria est, *quæ enuntiat rem, quæ aliter se habere non potest*: quod conuenit affirmatiuæ in materia naturali, & negatiuæ in remota, vt *homo est animal, homo non est lapis*. Impossibilis est, quæ enuntiat rem, *quæ sic se habere non potest*: quod conuenit negatiuæ in materia naturali; & affirmatiuæ in remota, vt *homo non est animal, homo est lapis*. Contingens est, *quæ enuntiat rem, quæ aliter se habere potest*: quod conuenit propositioni in materia contingenti, siuè sit affirmatiua, siuè negatiua, vt *homo est albus, homo non est albus*. ¶ Ratione *formæ* diuiditur propositio, in affirmatiuam, & negatiuam, quarum rationes satis constant ex supra dictis.

Deindè ratione quantitatis diuiditur in *vniuersalem*, *indefinitam*, *particularem*, & *singularem*. Vniuersalis est, *cuius subiectum est terminus communis signo vniuersali affectus*, vt *omnis homo est animal*. Indefinita est, *cuius subiectum est terminus communis nullo signo affectus*; & hæc in materia naturali, & remota æquiualet vniuersali, vt *homo est animal, homo non est lapis*; in materia verò contingenti æquiualet particulari, vt *homo est albus*. Particularis est, *cuius subiectum est terminus communis affectus signo particulari*, vt *aliquis homo est albus*. Deniquè singularis est, *cuius subiectum est terminus singularis*, siuè sit determinatus, vt *Petrus*, siuè demonstratiuus, vt *hic homo*, siuè ex suppositione, vt *Filius Mariæ Virginis*. Quæ omnia verificantur siuè prædicatum sit terminus vniuersalis, siuè particularis: non enim prò dignoscenda quantitate propositionis attenditur ad prædicatum, sed solùm ad subiectum, quòd habet rationem materiæ: sicut etiam in naturalibus quantitas conuenit composito ratione materiæ.

Tandem ratione qualitatis diuiditur propositio in *veram*, & *falsam*. Vera est, *quæ enuntiat rem sicuti est in se*, vt *homo est animal*. Falsa est, *quæ enuntiat rem aliter, ac est in se*, vt *homo non est animal*. Pertinet etiam ad qualitatem propositionis, esse exclusiuam, exceptiuam, &c. de quibus agemus infrà.

CAPVT IV.

De Propositionibus hypoteticis.

PRopositio hypotetica, quam *cap. praeced.* definiuimus, diuiditur in *copulatiuam, disiunctiuam*, & *conditionalem*. Copulatiua est, *cuius partes principales vniuntur particula copulatiua*, quales sunt *&*, *ac*, *nec*, & similes, vt si dicas: *Homo est rationalis, & equus est hinnibilis; Nec homo est equus, nec equus est homo*. Et, vt copulatiua sit vera, debet habere vtramque partem veram, sed vt sit falsa, sufficit, quòd vtráque, vel altera pars sit falsa. Vt autem sit possibilis, non sufficit habere vtramque partem diuisiuè possibilem; sed requiritur, quod sint compossibiles. Et ideò hæc propositio: *Petrus loquitur, & non loquitur* dicenda est simplicitèr impossibilis: quia licet quælibet pars seorsim accepta sit possibilis, coniunctio tamen earum repugnat.

Disiunctiua est, *cuius partes principales vniuntur coniunctione disiunctiua*, quales sunt *vel*, *aut*, *siuè*, & similes, vt si dicas: *Vel Petrus loquitur, vel sedet*. Hæc autem verificatur, si habeat vnam partem veram: est autem falsa, si vtráque pars falsa sit. Quòd si contingat vtramque partem veram esse, tunc distinguendum est; quia vel disiunctio sumitur in vi disiunctionis, quo pacto facit propositionem exclusiuam, redditque hunc sensum: *Vnum tantum istorum verum est*. Quamobrem, si vtrumque extremum sit verum, tota hypotetica erit falsa. Vel sumitur disiunctio non in rigore disiunctiuo, sed vt valet idem, ac *saltèm*, vel *ad minus*: quo pacto reddit hunc sensum: *Vnum saltèm istorum duorum verum est*. Et in hac acceptione sufficit ad veritatem disiunctiuæ veritas vnius partis, & non obest veritas vtriusque.

Conditionalis est, *cuius partes principales vniuntur particula, si, vel alia simili*, vt in hac propositione: *Si Petrus disputat, loquitur*. Sub conditionali comprehenduntur etiam hypotetica *rationalis*, & *causalis*. Illa est *cuius partes vniuntur particula ergo*, vt si dicas: *Petrus ambulat; ergo mouetur*. Hæc autèm est *cuius partes vniuntur particula quia, vel alia coniunctione causali*, vt cum dicitur: *Quia ignis est, calor est*. In his autem propositionibus, cum sint veræ argumentationes, vna oratio vnitur alteri per modum cuiusdam consecutionis, & prima dicitur antecedens, & secunda consequens. Vbi obserua, prædictas orationes esse simpliciter argumentationes, ac proindè dicendas esse in rigore *bonas*, vel *malas*. Sed quia habent modum quendam enunciationis, saltèm virtualitèr; ideò participant vtcumque rationem propositionis, & provt sic dicuntur *vera*, aut *falsa*, saltèm secundum quid.

Ad veritatem harum propositionum requiritur generalitèr, quòd consequentia sit bona, seù quòd consequens inferatur legitimè ex antecedenti. Sed ad veritatem rationalis insuper desideratur antecedens esse in se verum: & ideò hæc est falsa: *Homo est equus; ergo est animal*; licèt consecutio sit bona. Similitèr ad veritatem causalis requiritur, quòd antecedens sit causa consequentis: quamobrem hæc est falsa: *Quia homo est risibilis, est rationalis*. Vt autèm conditionalis sit vera, sufficit consecutionem esse legitimam; etsi vtrumque extremum sit in se falsum: vndè hæc est vera: *Si immobile currit, immobile mouetur*: & è conuerso hæc est falsa: *Si Petrus est albus, Petrus est musicus*, quia licèt contingat vtrumque extremum esse verum, consequentia est illegitima. Vndè emanauit commune illud axioma, *Conditionalis nihil ponit in esse*.

Quod, vt altius penetres, obserua propositionem conditionalem posse sumi duplicitèr. Primò in rigore consequentiæ: & tunc ad veritatem illius sufficit, & requiritur, quod consequentia sit bona, siuè quod posito antecedenti, & circumscriptis quibuscumque alijs, sequatur consequens: siuè aliàs antecedens, & consequens sint vera, siuè falsa, siuè possibilia, siuè impossibilia, siuè necessaria, siuè contingentia. Et quia consequentia, quæ secundum se est bona, semper est bona, ac proindè necessaria: & quæ secundum se est mala, semper est mala, & per consequens impossibilis: propterea omnis propositio conditionalis vera est necessaria; & omnis conditionalis falsa est impossibilis: & consequenter nulla datur conditionalis contingens. Quapropter ista propositio: *si Petrus venerit in Ecclesiam, conuertetur*; & similes, si illatiuè accipiantur, sunt impossibiles, & determinatè, ac omnino falsæ: quia ex illo antecedenti, circumscriptis alijs, minimè colligitur consequens. Quod expresse docet D. Thom. 7. *Metaph. lect.* 13. *& alibi*.

Potest autèm dictio *si* accipi non illatiuè, sed concomitanter, ità vt significet coniunctionem consequentis ad antecedens fundatam non in bonitate consequentiæ secundum se; sed in aliquo proposito, aut promissione, ratione cuius posito antecedenti, poneretur etiàm consequens, vt patet in illa propositione: *Si Petrus venerit in Ecclesiam, conuertetur*, quæ est vera ex suppositione decreti Dei ità determinantis. In his autèm propositionibus ità acceptis, licèt interueniat aliqua consecutio; hæc tamèn non est bona secundum se: sed innititur decreto, proposito, aut promissioni decernentis, quod posito antecedenti, ponatur consequens. Ad earum ergo veritatem requiritur, quod cùm enunciantur verè existat illud decretum, vel promissio, in quibus fundantur. Ad falsitatem verò sufficit, quòd non detur à principio illud fundamentum: quamuis posteà euentus sequatur. Et ideò hæc est falsa: *Si prò me intercesseris apud regem, dabo tibi equum*, si promittens non habuit propositum sic faciendi; licèt posteà, facta intercessione apud regem, donetur equus. Vndè fit nullam propositionem conditionalem de futuro contingenti, quatenùs antecedit propositum diuinum, esse determinatè veram, adhuc concomitantèr. Videatur Aluarez *lib.* 2. *de Auxilijs, disputat.* 7.

Denique circà hypoteticas obseruandum est esse affirmatiuas, quandò principalis copula affirmatur; siuè extrema sint affirmata, siuè negata, & ideò istæ sunt affirmatiuæ: *Si homo est animal, est sensibilis; si homo non est animal, non est sensibilis*. Sunt autèm negatiuæ, quandò copula est negatiua; siuè extrema sint negata, siuè affirmata: & ideò istæ sunt negatiuæ: *Non si Petrus mouetur, currit; Non si Petrus non mouetur, non currit*. § Vniuersalitas autèm, vel particularitas, quæ sunt quantitas propositionis, in hypoteticis non inuenitur; quia quantitas attenditur penes subiectum: hypoteticæ autèm non componuntur ex subiecto, & prædicato.

Quia ergo propositio hypotetica solùm secundum quid participat rationem propositionis ex quadam similitudine ad categoricam; ideò quidquid de his dictum fuerit, poterit proportionabilitèr hypoteticæ applicari. Quamobrem pluribus omissis, quæ solent alij de hypoteticis pertractare, categoricæ proprietates elucidare studebimus. Prius tamèn agemus de ijs, quæ nullo afficiuntur modo, & simplices appellantur: quia faciliores sunt intellectu. Posteà verò de modalibus agendum est: ad quas simplices expeditiorem sternent viam.

CAPVT V.

De Oppositione propositione simplicium.


PRopositio simplex quasdam sibi vendicat proprietates, nempè *oppositionem*, *aequipollentiam*, & *conuersionem*: quas in hoc, & sequentibus capitibus exponemus. Oppositio ergo est *affirmatio, & negatio eiusdem de eodem*, vt si dicas: *Petrus est albus, Petrus non est albus*.

Ex hac autem definitione legitimè intellecta plura colliguntur requisita ad veram oppositionem. Primum, *vt copula principalis, quae affirmatur in vna propositione, negetur in alia*, vt patet in exemplo adducto. Defectu hujus requisiti, istae non opponuntur: *Petrus, qui disputat loquitur: Petrus, qui non disputat loquitur*.

Secundum est: *vt in vtraque propositione maneant idem praedicatum, & subjectum in nomine, in re significata, in integritate, in tempore, & in loco*: quià haec omnia importantur per ly *eiusdem de eodem*, quod ponitur in oppositionis definitione.

Defectu ejusdem *nominis* eae non opponuntur: *Angelus est Dei: Angelus non est Deus*. ¶ Defectu ejusdem *rei significatae* istae carent oppositione: *Canis latrat; Canis non latrat*, si in prima fiat suppositio prò latrabili, & in secunda prò coelesti. Quod frequens est in aequiuocis. ¶ Defectu *integritatis* non opponuntur illae propositiones, in quarum vna deest aliqua pars, vel modus praedicati, & subjecti, quae erant in alia: siuè sit casus obliquus, siuè aduerbium, siuè copula implicationis, aùt quid simile. Et propter hunc defectum non reperitur oppositio in his: *Petrus currit; Petrus non currit velociter. Omnis equus regis possidetur à rege: Aliquis equus non possidetur à rege: Omnis homo est omne animal: Aliquis homo non est animal*. Excipiuntur signa, quae reddunt propositionem vniuersalem, aut particularem, de quibus posteà dicemus. ¶ Defectu *ejusdem temporis* eae non opponuntur: *Petrus disputat, Petrus non disputat*, si accipiantur prò diuersis temporibus. ¶ Denique defectu *eiusdem loci* non opponuntur istae: *Magister est in aula; Magister non est in aula*, si prima proferatur, dum est in aula: & secunda, cum est in Ecclesia. Quae omnia comprehenduntur, si in oppositione eaedem proprietates terminorum obseruentur, excepta suppositione, quae prouenit à signis; haec enim aliquando variatur, vt jam dicemus.

Oppositio ergo sic explicata diuiditur in *contradictoriam, contrariam, subcontrariam, & subalternam*. Contradictoria inuenitur inter propositiones vniuersalem, & particularem, vt *Omnis homo est animal; Aliquis homo non est animal*, Contraria, inter duas vniuersales, vt *Omnis homo est animal; Nullus homo est animal*. Subcontraria, inter duas particulares, vt *Aliquis homo est animal; Aliquis homo non est animal*. Et in omnibus his supponitur vnam propositionem esse affirmatiuam, & aliam negatiuam; quià hoc est proprium oppositionis rigorosae. Vndè oppositio subalterna, quae datur inter propositiones, quarum ambae sunt affirmatiuae, vel negatiuae; vna tamen vniuersalis, & alia particularis, vt *Omnis homo est animal; Aliquis homo est animal*, impropriè dicitur oppositio; cum ibi non interueniat affirmatio, & negatio. Quià tamen inuenitur inter propositiones habentes diuersam quantitatem, potest vtcumquè dici oppositio. Appellatur autem subalterna; quia particularis continetur sub vniuersali, ex quibus haec vocatur subalternans, & illa subalternata. Prò quibus melius comprehendendis deseruit sequens figura.



Sed prò majori intelligentia oppositionis adhuc nota; ad oppositionem contradictoriam, quandò subjectum est terminus supponens realiter, requiri, quod in vna propositione afficiatur signo vniuersali, & in alia particulari, vt *Omnis homo est animal, Aliquis homo non est animal*. Et ratio est; quia contradictio est maxima oppositio, vt docet *Aristotel*. 10. *Metaphys. capite septimo*; vndè nullum permittit medium; sed est totalis remotio affirmationis per negationem. Quando autem subjectum est terminus communis supponens realiter, negatiua vniuersalis totalitèr destruitur per particularem affirmatiuam, & affirmatiua vniuersalis per negatiuam particularem; & ideò in praedicto casu debet contradictio exerceri variata quantitate propositionum. ¶ Si autem subje-

ctum sit terminus singularis, vel communis supponens simpliciter, copulatè, & confusè; debet manere inuariatum in vtraque propositione, nulla facta mutatione in quantitate, vt videre est in his contradictorijs; *Petrus currit; Petrus non currit. Homo est species; Homo non est species. Omnes Apostoli sunt duodecim; Omnes Apostoli non sunt duodecim. Oculus requiritur ad videndum; Oculus non requiritur ad videndum.* Et ratio est; quia si in his propositionibus mutaretur quantitas, jam affirmatio vnius non destrueretur per negationem alterius, vt liquet in his; *Omnes Apostoli sunt duodecim: Aliqui Apostoli non sunt duodecim:* facilèque constabit consideranti alia exempla.

Deindè prò signis mixtis ex vniuersali, & particulari obserua, alia esse magis vniuersalia, vt *vterque, & neuter*: alia verò magis particularia, vt *alter, & alter non*. Vndè *vterque*, & *neuter* opponuntur contrariè: *alter*, & *alter non* subcontrariè: *vterque, & alter non*, & similiter *neuter*, & *alter* contradictoriè. ¶ Pari proportione conjunctio *&* est signum vniuersale, & conjunctio *vel* signum particulare. Quocircà cùm subjectum vnius propositionis est copulatum per copulam, *&*, debet manere eadem conjunctio in propositione contraria, vt apparet in his: *Petrus, & Paulus est rationalis: Petrus, & Paulus non est rationalis.* Sed vt fiat contradictio, debet *&* mutari in *vel*, dicendo, *Petrus, & Paulus est rationalis: Petrus, vel Paulus non est rationalis.* Erunt autem subcontrariæ, si in vtraque propositione extremum copuletur per *vel*, vt si dicas; *Petrus, vel Paulus est rationalis; Petrus, vel Paulus non est rationalis.* Quæ intelligenda sunt, cùm partes subjecti non copulantur in ordine ad verbum de plurali; tunc enim subjectum supponit copulatè, & per modum singularis, vt *Petrus, & Paulus currunt.* Quamobrèm tunc non poterit exerceri nisi oppositio contradictoria, sicut contingit in alijs singularibus; nec potest mutari quantitas, sed debet eadem conjunctio, *&*, retineri in propositione contradictoria dicendo; *Petrus, & Paulus non currunt.*

Deniquè obserua, quod in propositionibus affectis terminis numeralibus, vt, *bis, tria* &c, fit optimè contradictio præponendo negationem secundæ propositioni, dicendo v. g. *Bis cantaui Missam; Non bis cantaui Missam.*

CAPVT VI.

De legibus oppositionum.

EX dictis colliguntur aliquæ regulæ, prò vnaquaque oppositione. Prima est, *Contradictorias in nulla materia posse esse simul veras, aut simul falsas.* Ratio est; quià in contradictorijs affirmatio vnius totaliter destruitur per negationem alterius, (propter quod contradictio dicitur maxima oppositio, & nullum habere medium) ergo sicut est impossibile idem simul esse, & non esse; ità repugnat duas contradictorias simul esse veras, aut simul non esse veras, sed falsas. Quidquid autem oppositionis inuenitur in alijs, est per participationem à contradictoria, juxtà illud; *Primum in vnoquoque genere est causa cæterorum, quæ sunt in tali genere.* Id verò, quod addunt suprà oppositionem contradictoriam potius minuit repugnantiam; quià est conuenientia in quantitate, nempè vniuersalitatis in contrarijs, & particularitatis in subcontrarijs.

Secunda lex; *Contraria valent esse simul falsa in materia contingenti; & nequeunt esse simul vera in vlla materia.* Primum liquet in his propositionibus; *Omnis homo est albus; Nullus homo est albus.* Quæ euidenter falsæ sunt. Quod etiam contingit in propositionibus indirectis, in quibus inferius prædicatur de superiori, vt si dicas; *Omne animal est rationale; Nullum animal est rationale*; quià inferius habet rationem accidentis respectu superioris. Secundum autem probatur; quià ex opposito fieret, posse dari duas contradictorias simul veras. Si enim hæc est vera; *Omnis homo est albus*, etiam particularis sub illa contenta, nempe; *Aliquis homo est albus*, erit vera; sed hæc est contradictoria alterius vniuersalis negatiuæ, nempè, *Nullus homo est albus*; ergo si hæc etiam est vera, sequitur dari duas contradictorias simul veras.

Tertia lex; *Subcontrariæ possunt esse simul vera in materia contingenti; & nequeunt in vlla materia esse simul falsæ.* Primum constat in his; *Aliquis homo est albus; Aliquis homo non est albus*, quæ veræ sunt. Secundum suadetur ex dictis; quoniam ex opposito fieret dari duas contradictorias simul veras; si enim duæ subcontrariæ sunt simul falsæ, earum contradictoriæ erunt simul veræ: istæ autem sunt duæ vniuersales inter se contrariæ: cum ergo ex duabus contrarijs simul veris, sequantur duæ contradictoriæ simul veræ, vt modò vidimus, jam ex duabus subcontrarijs falsis colligerentur duæ contradictoriæ simul veræ.

Quarta lex. *Ex subalternis in materia naturali si vna est vera, altera etiam est vera; & idem dicendum est de falsitate. Sed in materia contingenti fieri potest, quod vniuersalis sit falsa, & particularis vera*, vt patet in his; *Omnis homo est albus: Aliquis homo est albus. Sed fieri nequit, vt vniuersalis sit falsa, & particularis vera.*

Contra primam regulam objicies: istæ sunt contradictoriæ: *Omne album aliqua albedine est album: Aliquod album aliqua albedine non est album*, & tamen sunt simul veræ; ergo possunt dari duæ contradictoriæ simul veræ. ¶ Confirmatur primò; quia istæ; *Omnis hominis alter oculus est dexter; Alicuius hominis alter oculus non est dexter*, sunt verè contradictoriæ; quas tamen constat esse simul veras; ergo &c. ¶ Confirmatur secundò, nam hæ etiam sunt simul veræ; *Omnis homo seruans omne mandatum Dei saluabitur; Aliquis homo seruans aliquod mandatum Dei non saluabitur.* Et similiter istæ sunt veræ; *Omne animal fuit in arca Noë; Aliquod animal non fuit in arca Noë.* Quibus tamen nihil videtur deficere ad veram contradictionem. Non ergo est vniuersalitèr verum repugnare duas contradictorias simul veras, aut simul falsas.

Respondetur objectioni, illud obliquum, *aliqua albedine* esse partem prædicati, quod in prima propositione affirmatur de subjecto; vndè in secunda debet illud obliquum negari; quod fiet præponendo ei negationem. Vnde istæ sunt verè contradictoriæ; *Omne album aliqua albedine est album; Aliquod album non aliqua albedine est album.* Et hinc colliges generalem regulam prò contradictorijs, nempè quod quandò vna est vniuersalis, & alia particularis, terminus distributus in vna non distribuatur in alia; & non distributus in vna, distribuatur in altera, ità scilicet, vt nullus maneat in vtraque indistributus. Et defectu huius regulæ propositiones, quæ nobis objiciuntur, carent contradictione; quia ly *aliqua albedine*, in nulla earum distribuitur, vt consideranti constabit.

Ad primam confirmationem constat ex dictis; nam ly *alter oculus* in nulla propositione distribuitur. Forent autem contradictoriæ, si diceretur: *Omnis hominis alter occulus est dexter; Alicuius hominis non alter oculus est dexter.* Adde quantitatem propositionis non attendi ex obliquo, sed ex casu recto. In vtraque autem propositione ly *alter oculus*, quod habet rationem recti, est terminus particularis. Vndè non sunt contradictoriæ, sed sub-

subcontrariæ. Fient autem contradictoriæ, si inuariato obliquo, mutetur rectus secundum quantitatem dicendo; *Omnis hominis alter oculus est dexter*; *Omnis hominis neuter oculus est dexter*.

Ad secundam negamus illas primas propositiones esse contradictorias; quia ly *omne mandatum* supponit copulatè in prima propositione, & ideò retinenda est eadem suppositio in secunda, vt fiat contradictio, dicendo; *Omnis homo seruans omne mandatum Dei saluabitur*; *Aliquis homo seruans omne mandatum Dei non saluabitur*. Ad alias propositiones respondemus, quod si in vtraque seruetur suppositio completa, prima est falsa, & secunda vera; si autem seruetur in vtraque suppositio incompleta, prima est vera, & secunda falsa; si verò in prima fiat suppositio incompleta, & in secunda completa, tollitur contradictio; quia suppositio variatur; & ideò nil mirum, quod vtraque habeat verum sensum.

Contra secundam regulam oppones; ideò nequeunt duæ contradictoriæ esse simul falsæ in vlla materia, quia affirmatiua totaliter destruitur per negatiuam; sed hoc idem inuenitur in contrarijs; siquidem ista; *Omnis homo est animal*, totaliter remouetur per hanc; *Nullus homo est animal*, nec potest dari medium inter illas; ergò in nulla materia possunt dari duæ contrariæ simul falsæ.

Respondetur, quod duæ contradictoriæ ideò nequeunt in vlla materia esse simul veræ, aut falsæ, quià, ex vi formæ, nullum admittunt medium, siquidem inter *nullus* v. g. & *aliquis*, nullum medium excogitari potest. Contrariæ autem, quantum est ex parte formæ, permittunt aliquod medium; cum inter *nullum*, & *omne* mediet *aliquis*, vt ex se liquet. Vndè in contrarijs vnum extremum non remouetur totaliter per aliud extremum, sed relinqui potest aliquod medium possibile. Et ità contingit in materia accidentali; nam inter has; *Omnis homo est albus*; *Nullus homo est albus*, quæ sunt falsæ mediant istæ; *Aliquis homo est albus*; *Aliquis homo non est albus*, quæ sunt veræ. Quod si contrariæ sint in materia naturali, quales sunt illæ, quæ recensentur in obiectione; tunc ratione materiæ excludunt omne medium; quià non stat vniuersalem esse falsam, si particularis est vera; siquidem qua ratione aliquis homo est animal, verificatur, quod omnis homo est animal. Vndè non est vniuersaliter verum repugnare duas contrarias, simul falsas in quacumque materia.

CAPVT VII.

De æquipollentia, & conuersione propositionum simplicium.

ÆQuipollentia est *eadem vis duarum propositionum à diuersis signis proueniens*. Eamquè inuenerunt Dialectici, vt propositiones obscuras resoluerent in clariores. Prò quo tria obseruanda sunt, quæ significantur hoc carmine,

Præ contradic; post contra; præ, postquè subalter.

Quod sic exponitur, *Vt duæ contradictoriæ fiant æquipollentes, præponenda est negatio subiecto earum*. Sit exemplum in his contradictorijs; *Omnis homo est animal*; *Aliquis hom o non est animal*; quas reddes æquipollentes, si præponas negationem cuilibet illarum dicendo v. g. *Non aliquis homo non est animal*; fit enim æquipollens primæ scilicet, *Omnis homo est animal*; quia *non aliquis non* idem valet ac *omnis*. Et hoc significatur per illam particulam carminis, *Præ contradic*.

Vt duæ contrariæ fiant æquipollentes, postponenda est negatio subiecto cuiuslibet earum. Et ideò has; *Omnis homo est animal*, *Nullus homo est animal*, reddes æquipollentes dicendo: *Omnis homo non est animal*; sic enim æquiualet secundæ, nempè, *Nullus homo est animal*; quià *omnis non* idem valet ac *nullus*. Et hoc significatur illa particula, *Post contra*.

Vt duæ subalternæ fiant æquipollentes, applicandæ sunt duæ negationes cuilibet earum, vna ante subiectum, & alia post illud. Vndè istas; *Omnis homo est albus*; *Aliquis homo est albus*, facies æquipollentes, si dicas; *Non aliquis homo non est albus*; ità enim æquiualet primæ, nimirum, *Omnis homo est albus*; quià *non aliquis non* idem valet ac *omnis*. Et hoc important posteriores illæ particulæ, *Præ postque subalter*; Prò subcontrarijs nulla traditur regula; quià nunquam possunt fieri æquipollentes, quantumuis varientur signa, vt consideranti constab[i]t.

Ex dictis sequitur signa, quibus propositiones fiunt æquipollentes, esse a fortiori æquipollentia inter se. Hæc autem comprehenduntur sequentibus versibus.

Non omnis, quidam non; omnis non, quasi nullus.
Non nullus, quidam; sed nullus non, valet omnis.
Non aliquis, nullus; non quidam non, valet omnis.
Vterque non, neuter; neuter non, valet vterque.
Non alter, neuter; non alter non, est vterque.

Conuersio est transmutatio vnius extremi totalis in alterum extremum totale, videlicet subiecti in prædicatum & è conuerso. Diuiditur autem in simplicem, & per accidens. Conuersio simplex est, *transmutatio extremorum manente eadem quantitate & qualitate*, nempè vniuersalitate, aut particularitate, affirmatione, aut negatione, veritate, aut falsitate. Et hoc modo conuertitur vniuersalis negatiua, v. g. *Nullus homo est lapis*. *Nullus lapis est homo*: & particularis affirmatiua, v. g. *Aliquis homo est animal*, *Aliquod animal est homo*. ¶ Conuersio per accidens est, *transmutatio extremorum mutata quantitate, non verò qualitate*. Et sic conuertuntur vniuersalis affirmatiua, & vniuersalis negatiua, vt *Omnis homo est animal*: *Aliquod animal est homo*. *Nullus lapis est homo*; *Aliquis homo non est lapis*. Quæ significantur hoc carmine.

Simpliciter F E C I, conuertitur E V A per acci.

Sensus enim, quoad primam partem, est, vniuersalem negatiuam, quæ significatur per *E* & particularem affirmatiuam quæ significatur per *I* contentas in dictione *FECI* conuerti conuersione simplici. Deindè vniuersalem negatiuam significatam per *E*, & vniuersalem affirmatiuam significatam per *A*, quæ continentur in dictione *E V A* conuerti conuersione per accidens. Quarum literarum significatio exprimitur his carminibus.

Asserit A, negat E, sunt vniuersaliter ambo.
Asserit I, negat O, sunt particulariter ambo.

Litera *O* deseruiebat cuidam conuersioni, quam vocant *per contrapositionem*; eam tamen, vt præsenti instituto inutilem, omittimus. Significat autem *O* propositionem particularem negatiuam, illiusque vsus deseruiet dicendis *lib. 4.* circà modos syllogismorum.

Sed vt prædictæ conuersiones rectè fiant, obseruandò. Primò, vt integrum subiectum fiat integrum prædicatum, & è contrà; alias nulla erit consequentia: non enim sequitur; *Petrus videt Paulum*; *ergo Paulus videt Petrum*; sed inferendum est; *Ergo videns Paulum est Petrus*; nàm extremum integrum primæ propositionis non erat ly *Paulum*, sed *videns Paulum*. ¶ Secundò, vt seruentur omnes proprietates terminorum, excepta suppositione, quæ prouenit a signis. Et ideò defectu ampliationis non valet; *Senex fuit puer*: *ergo puer fuit senex*: sed inferendum est: *Ergo quod fuit puer, est, vel fuit senex*. Quæ omnia apprimè retinenda sunt, quia eorum notitia non leuiter conducit ad artem syllogisticam, vt syllogismi imperfecti reducantur ad perfectos, de quo *infrà*.

CAPVT VIII.

De propositione modali.

HActenùs egimus de propositione simplici, seù nullo modo affecta: tractandum nunc est de propositione modali, siuè quæ afficitur modo aliquo. Est autem modus, vt definit D. Thom. *adiacens rei determinatio*. Vndè modificare, est determinare, seù restringere. Quando ergò propositio afficitur aliquo modo determinante vnionem, seù compositionem prædicati, & subiecti, dicitur *modalis*: quales sunt istæ: *Petrum currere est contingens: Petrus contingenter currit*. Et per hunc modum, propositio constituitur in esse modalis; quo ablato, propositio remanens vocatur de inesse, seù *officians*, vt *Petrus currit*.

Porrò isti modi, alijs minoris momenti relictis, sunt quatuor, videlicet, *Necessarium, impossibile, contingens*, & *possibile*; (qui duo postremi, quantum ad præsens, prò eodem reputantur) & correspondent tribus materijs propositionis, quas *cap.* 3. explicuimus: nam naturali respondet *necessarium*; remotæ *impossibile*; contingenti verò *contingens*, & *possibile*. Illa ergò propositio dicetur *modalis*, quæ fuerit affecta vno ex his tribus modis, seù quæ explicuerit non solum conuenientiam prædicati ad subiectum, sed etiam modum conuenientiæ, vt si dicas: *Hominem esse animal est necessarium. Hominem esse album est contingens.*

Prò cuius doctrinæ luce animaduertendum, est prædictos modos bifariam accipi, nempè *nominaliter*, vt necessarium, impossibile contingens: & *aduerbialiter*, vt necessariò, impossibiliter, contingenter. Priori modo accepti, habent rationem prædicati in propositione modali, vt si dicas: *Petrum currere est contingens*: ibi enim de illo infinitiuo, *Petrum currere*, tanquam de subiecto, prædicatur *esse contingens*. Quod etiam verificatur, tametsi modus præponatur propositioni, dicendo: *Contingens est Petrum currere*, nàm quoad sensum postponitur, habetquè officium prædicati. Posteriori autem modo sumpti, non habent rationem prædicati, sed modificant vnionem, prædicati, & subiecti, vt in hac propositione: *Petrus contingenter currit*.

Quo supposito, propositio modalis diuiditur in *compositam*, & *diuisam*. Illa est, *quæ facit sensum compositum*. Hæc verò, *quæ facit sensum diuisum*. Sensus autem compositus fit, quandò vnit extrema dicti secundum sua significata formalia, vt si dicas: *Cæcum videre est contingens*, & significetur posse coniungi actum videndi cum actuali cæcitate. Sensus verò diuisus tunc fit, quandò propositio non vnit extrema secundum significata formalia vtriusque: sed significatum formale prædicati vnit significato materiali subiecti, vt si dicas: *Cæcus contingenter videt*, & significetur hominem, qui alias est cæcus, posse videre.

Vt autem discernamus, quandò propositio faciat sensum compositum, & quandò diuisum; sequentem, & vniuersalem regulam tradunt D. Thom. *opusc* 4. Ferrara, 1. *contra gentes cap.* 67. Aluarez *lib.* 12. *de Auxilijs, disp.* 115 *num.* 12. & communiter Thomistæ. Tunc modalis facit sensum compositum, cùm dictum subijcitur, & modus prædicatur, vt si dicas: *Prædestinatum condemnari est impossibile*. Tunc verò reddit sensum diuisum, quandò modus non prædicatur, sed interponitur partibus dicti, vt in hac propositione: *Prædestinatus impossibiliter condemnatur*. Et ratio huius regulæ est: nam quandò modus prædicatur, tunc totum dictum est subiectum, & consequenter de partibus dicti sumptis per modum vnius prædicatur modus; vndè significatur extrema dicti esse compossibilia in eodem subiecto: in quo consistit sensus compositus. Et ideò in illa propositione: *Prædestinatum condemnari est impossibile*, significatur repugnare, quod actualis condemnatio coniungatur cum actuali prædestinatione, quod est verissimum & proptereà talis propositio sine vlla distinctione admittenda est. Cæterum quandò modus non prædicatur, sed ponitur inter partes dicti, non componit extrema, sed permittit, quod vnum habeat rationem subiecti, & alterum prædicati: & ideò, secundum generales regulas appellationis, significatum formale prædicati appellat supra materiale subiecti: in quo consistit sensum esse diuisum. Quamobrem in illa propositione: *Prædestinatus impossibiliter condemnatur*, significatur hominem, qui alias est prædestinatus, non posse condemnari, quod est falsissimum: & ideò talis propositio sine vlla distinctione neganda est. Quod si Doctores modalem quoquo modo dispositam distinguunt; id præstant, ne his dialecticis præcisionibus implicentur, & vt imperitioribus se conforment: quia cum pluribus loquendum est.

Quâ regulâ, vt facilius, expeditiusque vti valeas, obserua, extrema dicti aliquando significare duas actiones: & tunc modalis composita vnit illas actiones simul, vt si dicas: *Ridentem esse flentem est impossibile*, significatur non posse actionem ridendi, & actionem flendi simul esse in eodem subiecto. Aliquandò verò significant solum potentias; & tunc modalis composita, solum componit potentias, vt si dicas: *Risibile esse flebile est impossibile*, significatur non posse potentiam ad flendum, & potentiam ad ridendum coniungi in eodem subiecto. Aliquandò autem vnum extremum significat potentiam, & aliud actum: & tunc modalis composita componit actum cum potentia, vt si dicas: *Ridentem esse flebilem est impossibile*, significatur non posse actum ridendi, & potentiam ad flendum coniungi in eodem subiecto.

Ex quibus liquet, primam propositionem, nempè, *Ridentem esse flentem est impossibile*, esse verissimam: quià enuntiat actus ridendi, & flendi esse incompossibiles, quòd omninò verum est. Secunda verò videlicet, *Risibile esse flebile, est impossibile*, est falsissima: quià enuntiat potentias ad ridendum, & flendum non posse in eodem subiecto coniungi, quod apertè falsum est. Tertia etiam est falsa, nimirum, *Ridentem esse flebilem est impossibile*: quià enuntiat actum ridendi non posse coniungi cum potentia ad flendum, quod falsum est, vt ex se liquet.

Qua ratione Thomistæ absolutè concedunt hanc propositionem: *Voluntatem à Deo præmotam auxilio efficaci dissentire est impossibile*, quia reddit hunc sensum: *Præmotio actualis auxilij efficacis, & dissensus actualis nequeunt simul existere in eadem voluntate*. Quod est verissimum, nullusque negabit nisi, qui negauerit Augustinum, & diuini auxilij efficaciam. E contra verò Thomistæ negant absolutè illam: *Voluntatem à Deo præmotam posse dissentire est impossibile*, quia significat: *Actualis Dei motio, & potentia ad dissentiendum non possunt esse in eadem voluntate*. Quod est falsissimum, nullusque admittet, nisi qui negauerit libertatem voluntatis. Sed hæc superant præsens institutum: eaquè vel delibasse sufficiat, vt nouitij in schola Thomistica non omninò ignorent distinctionem sensus diuisi, & compositi sibi satis affinem, & alijs materijs grauioribus opportunam.

His circà essentiam, & diuisionem propositionis modalis præmissis, videndum est, vndè in ea desumuntur affirmatio, & negatio; vniuersalitas vel particularitas; veritas, vel falsitas, & aliæ proprietates propositionis. Hoc autem difficultate caret in modali diuisa: in ea

quippè

quippè idem ferè iudicium habendum est, ac in propositione simplici, seù de inesse. Pauca verò excipiuntur, quæ *cap. sequenti* adnotabimus. Et ideò relicta modali diuisa, agendum est de affectionibus modalis compositæ, quæ ob diuersam structuram, diuersimodè sortitur quantitatem, qualitatem &c. vt iam subijcimus.

CAPVT IX.

De Quantitate, Qualitate, Oppositione, Æquipollentia, & Conuersione propositionis modalis compositæ.

AFfirmatio, & negatio in propositionibus modalibus attenditur penès copulam principalem, quæ nimirum modus enuntiatur de dicto: & ideò cum modus negatur, modalis est absolutè negatiua, licet dictum affirmetur, vt si dicas: *Petrum currere non est contingens*. Quandò autem modus affirmatur propositio est simpliciter affirmatiua, quamuis dictum negetur, vt si dicas: *Petrum non currere est contingens*. Solet tamen prima illa modalis dici affirmatiua de dicto, & negatiua de modo: secunda verò appellatur negatiua de dicto, & affirmatiua de modo: sed absolutè loquendo prior est negatiua, & posterior affirmatiua.

Idem proportionabiliter dicendum est de modalis quantitate; hæc enim attenditur ex quantitate modi. Et ideò illa modalis est simpliciter vniuersalis: cuius modus est vniuersalis, quamuis habeat dictum particulare: sicut è conuersò, illa est simpliciter particularis cuius modus est particularis, licet habeat dictum vniuersale. Modi autem vniuersales & particulares dicuntur tales per correspondentiam ad signa quantitatis propositionis, & comprehenduntur his versibus.

Omnis necesse valet: impossibile, nullus;
Possibile quidam: quidam non, possibile non;

Qui significant quod *necesse* est modus vniuersalis affirmativus, & correspondet signo *omnis*: at *impossibile* est modus vniuersalis negatiuus, & correspondet signo *nullus*: deindè *possibile*, seu *contingens* est modus particularis affirmatiuus, & correspondet signo *quidam*: deinde *possibile non*, seù *contingens non*, est modus particularis negativus, & correspondens signo *quidam non*.

Circà veritatem, & falsitatem modalis obserua, propositionem de contingenti esse veram, quandò eius de inesse est contingens, vt si dicas: *Petrum currere est contingens*, & esse falsam quandò eius de inesse non est contingens, vt si dicas: *Petrum esse lapidem, est contingens*. Propositio autem de impossibili est vera, quandò eius de inesse est impossibilis, vt si dicas, *Petrum esse equum est impossibile*: & est falsa, quandò eius de inesse non est impossibilis: vt si dicas: *Petrum esse album est impossibile*. Propositio deniquè de necesse est vera, cum eius de inesse est necessaria, vt si dicas: *Hominem esse animal est necesse*: & est falsa, quandò eius de inesse non est necessaria, vt si dicas: *Hominem esse album est necesse*. ¶ Vbi etiam obserua, omnem modalem veram esse necessariam, & omnem falsam esse impossibilem. Et ideò hæc est necessaria: *Petrum currere est contingens*: & hæc impossibilis: *Petrum currere non est contingens*. Et ratio est: quià in modali non solum explicatur prædicatum conuenire subiecto; sed exprimitur modus conuenientiæ: necessarium autem est, quod currere conueniat Petro contingenter; & impossibile, quod conueniat non contingenter: ergo prima illa propositio est necessaria, & secunda impossibilis: idemque de alijs modalibus dicendum est.

Deindè circà oppositionem modalium obseruandum est, quod cum isti modi correspondeant signis suprà explicatis, pari modo fundant oppositionem. Vndè sicut *omnis*, & *nullus* opponuntur contrariè: ità *necesse*, & *impossibile*. Sicut *aliquis*, & *aliquis non*, opponuntur subcontrariè: ità *contingens*, & *contingens non*. Sicut *Omnis & aliquis non*, & similiter *nullus*, & *aliquis* opponuntur contradictoriè: ità *necesse & contingens non*, & similiter *impossibile & contingens*. Et deniquè sicut *omnis* & *aliquis*, & similiter *nullus*, & *quidam non*, subalternantur: ità etiam *necesse*, & *contingens*, & similiter *impossibile*, & *contingens non*.

Præterea circà æquipollentiam horum modorum animaduertendum est, etiam in eis valere illam regulam: *Præ contradic. post, contra: præ, postque subalter*. Vndè *necesse*, & *contingens non*, qui sunt modi contradictoriè oppositi, fient æquipollentes, si cuilibet præponatur negatio. Verbi gratia, istæ sunt contradictoriæ: *Petrum currere est necesse*: *Petrum currere non est contingens*: quas facies æquipollentes, si primæ præponas negationem, dicendo: *Non est necesse Petrum currere* quià, *non necesse*, idem valet, ac *contingens non*. Idemque fiet in contrarijs, postponendo negationem cuilibet illarum; & in subalternis, illam præponendo, & postponendo, vt in simplicibus diximus. In modalibus autem, tunc anteponitur negatio, cùm negatur modus; & tunc postponitur, cùm negatur dictum: tunc verò anteponitur, & postponitur, cùm vtrumque negatur: quod fit ponendo negationem tam à parte dicti, quam à parte modi, vt facilius constabit ex figura infrà statuenda.


Quam vt intelligas, nota, Dialecticos inuenisse quatuor dictiones, seu rotulos, nempe, *Purpurea*, *Illiace*, *Amauimus*, *Edentuli*, in quibus inueniuntur quatuor istæ vocales A. E. I. V. Harum A. significat affirmatiuam de dicto, & de modo. V. negatiuam de dicto, & de modo. E. negatiuam de dicto, & affirmatiuam de modo. I. affirmatiuam de dicto, & negatiuam de modo, iuxtà illud carmen.

E dictum negat: I què modum; nihil A: sed. V. totum.

Quælibet ergo dictio continet quatuor modos suprà *cap. praced.* relatos: ità quod prima litera in vnaquaque dictione significat propositionem de possibili: secunda de contingenti: tertia de impossibili: & quarta de necesse. Distributis ergò modis in quatuor angulis, ità, vt *purpurea*, & *illiace* collocentur in superioribus; & *amauimus*, & *edentuli*, in inferioribus, formatur figura oppositionis inter modales compositas. Nam, quæ sunt in *purpurea*, & *illiace* opponuntur contrariè: quæ *in amauimus*, & *edentuli*, subcontrariè: quæ in *purpurea*, & *edentuli*, & similiter, quæ in *illiace*, & *amauimus*, contradictoriè: & deniquè, quæ in *purpurea*, & *amauimus*, & pariter, quæ in *illiace*, & *edentuli* subalternè.

Propositiones autem ejusdem rotuli omnes sunt æquipollentes. Quas faciliùs comprehendes, inspiciendo subjectam figuram.

Quæ



Quæ omnia procedunt, & verificantur provt jacent, quandò propositio est de dicto singulari. Si autem dictum est commune, opus est, vt si in propositione *de necesse* est vniuersale, in alijs modis sit particulare; vel è conuerso; alias dabuntur duæ contradictoriæ simul veræ, v. g. *Necesse est aliquod animal esse hominem*: *Possibile est aliquod animal non esse hominem*, quod vitatur, mutando quantitatem dicti, v. g. *necesse est omne animal esse hominem*: *Possibile est aliquod animal non esse hominem*. Vel, *Necesse est aliquod animal esse hominem*: *Possibile est nullum animal esse hominem*, Ex quibus vna est vera, altera falsa, & hæc de propositione, & æquipollentia inter modales compositas. Sed prò modalibus diuisis adhuc notandum est, quod, vt fiat contradictio, debet mutari quantitas modorum, ità vt in vna sit vniuersalis, & in alia particularis. Et ideò respectu istius: *Petrus necessariò est homo*: hæc erit contradictoria: *Petrus possibiliter non est homo*. Quod si modalis diuisa sit de subjecto communi, debet etiam mutari quantitas dicti, vt si dicas: *Omnis homo necessario est animal*, illius contradictoria erit: *Aliquis homo possibiliter non est animal*.

Deniquè prò conuersione modalium obserua, quod generaliter loquendo, conuertuntur ratione dicti, & inuariato modo, juxta regulas *cap. 7.* traditas, siuè modalis sit composita, siuè diuisa: vt si dicas: *Omnis homo necessario est animal*, fiet conuersio dicendo: *Aliquod animal necessariò est homo*. Si dicas: *Omnem hominem esse animal est necesse*, fiet conuersio: *Aliquod animal esse hominem est necesse*. Si autem in propositione de necesse subjectum dicti sit aliquod concretum accidentale, tunc *necesse* mutandum est in *possibile*; alias dabitur antecedens verum, & consequens falsum, vt *Grammaticus necessariò est homo*, non valet: *Ergo homo necessariò est Grammaticus*: sed inferendum est: *Ergo possibiliter est Grammaticus*. Et ratio est: quia sæpe vna res petit necessariò vniri alteri, quin hæc necessariò petat priori conjungi. Alia non ità necessaria solent alij inculcare in præsenti: quæ tamen modò omittimus. Imo præceptores monemus, ne nouitiorum intellectum nimis in hac parte discrucient: nouimus enim nobilia ingenia non semel his regulis intricari, easque velut jejunas rationalis discursus, quem auent, summoperè fastidire. Vndè curandum est, vt quantociùs extricentur ab his labyrinthis.

CAPVT X.

De propositionibus exponibilibus.

PRopositio exponibilis dicitur, *quæ ratione alicujus in ea inclusi, habet sensum obscurum*. Vndè indiget exponi per aliam propositionem, quæ, ob hanc causam, exponens appellatur.

Primum genus exponibilium est earum, quæ dicuntur *exclusiuæ*: quià afficiuntur aliqua dictione exclusiua, quales sunt *tantum*, *dumtaxat*, & similes. Quandò ergò talis particula afficit subjectum, modificat totam propositionem, & reddit absolutè exclusiuam, excluditquè omnia alia subjecta à participatione talis prædicati, vt si dicas: *Tantum homo est rationalis*, exponitur sic: *Homo est rationalis, & nullus ab homine est rationalis*. Quandò verò afficit prædicatum, propositio dicitur de excluso extremo, & excludit à subjecto omnia alia prædicata, vt si dicas: *Homo est tantum rationalis*, exponitur ità: *Homo est rationalis, & non est aliquid aliud*. Quæ duò sunt valdè diuersa, vt videre est in his duabus propositionibus: *Prædicabilia sunt tantum quinquè*. *Tantum prædicabilia sunt quinquè*; quarum prima est vera, quià significat prædicabilia non esse plura, vel pauciora: secunda verò est falsa, quia significat numerum quinarium solis prædicabilibus conuenire. Obserua tamen istas particulas, cuicumque applicentur, non excludere ea, quæ necessariò illud comitantur; & ideò si dicas: *Tantum diligo salutem*, non excludis media necessaria ad consequendum illam.

Secundum genus propositionum est earum, quæ vocantur *exceptiuæ*: quià afficiuntur particula exceptiua *præter*, vel alia simili. Nequit autem fieri exceptio, nisi detur aliquid commune, ex quo aliquid excipiatur: & ideò ad exceptiuam requiritur, quod terminus sit communis, & distribuatur. Defectu cujus hæc: *Homo est albus præter* Petrum, impropriè dicitur exceptiua: sicut è conuersò ista: *Omne animal, præter hominem, est irrationale*, est exceptiua cum proprietate. Quam rectè expones, si loco particulæ *præter*; ponas, *excepto*, vt si dicas: *Omne animal, excepto homine, est irrationale*: vel per copulam implicationis negatiuam, dicendo: *Omne animal, quod non est homo, est irrationale*.

Tertium genus est earum, quæ dicuntur *reduplicatiuæ*: quia habent subjectum duplicatum, ratione alicujus particulæ, illud duplicantis, quales sunt, *vt*, *in quantum*, *quatenùs*, *quâ ratione*, *& similes*. Istæ autem dupliciter accipiuntur; nempè *reduplicatiuè*, & *specificatiuè*. Sumuntur reduplicatiuè, quandò reduplicant causam, ob quam prædicatum conuenit subjecto, vt si dicas: *Petrus in quantum rationalis, est risibilis*. Et tunc rectè exponuntur per causalem dicendo v. g. *Quia Petrus est rationalis, est risibilis*. Sumuntur autem specificatiuè, cum reduplicant rationem formalem, seù naturam, cui adequatè conuenit prædicatum; licet non sit causa istius, vt si dicas: *Color in quantum color, est objectum visus*. Et tunc, non per causalem, sed per conditionalem, aliqualiter exponuntur, dicendo v. g. *Si est color, est objectum visus*. Quæ, licet in rigore dialecticò, vera sint; vulgò tamen non obseruantur: sed illa propositio dicitur sumi reduplicatiuè, quæ reduplicat rationem, ob quam prædicatum conuenit subjecto: illa verò specificatiuè, quæ reduplicat aliquid purè materialiter, aut concomitanter se habens ad prædicatum. Quod, licet non probemus; haud facilè tamen erit extirpare, & contrarium rigorem inducere.

Deindè circà reduplicatiuas obseruandum est, aliquandò non sumi reduplicatiuè, vel specificatiuè; sed solum diminutiuè, vt cum dicitur: *Aethiops est albus secundum dentes, vel quantum ad dentes est albus*, non reduplicatur causa, vel ratio formalis prædicati; sed prædicatum, quod ex se poterat conuenire toti subjecto, diminuitur, & trahitur ad partem ejus. Quamobrem Æthiopem non vocamus album simpliciter, sed solum secundum quid. Circà quod rectè obseruat D. Thom. 3. *p. q.* 16. *art.* 8. quædam esse, quæ indifferenter possunt conuenire toti, vel parti: & hæc cùm inueniuntur in sola parte, non denominant totum simpliciter, sed solum secundum quid, siuè cùm addito: & ideò non dicimus *Aethiops est albus*; sed albus secundum dentes. Alia autem sunt, quæ nequeunt esse in toto, sed in sola parte: & hæc si in illa inueniantur, tribuuntur toti absolutè, & ideò dicimus. *Petrus est crispus*, licet crispitudo non sit in toto corpore: quià non potest ei conuenire nisi secundum capillos, & inuenitur in istis.

Et hinc oritur, vt ibidem notat S. Doct. quod ea de quibus non dubitatur, an conueniant Christo Domino ratione humanæ, vel diuinæ naturæ; sed certò cognoscitur, quod conueniant ratione illius, prædicentur absolutè de Christo, vt cùm dicimus esse passum, mortuum, & sepultum. Ea verò, de quibus suspicari potest vtrum conueniant illi ratione humanitatis, vel personalitatis diuinæ, non sunt ei attribuenda absolutè; sed cum addito diminuente; nè cum hæreticis videamur conuenire. Et ideò istæ: *Christus incepit esse*: *Christus est creatura*, *&* *minor* Patre, non conceduntur absolutè à Catholicis: quia Ariani dicebant hæc verificari de Christo non solum quòad humanitatem, sed etiam quòad personam. Similiter istæ, *Christus est incorporeus*, *Christus est impassibilis*, non sunt concedendæ absolutè: quià Manichæi tenebant Christum non habuisse verum corpus passibile. Et ideò oportet prædictas propositiones distinguere, easque admittere cum addito diminuente, videlicet Christum incepisse, esse creaturam, & minorem Patre secundum humanitatem, esse verò incorporeum, & impassibilem secundum diuinitatem. Alias exponibiles, quas vocant *insolubiles* vel se falsificantes, consultò omittimus: quià sunt puræ sophisticæ, & conducere nequeunt ad scientiam comparandam.

LIBER QVARTVS

De Argumentatione.

ACCEDIMVS jam ad argumentationem, quæ est præcipuum Dialecticæ instrumentum, & cui proindè alia instrumenta subseruiunt: cujus naturâ, speciebus, ac proprietatibus expositis, breues eæ institutiones absoluentur.

CAPVT I.

De Speciebus Argumentationis.

EX dictis *lib. 1. cap. 4.* constat, quid sit argumentatio, & quod diuidatur communitèr in syllogismum, enthymema, inductionem, & exemplum. Modò videndum est qualis sit ista diuisio? & vtrum omnes istæ argumentationes distinguantur specie?

Ad quod respondendum est primò, syllogismum, & inductionem esse argumentationes specie differentes. Ita Aristot. 2. *Prior. cap. 23.* vbi ait; *Quodammodò opponitur inductio syllogismo: hic enim per medium probat extremum de tertio; illa verò per tertium probat extremum de medio. Natura igitur prior, & notior est syllogismus, qui fit per medium; nobis verò euidentior est, qui fit per inductionem.* Ex quibus verbis desumitur nostræ resolutionis fundamentum; quoniam argumentationes differunt penès dispositionem, seù formam; sed syllogismus, & inductio habent dispositiones, & formas specie, siuè essentialiter distinctas; siquidèm in syllogismo extremitates vniuntur cum medio in præmissis, ex vi cuius vnionis vniuntur postea inter se in conclusione, ac proindè ibi propriè datur medium vniens extrema; inductio verò habet dispositionem longè diuersam; nec enim in ea datur medium vniens extrema; sed loco plurium terminorum singularium, qui sunt in antecedenti, ponitur terminus communis æquiualens in consequenti: ergò sunt argumentationes species distinctæ.

Dicendum est secundò, syllogismum, & enthymema non esse argumentationes specie diuersas; sed solum differre tanquam perfectum, & imperfectum intrà eandem speciem; & eodem modo se habere inter se inductionem, & exemplum. Ità Aristot. loco citato, & 1. *Poster. cap. 1.* vbi Diuus Thomas *lect. 1.* inquit: *Vndè patet, quod sicut enthymema est quidam syllogismus detruncatus; ità exemplum est quadam inductio imperfecta.* Et probatur ratione; quià diuersitas specifica argumentationum sumitur à diuersa earum dispositione, seù forma; sed eadem dispositio inuenitur in enthymemate, ac in syllogismo; & in exemplo, ac in inductione; ergò non constituunt diuersas species argumentationis. Suadetur minor quòad primam partem; quia licet in enthymemate non ponatur expressè nisi vna præmissa, nempè antecedens; nihilominùs in isto implicatur, ac intelligitur alia; eò quod repugnat vniri extremitates inter se in conclusione, nisi priùs in antecedenti vniantur cum medio: ad quod necessariæ sunt duæ præmissæ, saltem implicitè: ergo enthymema habet, re ipsa, eamdem dispositionem, & formam, ac syllogismus. Sit exemplum in hoc enthymemate; *Omnis homo est risibilis; ergo Petrus est risibilis*, quod nullatenus conuincit, & euincit consequens, nisi subintelligatur ex parte antecedentis hæc propositio; *sed Petrus est homo*; ea autem posita, iam enthymema habet eandem dispositionem, ac syllogismus.

Vndè etiam constat veritas minoris quòad secundam partem; nam artificium inductionis consistit in eo, quod ex pluribus particularibus colligat aliquod vniuersale, ab hac autem dispositione non differt exemplum; licèt communitèr non procedat nisi ex vno singulari; neque inferat nisi vnicum singulare; quia si antecedenti singulari addantur alia singularia, iam colligeretur vniuersale, transiretque proindè exemplum in inductionem.

Quod autem syllogismus, & enthymema comparentur tanquam perfectum, & imperfectum; & similiter inductio, & exemplum facilè probatur; quoniam perfectum est, cui nihil deest, imperfectum verò cuius aliquid desideratur; sed syllogismo nulla deest præmissa, vt inferat conclusionem; enthymemati autem deficit aliqua præmissa; similiter inductio habet ex parte antecedentis sufficientia singularia, vt colligat aliquod vniuersale; exemplum verò deficit ab hac perfectione, eò quòd non procedat, nisi ex vnico singulari: ergò syllogismus, & enthymema comparantur, vt quid perfectum, & imperfectum, & similiter inductio, & exemplum. Ex quo fit, quod licet Dialectici communitèr recenseant prædictas quatuor argumentationes; nihilominùs solùm syllogismus, & inductio sint argumentationes Dialecticæ, aptæquè ad generandam scientiam; enthymema verò, & exemplum magis pertineant ad Rhetoricam, & conducant ad persuadendum.

Sed obijcies aduersus conclusionem; nàm quæ differunt definitione essentiali, differunt specie; sed omnes eæ quatuor argumentationes differunt definitione essentiali; siquidem Aristot. 1. *Prior.* diuersis, ac essentialibus definitionibus eas definiuit; ergo distinguuntur specie. ¶ Respondetur, negando minorem, quià syllogismus, & enthymema solùm habent definitiones materialiter diuersas, ad modùm quo puer, & vir definiuntur diuersis definitionibus intrà speciem hominis; absolutè enim sortiuntur eandem definitionem, sicùt & essentiam cum sola diuersitate penès perfectum, & imperfectum. Idemque de inductione, & exemplo dicendum est.

Ex dictis aperitur intelligentia alterius diuisionis, qua argumentatio solet diuidi in *formalem*, & *materialem*. Argumentatio formalis datur, quandò nullus terminus est in consequenti, qui non fuerit in antecedenti; licèt aliquis sit in antecedenti, qui in consequenti non ponatur; in hoc enim artificio consistit forma argumentationis, quæ proindè meritò appellatur formalis. Illa verò materialis dicenda est, in qua licèt consequentia sit bona ex eo, quod consequens inferatur ex antecedenti, nihilominùs non infertur ex vi formæ, seù dispositionis terminorum; nàm aliquis est in consequenti, qui non fuit in antecedenti. Vndè etiam fit quod apud Dialecticos solus syllogismus habeat rationem argumentationis formalis, vtpotè qui seruat dispositionem illam terminorum; aliæ autem argumentationes tanquam materiales habendæ sunt, quià ab illa dispositione deficiunt.

CAPVT II.

De Legibus Argumentationum.

IN hoc capite agemus de legibus tùm communibus omni argumentationi, tùm peculiaribus inductionis, vt in sequentibus tractemus de legibus syllogismi, cuius notitia pluris habetur apud Dialecticos. Igitur, prò omni argumentatione, tres leges statuunt communiter Doctores. Prima est: *In omni bona argumentatione semper ex antecedenti vero sequitur verum; ex necessario necessarium; & ex contingenti contingens.* Et ratio est; quia omnis causa non impedita, producit effectum similem sibi; sed antecedens est causa consequentis: ergò antecedens verum, necessarium, vel contingens infert consequens verum, necessarium, vel contingens.

Secunda lex est; *Ex antecedenti falso aliquandò sequitur falsum, & aliquandò verum.* Primum liquet in hac argumentatione; *Petrus est equus; ergo est hinnibilis.* Secundum in ista; *Petrus est equus; ergo est animal.* Cùm autem diximus *ex falso consequi verum*, non ità accipiendum est, quasi falsitas antecedentis valeat influere in veritatem consequentis; hoc quippè repugnat, vt satis,

tis, ex se, liquet. Sed sensus est, posse præmissas falsas ità disponi, vt ex illis sequatur, sequela Logica, consequens, quod aliàs est verum physicè, & non ab ipsis præmissis. Vndè, ex tali argumentatione habetur bonitas consequentiæ, non autèm veritas consequentis: hæc enim aliundè habetur.

Tertia lex est: *In bona argumentatione conclusio sequitur debiliorem partem*, id est, si aliqua præmissarum est particularis, conclusio debet esse particularis: & si aliqua præmissarum est negatiua, conclusio debet esse negatiua, vt constat in hoc syllogismo: *Nullum animal est lapis: sed aliquis homo est animal: ergo aliquis homo non est lapis.* Et ratio est: quià in causis subordinatis effectus sequitur debiliorem causam, huic enim se se attemperat superior, vt patet in Deo, qui cum debilibus, debilitèr, & cum fortibus, fortitèr operatur: præmissæ autèm se habent, vt duæ causæ subordinatæ respectu conclusionis: hæc igitur debet sequi præmissam debiliorem.

Ex prima, & secunda lege sequuntur duo modi arguendi. Nàm benè valet: *Antecedens est verum: ergò consequens est verum.* Et similitèr benè valet: *Consequens est falsum: ergò antecedens est falsum.* Ratio est: quià ex vero semper sequitur verum; ac proindè si consequens est falsum, non inferetur ex antecedenti vero, sed ex falso. Non autèm valet: *Antecedens est falsum: ergo consequens est falsum.* Nec similitèr: *Consequens est verum: ergo antecedens est verum.* Quoniam ex falso aliquandò sequitur fallum, & aliquandò verum, vt dictum est.

Cæterùm, vt leges prò inductione jam statuamus, animaduertendum est ipsam bifariam fieri. Aliquandò enim, vt hactenùs insinuauimus, procedimus à pluribus singularibus ad colligendum aliquod vniuersale: & hæc argumentatio communitèr vocatur *inductio*, & *ascensus*. Aliquandò autèm ex aliquo vniuersali colligimus plura singularia, quæ argumentatio dicitur *reductio*, seù *descensus*; quamuis vtraque communitèr vocetur inductio, & sub eadem specie argumentationis contineatur.

Quò supposito, eæ breues regulæ tàm prò ascensu, quàm prò descensu in inductione obseruandæ sunt: *Si terminus supponat distributiuè, fiet descensus à propositione vniuersali ad plures singulares copulatiuè, vel ad vnam de copulato extremo, & verbo singulari.* Verbi gratia, ex hoc principio: *Omnis homo est animal*, sic inferes: *Ergo hic homo est animal, & hic homo est animal*, &c. vel sic: *Ergo hic homo, & hic homo &c. est animal.* Ascensus autem fiet è contrà. § *Quod si terminus supponat collectiuè, descendendum est copulatim.* Et ideò ex hac propositione: *Omnes Apostoli sunt duodecim*, inferes: *Ergo hic Apostolus, & hic Apostolus &c. sunt duodecim.* Et ascensus fiet è contrà. § *Si autèm terminus supponat determinatè, fiet descensus à propositione particulari, ad plures singulares disiunctiuè, vel ad vnam de disiuncto extremo.* Vndè ex hac propositione: *Aliquis homo est albus*, sic colliges: *Ergò hic homo est albus; vel hic homo est albus*, &c. Ascensus verò fiet è contra. § *Denìquè cum terminus supponit confusè, descendendum est à propositione confusa ad singulares disiunctiuas, & sub quadam confusione*, hoc modo; *Oculus requiritur ad videndum: ergo dexter requiritur, vel sinister requiritur, vel vterque.* Et ascenditur è contrà. Quæ omnia, vt rectè fiant, recolendæ sunt regulæ suppositionis, quas dedimus *lib. 2. cap. 4.*



CAPVT III.

De syllogismo, & triplici ejus figura.

SYllogismi perfectio suprà alias argumentationes, vel ex eo elucet, quod continet intrà se medium, cum quo vniuntur extremitates in præmissis: vndè ex propria dispositione habet vim eas vniendi in consequenti: ac proindè non indiget aliquo extrinseco, vt legitimè concludat. In illo autèm, cùm sit quoddam rationis compositum, distinguendæ sunt *materia, & forma*. Porrò materia duplex est, videlicèt *proxima*, & *remota*. Materia proxima syllogismi sunt *propositiones ex quibus immediatè componitur*. Remota verò consistit *in terminis, qui componunt immediatè propositiones, & mediatè syllogismum*. In quolibet autèm syllogismo tres inueniuntur termini, & vnusquisque bis repetitur. Ex quibus, qui bis repetitur in præmissis, vocatur *medium*; qui cum medio conjungitur in majori, dicitur *major extremitas*; & qui in minori *minor extremitas*.

Quæ omnià cernere licet in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal: sed Petrus est homo: ergo est animal.* In quo, tres propositiones, sunt materia proxima illius; & tres termini nempè, *homo*, *animal*, & *Petrus*, materia remota. Ex quibus *homo*, quià bis repetitur in præmissis, est medium; *animal*, quià conjungitur medio in majori, est major extremitas; & *Petrus*, quia in minori copulatur eidem medio, est minor extremitas.

Forma verò syllogismi consistit in artificio propositionum, & terminorum, & diuiditur juxtà diuisionem materiæ, cui correspondet. Alia enim forma correspondet terminis, & vocatur *figura syllogismi*, & *est recta dispositio terminorum secundum subjectionem, vel prædicationem*. Alia autèm correspondet propositionibus, & dicitur modus syllogismi, *estquè apta dispositio propositionum secundum affirmationem, vel negationem, vniuersalitatem, vel particularitatem.*

Porrò figura syllogismi est triplex, juxtà triplicem combinationem medij cum extremitatibus, in qua ratio figuræ consistit. Quoniàm, vel medium subjicitur in majori, & prædicatur in minori: & sic est prima figura. Vel prædicatur in vtraque præmissa: & sic est secunda figura. Vel in vtraque subjicitur: & sic est tertia. Quod significatur illo carmine.

Sub præ prima: secunda bis præ: tertia bis sub.

Ex quibus prima figura est nobilior: quià ibi medium verè mediat, cùm prædicetur in vna, & subjiciatur in altera. Secunda, excedit tertiam: quià in ea medium est prædicatum in vtraque præmissa, & ratio prædicati est nobilior, quam ratio subiecti. Vndè tertia est omnium imperfectior: quià medium in vtraque præmissa habet rationem subiecti.

Dices: potest medium ità combinari cum extremis, vt in maiori prædicetur, & in minori subjiciatur; vt constat in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal: sed omne animal est sensibile: ergò aliquod sensibile est homo.* Constat autèm hanc figuram esse diuersam à tribus, quas recensuimus: ergò diuisio figuræ est insufficiens, & inadæquata.

Propter hanc obiectionem solent Medici admittere quartam figuram. Cæterùm Dialecti eam communitèr excludunt, & meritò: quoniam cùm syllogismus concludit directè, debet in consequenti maior extremitas prædicari de minori: maior quippè extremitas continendo in præmissis medium, continet consequenter extremitatem minorem, quæ in medio includitur, valetque proindè prædicari de illa in consequenti. Vt autèm hæc disposi-

dispositio seruetur, nequit in præmissis maior extremitas esse subiectum, & minor prædicatum; siquidèm subiectum non continet prædicatum, sed è conuersò. Cum ergò in quarta figura maior extremitas subijciatur, & minor prædicetur; planè sequitur, ipsam ineptam esse ad concludendum directè. Vndè cum in præsenti solùm numeremus figuras, quæ directè concludunt; meritò excluditur illa quarta figura: quamuis possit deseruire vtcumquè ad concludendum indirectè. Ille autem syllogismus, qui nobis opponitur, pertinet in rei veritate ad primam figuram, quamuis habeat transpositas præmissas, vt constabit, si absquè alia additione eas inuertas dicendo: *Omne animal est sensibile: sed omnis homo est animal*: ergo *omnis homo est sensibilis*, & conuertendo consequens, inferes: *Ergò aliquod sensibile est homo*. Ex quo fit, vel non dari quartam figuram, vel in re non distingui à prima.

CAPVT IV.

De regulis figurarum.

VT regulas, tàm communes omni figuræ, quàm vnicuique proprias stabiliamus, notandum prius est, totam artem syllogisticam inniti duobus principijs. Primum est, *Quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: per quod significatur ea, quæ perfectè, completè, & adæquatè vniuntur cum tertio, nempè cum medio, vniri necessariò inter se. Et hoc principium deseruit syllogismis, qui concludunt affirmatiuè. Secundum est: *Quæcumque sunt eadem inter se, distinguuntur vni tertio, seù ab vno tertio*: per quòd designatur, quando aliqua duo completè, & perfectè vniuntur inter se, ità se habere, quòd si vnum distinguatur ab aliquo tertio, necessariò, & aliud distinguatur. Et hoc principium deseruit prò syllogismis concludentibus negatiuè. Vtrumque autèm innititur illi principio vniuersalissimo, & per se noto: *Quodlibet est, vel non est*.

¶ Ex his principiis deducuntur alia duo vsitatissima apud Dialecticos; nimirum, *Dici de omni, & dici de nullo*: quæ à præcedentibus in eo differunt, quòd illa sumuntur in ordine ad *esse*; hæc verò in ordine ad *prædicari*: Per *dici de omni*, significatur, quidquid vniuersalitèr affirmatur de subiecto, affirmari etiam de quolibet contento sub illo subiecto. Per *dici de nullo*, significatur, quidquid vniuersalitèr negatur de subiecto, negari etiam de quolibet contento sub illo subiecto. Quibus principijs vtuntur Dialectici, vt ostendant bonitatem consequentiæ in omnibus syllogismis; & ex eis deducuntur sequentes regulæ.

Prima regula generalis est: *Medium in aliqua saltem præmissarum debet distribui*. Ratio est: quià alias non posset medium perfectè coniungi extremitatibus, vel ab eis disiungi, deficeretque proindè principium *dici de omni; vel dici de nullo*. Vndè ex puris particularibus nihil sequitur, ex vi formæ, in quacumque materia, vt patet in hoc syllogismo: *Aliquis homo est animal: sed aliquis equus est animal: ergo aliquis equus est homo*, cuius nulla est consequentia. Aliquandò autèm sequitur ratione materiæ, vt si dicas: *Aliquod animal est substantia; sed aliquis homo est animal, ergò aliquis homo est substantia*. ¶ Ab hac generali regula excipitur syllogismus singularis, seù expositorius, de quo infrà agendum est.

Secunda regula generalis est: *In conclusione nullus distribuitur terminus, qui non fuerit distributus in præmissis*. Ratio est: quià conclusio sequitur debiliorem partem, vt supra diximus *cap. 2.* ergò nihil debet esse in conclusione, quòd excedat virtutem præmissarum: sed si aliquis terminus non distributus in præmissis, distribueretur in conclusione, tam, vt positus in conclusione, excederet se ipsum, vt positum in præmissis: ergò nullus terminus est distribuendus in conclusione, quin prius in præmissis distribuatur.

Tertia regula generalis est: *Ex præmissis purè negatiuis nihil sequitur*. Ratio est; quoniam ex eo, quòd aliqua duò distinguantur ab aliquo tertio, minimè infertur, quòd distinguantur, vel identificentur inter se: quippè stat optimè aliqua esse maximè vnum, aut maximè distingui inter se: & tamèn purè disparatè se habere respectù alicuius tertij: ergò ex eo, quod duæ extremitates purè negatiuè se habeant ad medium, vt contingit in præmissis purè negatiuis, nihil sequitur. Quamobrem ista consequentia est nulla: *Nullus homo est irrationalis: sed nullus equus est homo*: ergo *nullus equus est irrationalis*.

Quarta regula generalis est: *Medium sub ratione medij nequit poni in conclusione*. Ratio est; quia secundum artem syllogisticam nullus terminus ponitur, nisi bis in syllogismo; sed medium ponitur bis in præmissis; ergò nequit iterùm poni in conclusione. Diximus *sub ratione medij*; quià si fiat extremitas, poterit per modum extremitatis collocari in conclusione, vt patet in hoc syllogismo; *Omnis homo est animal; sed homo est homo; ergo homo est animal*.

Quinta regula generalis est; *Tàm in medio, quàm in extremitatibus seruandæ sunt eædem proprietates terminorum*. Vndè nullus terminus potest in vna propositione ampliari, & in alia restringi; idemquè asserendum est de aliis proprietatibus. Ratio est; quia tres tantùm termini constituunt syllogismum; si autèm vnus ex his tribus diuerso modo supponeret, vel ampliaretur, fieret æquiualenter duplex, ac proindè tam re ipsa essent quatuor termini; ergo termini debent retinere vbiquè easdem proprietates. Excipitur tamen ab hac regula suppositio, quæ prouenit à signis, vt constabit ex dicendis.

Præmissæ regulæ sunt generales; ex quibus deducuntur aliæ singulares prò vnaquaque figura. Prò prima ergò figura tene: *maiorem non posse esse particularem, neè minorem negatiuam*. Ratio est; quia si maior sit particularis, iam medium non distribuetur in præmissis, vt liquet in hoc syllogismo; *Aliquod animal est homo; sed omnis equus est animal; ergo aliquis equus est homo*, vbi ly *animal*, quod est medium, in nulla præmissarum distribuitur; hoc autèm est contra primam regulam generalem suprà statutam; ergò maior in prima figura nequit esse particularis. Similiter, si minor in hac figura esset negatiua, aliquis terminus non distributus in præmissis distribueretur in conclusione, vt constat in hoc syllogismo; *Omnis homo est animal; sed nullus equus est homo; ergo nullus equus est animal*; vbi ly *animal*, quod est maior extremitas, distribuitur in conclusione; cùm tamen non fuerit distributum in præmissis. ¶ Hæc tamen regula intelligenda est de syllogismis concludentibus directè: si enim inferatur conclusio indirecta, potest maior esse particularis, & minor negatiua: vt patet in *fapesmo*, & *frisesomorum*, qui sunt modi vtiles primæ figuræ indirectè concludentes, vt infrà dicemus.

Prò secunda figura obserua *ex præmissis purè affirmatiuis nihil sequi*. Ratio est: quia in hac figura medium prædicatur in vtraquè premissa: sed in propositione affirmatiua prædicatum non distribuitur: ergò manebit medium indistributum in vtraque præmissa: hoc autem est contrà primam regulam generalem: ergò &c. Quamobrem ille syllogismus est nullus: *Omnis equus est animal: sed omnis homo est animal. ergo omnis homo est equus*: ly enim *animal*, quod est medium in nulla præmissarum distribuitur ¶ Deindè pro hac eadem figura obserua, quòd maior

maior non sit particularis. Ratio est: nàm aliquis terminus distribueretur in conclusione, qui non est distributus in præmissis contrà secundam regulam generalem, vt liquet in hoc syllogismo: *Aliquod animal est homo: sed nullus equus est homo: ergo aliquis equus non est animal*, vbi ly *animal*, quod est maior extremitas, distribuitur in conclusione cùm non fuerit distributum in præmissis.

Denique prò tertia figura animaduerte, *non posse habere minorem negatiuam*. Ratio est; quia iàm aliquis terminus distribueretur in conclusione, qui non fuit distributus in præmissis, vt constat in hoc syllogismo; *Omnis homo est animal; sed nullus homo est equus; ergo nullus equus est animal*; in quo ly *animal*, quod est maior extremitas, distribuitur in conclusione; cùm non fuerit distributum in præmissis. Qua etiàm de causa conclusio in hac figura debet esse particularis; aliàs idem defectus contingeret, vt patet in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal; sed omnis homo est substantia*; ergò *omnis substantia est animal*, vbi ly *substantia*, quod est minor extremitas, distribuitur in conclusione; cùm non fuerit distributum in præmissis.

CAPVT V.

De Modis Syllogismorum.

Modus syllogismi, vt suprà *cap. 3.* diximus, consistit in dispositione propositionum penès vniuersalitatem, & particularitatem, affirmationem, & negationem. Possunt autem in tribus figuris quadraginta octo modi, seù combinationes excogitari. Ex quibus plures sunt inutiles, & malæ consequentiæ, illi videlicèt, qui regulas *cap. præced.* statutas non obseruant; alij autem sunt vtiles, & bonæ consequentiæ, illi nimirùm, qui seruant prædictas leges. Ex his enumerantur quatuordecim in tribus figuris; quatuor in prima figura; quatuor in secunda; & sex in tertia. Qui omnes directè concludunt. Sed possunt etiam alij modi vtiles excogitari, qui concludunt indirectè. Dicitur autem syllogismus concludere directè, cùm in conclusione maior extremitas prædicatur de minori; indirectè verò, cum oppositum contingit. Quæ omnia, vt faciliùs comprehenderent Dialectici, sequentes versus excogitarunt;

1. *Barbara, celarent, darij, ferio, Baralipton.*
Celantes, dabitis, fapesmo, frisesomorum,
2. *Cesare, camestres festino, baroco,*
3. *Darapti,*
Felapton disamis, datisi, bocardo, ferison.

Quos, vt intelligas, obserua in vnaquaque dictione inueniri tres vocales, nempè A. E, I, vel O, quæ correspondent tribus propositionibus syllogismi; prima maiori, secunda minori; & tertia conclusioni; Deindè prædictæ literæ designant qualitatem, & quantitatem propositionis iuxtà illud; *Asserit A negat E &c.* quod explicuimus *lib. 3. cap. 7.* Si autem aliqua dictio plures contineat syllabas, solùm trium priorum habenda est ratio; aliæ enim additæ sunt propter metrum.

Igitur ad primam figuram pertinent nouem modi, qui duobus primis carminibus continentur; ex quibus quatuor primi concludunt directè; alij verò quinque indirectè. Vndè in Barbara, iuxtà præscriptas regulas, sic concludes; *Omne animal est sensibile; sed omnis homo est animal; ergo omnis homo est sensibilis*, quæ est conclusio directa. In *Baralipton* verò, ità inferes; *Omne animal est sensibile; sed omnis homo est animal; ergo aliquod sensibile; est homo*, quæ conclusio est indirecta. ¶ Quatuor sequentes modi, qui continentur in tertio versu, pertinent ad secundam figuram. Vndè in *Cesare*, sic argues. *Nullus equus est rationalis; sed omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est equus*. Idemquè proportionabiliter continget in alijs dictionibus, quarum exempla, nè fastidium gignamus, non adducimus. ¶ Denique sex posteriores modi, nempè *Darapti, felapton &c.* pertinent ad tertiam figuram. Et ideò sic concludes in *Darapti*; *Omne animal est sensibile: sed omne animal est substantia; ergo aliqua substantia est sensibilis*; Nec oportuit, quod Dialectici designarent modos indirectè concludentes in secunda, & tertia figura; quia hoc ostensò in prima, facilè quiuis eos colliget in alijs, conuertendo conclusionem.

Sed obserua, omnes modos concludentes directè, posse etiàm inferre conclusionem indirectam, quandò talis conclusio est conuertibilis, iuxtà regulas, quas suprà dedimus *lib. 3. cap. 7.* Particularis autem negatiua nequit, vel simpliciter, vel per accidens conuerti. Et ideò modi vtiles inferentes conclusionem particularem negatiuam, non possunt inferre conclusionem indirectam, vt liquet in *Ferio*. Si enim dicas; *Nullum animal est lapis; sed aliquis homo est animal; ergo aliquis homo non est lapis*, rectè concludis, sed non poteris conuertere conclusionem dicendo: *Ergo aliquis lapis non est homo*. Et ratio est; quia iàm ly *homo*, quod est minor extremitas, distribueretur in conclusione; cùm non fuerit distributum in præmissis, contra secundam legem generalem ad syllogizandum rectè.

Denique aduerte, ex omnibus modis suprà enumeratis, solos quatuor primæ figuræ appellari *perfectos*; nempè *Barbara, celarent, darij, ferio*, quoniam, & sunt in digniori figura, & concludunt directè. Alij verò quindecim dicuntur imperfecti, vel quia non concludunt directè, vt *Baralipton, celantes, dabitis, fapesmo, frisesomorum*; vel quia sunt in figura minùs digna, vt alij qui in vltimis versibus continentur.

CAPVT VI.

De Probatione syllogismorum perfectorum, & reductione imperfectorum.

Probatio, & reductio se habent in syllogismis ad instar passionis; quià ex varia dispositione terminorum, & propositionum oritur, quòd diuersimodè perant probari, vel reduci ad perfectiores. Vndè cognita natura syllogismi, rectò ordine, tractamus de prædictis illius affectionibus.

Quod, vt aptius præstemus, animaduertendum est primò, omnes modos *cap. præced.* enumeratos esse vtiles, & consequenter consequentiam in illis factam esse necessariam, nec posse nisi ab imperito, vel proteruo negari. Cæterùm, quia eiusmodi vis, non sic apertè conspicitur in syllogismis imperfectis; inuenerunt Dialectici artem, vt imperfectos reuocarent ad perfectos, quod vocamus *reductionem*. Et quia posset quis eò proteruiæ deuenire, vt etiam negaret consequentiam factam in modis perfectis, qui ad alios euidentiores reduci non valent; propterea vis illationis in prædictis modis non per reductionem probanda est; sed per duo illa principia *dici de omni, dici de nullo*, quæ sunt manifesta ipso lumine naturali, nec indigent alia probatione.

Secundò nota, ad quatuor capita reduci omnem propositionem, & concludi directe in aliquo ex quatuor modis primæ figuræ. Nam, vel est vniuersalis affirmatiua; & hæc concluditur in *Barbara*, vel vniuersalis negatiua; & hæc concluditur in *Celarent*, vel particularis affirmatiua; & hæc concluditur in *Darij*; vel denique est particularis negatiua; quæ concluditur in *Fe-*

rio. Ex quibus conclusiones affirmatiuæ probantur per *dici de omni*; negatiuæ autem per *dici de nullo*.

His suppositis, si quis negauerit v. g. consequentiam huius argumenti factam in *Barbara*; *Omne animal est sensibile; sed omnis homo est animal; ergo omnis homo est sensibilis*, sequenti probatione vrgendus est per *dici de omni*. Quidquid affirmatur de subiecto, debet affirmari de omni contento sub illo: sed esse sensibile affirmatur de animali in maiori: ergo debet etiàm affirmari de omni contento sub animali: at homo continetur sub animali, vt constat ex minori concessa: ergò sensibile debet affirmari de homine in conclusione. Et eodem modo probatur consequentia facta in *Darij*, vt facilè consideranti constabit. ¶ Si autem consequentia hæc facta v. g. in *Celarem* negetur: *Nullum animal est lapis; sed omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis*, probabitur per *dici de nullo* in hunc modum: Quidquid negatur de subiecto, debet negari de omni contento sub illo: sed esse lapidem negatur de animali in maiori: ergò debet etiàm negari de omni contento sub animali: sed homo continetur sub illo, vt liquet ex minori concessa: ergò esse lapidem debet negari de homine in conclusione. Atque eodem pacto probatur consequentia facta in *Ferio*. Et hæc de syllogismorum perfectorum probatione. Videndum autem est, qualitèr syllogismus imperfectus valeat ad perfectum reduci.

Duplex ergò est reductio, *ostensiua* videlicèt, & per *impossibile*. Illa fit conuertendo propositiones, & eas, si opus fuerit, transmutando. Et dicitur ostensiua; quià eisdem terminis ostenditur vis consequentiæ; quin aliquid de foris adducatur. Hæc autem fit deducendo aduersarium ad aliquid impossibile, vel absurdum concedendum, nempè quòd admittens maiorem, & minorem syllogismi imperfecti, & negans consequentiam, teneatur concedere dari duas contradictorias simul veras; quod est impossibile. Vndè hic modus conuincendi aduersarium vocatur reductio per impossibile.

Vt ergo syllogismi imperfecti reducantur ad perfectos, attendendum est ad literam consonantem, qua incipit modus imperfectus; nàm significat, faciendam esse reductionem ad modum perfectum incipientem eadem littera. Omnes autem perfecti incipiunt vna ex his consonantibus, B. C. D. F. Vnde *Baroco* v. g. reducetur ad *Barbara*; *Cesare*, ad *Celarem*; *Darapti*, ad *Darij*; *Festino*, ad *Ferio*, & sic de aliis. ¶ Deinde intra ipsas dictiones modorum imperfectorum inueniuntur aliæ quatuor consonantes, nempè S. P. M. C. Ex quibus *S*. significat propositionem significatam per vocalem antecedentem, conuertendam esse simplicitèr. P conuertendam esse per accidens. *M* significat transmutandas esse præmissas, ità vt maior fiat minor, seruata conuersione, quam aliæ litteræ postulant. *C* autem positum in medio dictionis, denotat modum, in quo inuenitur non posse reduci ostensiuè, sed solùm per impossibile; & tales sunt Baroco, & Bocardo, de quibus *infrà*.

Quæ omnia, vt exemplo fiant manifesta, reducamus syllogismum factum v. g. in *Fapesmo*. qui est modus imperfectus primæ figuræ. Intrà hunc ergò modum tres consonantes inueniuntur, videlicèt P. S. N. Ex quibus P, quià sequitur post *A*, denotat maiorem, quæ est vniuersalis affirmatiua, conuertendam esse per accidens. Deindè *S*, quia sequitur post secundam vocalem *E*, denotat minorem, quæ est vniuersalis negatiua, conuertendam esse simplicitèr. Deniquè *M* designat, præmissas iàm conuersas transmutandas esse, vt sic maior fiat minor. Et ità sequens syllogismus concludens in *Fapesmo*, nempè; *Omne animal est sensibile, sed nullus lapis est animal; ergò aliquod sensibile non est lapis*, potest reduci, iuxtà prædictas regulas, ad *Ferio*, dicendo; *Nullum animal est lapis; sed aliquod sensibile est animal; ergò aliquod sensibile non est lapis*. Vbi, vt vides, eadem conclusio, quæ in priori syllogismo inferebatur indirectè, per reductionem infertur directè. Idemquè proportionabilitèr obseruandum est in alijs modis iuxtà literas in eis repertas, & literarum ordinem.

Sed obserua, quòd licèt in vltimo modo primæ figuræ, nempe *Frisesomorum*, litera *M* constituatur post tres primas syllabas; nihilominùs id ob metrum carminis factum est; cùm re ipsa collocanda foret ante tertiam, vt in *Fapesmo*. Vndè prædicta litera non tanquam inutilis habenda est: sed significat, transponendas esse præmissas: id quippè postulat illius modi reductio, vt facilè quisquisque deprehendet: Et hæc de reductione ostensiua. Agamus iàm de reductione per impossibile.

Reductio ergo per impossibile in eo consistit, vt post, quam aduersarius, concessis præmissis, negat consequentiam, inferatur propositio contradictoria consequentiæ negatæ: ex qua, & ex altera præmissarum concessarum infertur propositio contradictoria, vel contraria vni præmissæ concessæ: vndè cogitur admittere duas contradictorias, aut contrarias simul veras: quod est impossibile, vt constat ex *suprà* dictis *lib. 3. cap. 6*. Id autem, vt rectè fiat, videndum est, qui modi imperfecti, ad quos perfectos reducantur. Quod, vt faciliùs capiatur, inuentæ sunt tres dictiones correspondentes modis imperfectis trium figurarum; nempè, *Nesciebatis*, *Odiebam*, *Letare Romanis*. Ex quibus prima habet quinque syllabas, & correspondet quinque modis imperfectis primæ figuræ, ità vt prima, scilicèt, *Nes*, correspondeat primo modo, nempè *Baralipton*: & sic de aliis. Secunda dictio, nimirùm *Odiebam*, habet quatuor syllabas, quarum prima correspondet primo modo secundæ figuræ: & sic de aliis. Tertia videlicèt, *Letare Romanis*, habet sex syllabas correspondentes sex modis vltimæ figuræ.

Porrò in vnaquaque dictione inuenientur ex quatuor vocales A E I O, & vnaquæque earum denotat modum correspondentem syllabæ, in qua illa vocalis reperitur, reducendum esse ad modum perfectum, per ipsam vocalem significatum. A, ergò significat *Barbara*; in quo concluditur vniuersalis affirmatiua: E, significat, *Celarem*, in quo concluditur vniuersalis negatiua: I, significat *Darij*, in quo concluditur particularis affirmatiua: & O, significat *Ferio*, in quo concluditur particularis negatiua, vt constat ex suprà dictis. Quandò verò in reductione seruanda sit maior, quandò verò minor, ac proindè quandò contradictoria conclusionis negatæ debeat poni loco maioris, vel minoris, sequentibus regulis explicatur.

Prima est: *Vt modi imperfecti primæ figuræ reducantur per impossibile, contradictoria conclusionis negatæ ponenda est prò maiori: & maior syllogismi imperfecti prò minori*. Verbi gratia, si quis neget hanc consequentiam in *Frisesomorum*: *Aliquod animal est substantia: sed nullus lapis est animal; ergò aliqua substantia non est lapis*, inferatur contradictoria dicendo: *Ergo omnis substantia est lapis*, & tunc fiat syllogismus iuxtà regulam traditam in hunc modum: *Omnis substantia per te est lapis: sed aliquod animal est substantia: ergo aliquod animal est lapis*. Sed hæc consequentia opponitur contradictoriè, saltèm mediatè, minori à te concessæ in primo syllogismo, nempè, *Nullus lapis est animal*, quæ conuertitur simplicitèr in hanc: *Nullum animal est lapis*: ergò admittis duas contradictorias simul veras. ¶ Ab hac tamen regula excipitur *Celantes*, in quo minor syllogismi imperfecti ponitur prò maiori, & contradictoria conclusionis negatæ prò minori. ¶ Obserua etiàm, quòd in reductione *Baralipton*, & *Fapesmo*, solùm colliguntur

immediatè, duę contrariæ: sed ex duabus contrarijs simul veris fiunt duę contradictoriæ, vt diximus, *lib. 3. cap. 6.*

Secunda regula est: *In reductione modorum secundæ figuræ, retinenda est major syllogismi imperfecti; & contradictoria consequentiæ negatæ ponenda est prò minori.* Verbi gratia, negat quis hanc consequentiam in *Baroco: Omnis homo est animal; sed aliquis lapis non est animal; ergo aliquis lapis non est homo*: inferatur contradictoria consequentiæ; *Ergo omnis lapis est homo*, & construatur syllogismus iuxtà regulam præscriptam hoc modo; *Per te omnis homo est animal; sed per te omnis lapis est homo; ergo omnis lapis est animal*, at hæc consequentia opponitur contradictoriè illi minori in primo syllogismo concessæ, nempè: *Aliquis lapis non est animal*; ergò admittis duas contradictorias simul veras.

Tertia regula est; *In reductione modorum tertiæ figuræ, retinenda est minor syllogismi imperfecti, & contradictoria consequentiæ negatæ ponenda est prò majori.* Verbi gratia, si negetur hæc consequentia facta in *Bocardo; Aliquis homo non est lapis; sed omnis homo est rationalis; ergo aliquod rationale non est lapis*; inferatur contradictoria consequentiæ; *Ergo omne rationale est lapis*, & fiat nouus syllogismus juxtà regulam traditam hoc modo; *Per te omne rationale est lapis; sed per te omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est lapis*; at hæc consequentia opponitur majori illi, *Aliquis homo non est lapis*, concessæ in priori syllogismo; ergò admittis duas contradictorias simul veras. Et hæ posteriores duæ regulæ comprehenduntur ijs versibus.

Seruat majorem, variatquè secunda minorem.
Tertia maiorem variat, seruatquè minorem.

CAPVT VII.

De alijs syllogismorum diuisionibus.

QVæ hactenùs diximus, pertinent ad formam syllogismi, de qua egit Aristot. *in lib.* de Priori resolutione. Agendum nunc breuiter est de his, quæ conueniunt syllogismo ratione materiæ, nempè propositionum, & terminorum, de quo tractauit Aristot. in varijs libris, pluràque & nos dicemus in libris Posteriorum ad calcem Logicę.

Diuiditur ergo syllogismus ratione materię proximę, scilicet propositionum; primò in *affirmatiuum*, & *negatiuum*. Ille est *cujus conclusio est affirmatiua*: iste vero, *cuius conclusio est negatiua*. § Secundò in *cathegoricum*, & *hypotheticum*. Ille est *cuius omnes propositiones sunt cathegoricæ*: hic autem, *qui habet aliquam hypoteticam*. § Tertiò in *demonstratiuum*, *probabilem*, & *sophisticum*. Primus est, *qui constat propositionibus necessarijs*; secundus *probabilibus*; tertius *apparentibus*, *sed falsis*. Primus solet vocari *posterioristicus*; secundus *topicus*; tertius *elenchus*; quià de illis agit Aristot. in libris Posteriorum, Topicorum, & Elenchorum.

Prętereà, syllogismus diuiditur, ratione materię remotę, nempè terminorum, primò in *rectum*, & *obliquum*. Ille est, *cuius omnes termini ponuntur in recto*; iste verò, *qui constat aliquo termino obliquo*. § Secundò in *communem*, & *singularem*, seù *expositorum*. Ille est, *cuius medium est terminus communis*; iste verò, *cuius medium est terminus singularis*. Et hic posterior dicitur expositorius, seù sensibilis demonstratio; quià ad sensum ostendit vnionem extremitatum inter se, propter vnionem cum medio, vt liquet in hoc syllogismo; *Petrus est animal; sed Petrus est rationalis; ergo aliquod rationale est animal*. Fitquè hic syllogismus frequentiùs in tertia figura, quam in alijs; eò quod medium in ea subiicitur, & proprium est terminorum singularium esse subiectum propositionis.

Vbi obserua ad syllogismum expositorium requiri, quod medium sit perfectè singulare, seù incommunicabile. Si enim aliquod singulare sit realiter communicabile multis, vti essentia diuina respectù personarum, iàm se habebit, vt terminus communis. Vndè syllogismus, eo medio contectus, ęquiualebit syllogismo communi facto ex pluribus singularibus: ex quo nihil sequitur, vt supra diximus *cap. 4.* Et ob hanc causam ista consequentia est nulla: *Hæc essentia diuina est Pater: sed hæc essentia diuina est Filius: ergo Filius est Pater*: quia videlicet licèt essentia diuina sit singularis: nihilominùs, ob suam communicabilitatem, ęquiualet termino communi, & non distribuitur in vlla premissarum.

CAPVT VIII.

De arte inueniendi medium.

QVia parum referret scire, qualiter medium, & extremitates debeant disponi, vt syllogismus sit in modo, & figura, nisi sciremus, quodnam medium pro vnoquoque syllogismo eligendum sit; propterea Dialectici excogitarunt artem inueniendi medium, quę, ob sui difficultatem, *pons asinorum*, communiter nuncupatur. Eam autem, vt absque periculo, & cum breuitate superemus, obseruandum est, quis in presenti dicatur *terminus antecedens*, quis *consequens*, quis *conuertibilis*, & quis *extraneus*.

Terminus *antecedens* est, qui alterum infert; & huiusmodi sunt omnia prędicata inferiora respectù superiorum; nàm benè valet; *Est homo; ergo animal*; vndè, homo, est terminus antecedens respectù animalis. Terminus *consequens* est, qui infertur ex alio; & huiusmodi sunt omnia prędicata superiora respectù inferiorum, vt patet exemplo nuper posito; nàm sicut homo est terminus antecedens, quià infert animal; ità animal est terminus consequens, quià infertur ex homine. Termini *conuertibiles* dicuntur, qui se mutuò inferunt, & inferuntur, vt *rationale*, & *risibile*; & hac ratione quandòquè sunt antecedentes, & quandòquè consequentes. Terminus extraneus, seù repugnans est, qui non potest alteri inesse, vti se habet lapis respectù hominis. Hoc supposito, quatuor regulis potest hęc materia absolui, iuxta numerum propositionum, quę possunt excogitari.

Prima regula est; *Ad inferendum propositionem vniuersalem affirmatiuam, sumatur pro medio terminus consequens respectu subiecti, & antecedens, respectu prædicati, talis propositionis.* Sit exemplum, ad concludendam hanc propositionem. *Omnis homo est substantia*, optimum medium erit *animal*, quod est consequens respectu subiecti, nempè hominis, & antecedens respectù prędicati videlicet substantię. Vndè argues; *Omne animal est substantia, sed omnis homo est animal: ergò omnis homo est substantia.*

Secunda regula est: *Ad concludendam vniuersalem negatiuam in Celarem, & Cesare, sumatur pro medio terminus consequens ad subiectum, & extraneus prædicato.* Vndè si vis hanc syllogizare, *Nullus homo est lapis*, congruum medium erit, *animal*, quod consequitur subiectum, & repugnat prędicato: & sic dices: *Nullum animal est lapis: sed omnis homo est animal, ergò nullus homo est lapis.* § Si verò concludatur in *Camestres*, sumatur prò medio terminus repugnans subiecto, & consequens prędicato. Et ideò congruum medium erit ad illam propositionem inferendam *insensibile*, quod repugnat ho-

mini, & consequitur ad lapidem: & ità dices: *Omnis lapis est insensibilis. sed nullus homo est insensibilis: ergò nullus homo est lapis.*

Tertia regula est: *Ad inferendum propositionem particularem affirmatiuam in prima figura, sumatur pro medio terminus consequens ad subiectum, & antecedens ad prædicatum.* Verbi gratia, ad syllogizandum istam; *Aliquis homo est viuens*; aptum medium erit *sensibile*, quod consequitur hominem, & antecedit viuens; & ita dices; *Omne sensibile est viuens; sed aliquis homo est sensibilis: ergo aliquis homo est viuens.* ¶ *Si verò concludatur in tertia figura, medium erit terminus antecedens respectu tam subiecti, quàm prædicati.* Vndè ad syllogizandam prædictam propositionem, congruum medium erit, *rationale*, quod diuersimodè quantificatum est antecedens, tàm respectù hominis, quàm viuentis: & ità argues: *Omne rationale est viuens; sed aliquod rationale est homo: ergò aliquis homo est viuens.*

Quarta regula est: *Ad inferendam conclusionem particularem negatiuam in prima figura, sumatur terminus consequens ad subiectum, & extraneus prædicato.* Verbi gratia, ad syllogizandam hanc in prima figura: *Aliquis homo non est lapis*, congruum medium erit *animal*, quod est consequens respectù hominis, & extraneus respectù lapidis: & ità dices: *Nullum animal est lapis; sed aliquis homo est animal; ergò aliquis homo non est lapis*; idemquè obserua, si syllogismus fiat in tertio modo secundæ figuræ, nempè, in *Festino*. ¶ *Si* verò syllogizatur in quarto modo secundę figurę, nempè in *Baroco*, sumatur prò medio, terminus extraneus subiecto, & consequens ad prædicatum. Et ità ad syllogizandam prædictam propositionem, aptum medium erit *insensibile*, quòd est extraneum respectù hominis, & consequens respectù lapidis: vndè argues: *Omnis lapis est insensibilis; sed aliquis homo non est insensibilis; ergò aliquis homo non est lapis.* ¶ Vt autem syllogizetur in tertia figura, sumatur prò medio terminus antecedens ad subiectum, & extraneus prędicato. Vndè ad concludendum prædictam propositionem congruum medium erit *rationale*, quòd est antecedens respectù hominis, & extraneum respectù lapidis, & ità dices: *Aliquod rationale non est lapis; sed omne rationale est homo; ergò aliquis homo non est lapis.* Videatur D. Thom. *opusc.* 50. vbi latè differit de inuentione medij.

CAPVT IX.

De Fallacijs.

POst omnia, quæ ad rectam syllogismi structuram desiderantur, quæquè hactenus fuimus prosecuti; ęquum est, vt nonnihil dicamus de fallacijs, seù defectibus consequentię: quemadmodùm & Medici non solum de medicamentis, sed etiàm de venenis tractant, vt horum periculo valeant obuiam ire. De qua materia egit luculenter Aristot. in duobus libris Elenchorum, quem imitatus est D. Thom. *opusc.* 39. *de fallacijs*; ex quibus breuiter colligemus, quę magis opportuna probantur.

Ad cuius lucem pręmittendum est, syllogismum fallacem illum dici, *qui procedit ex apparentibus*; quę nimirum videntur vera, sed non sunt. Et est duplex: nàm alius procedit ex principijs alicuius scientiæ malè intellectis, vt ille: *Omnes lineæ ductæ à centro ad circumferentiam sunt æquales; sed linea recta, & curua ducuntur à centro ad circumferentiam; ergò sunt æquales.* Vbi maior est principium Geometricum malè intellectum; nam solum verificatur de lineis rectis. Et hunc syllogismum vocat Aristot. *pseudographum*; eiusque vitia nequit generaliter ostendere, nisi qui in omnibus scientijs fuerit instructus; & ideò eius examen non pertinet ad purum Dialecticum.

Alius autem est syllogismus fallax, qui procedit ex aliquibus principiis valdè communibus, quę applicari possunt pluribus materijs, vt iste; *Quidquid non amisisti habes; sed barbam non amisisti; ergo habes barbam.* Maior enim potest varijs materijs applicari. Et huius syllogismi cognitio pertinet ad Logicam, vtpotè quę est generale instrumentum ad alias scientias, debetque proindè examinare generalia principia.

Deindè nota, huiusmodi syllogismum aliquandò esse fallacem ratione solius materię, cùm scilicet ratione alicuius æquiuocationis, vel alterius vitij fallit, aliquandò verò ratione solius formę, nempè cùm forma syllogismi est defectuosa, licèt propositiones sint verę; aliquandò autem ratione vtriusque. Ex quibus solus syllogismus fallax primo modo pertinet ad pręsens institutum; aliorum enim defectus satis constant ex his, quæ diximus in hoc libro; nequè postulant nouas regulas. Quandò ergo syllogismus fuerit fallax ratione materiæ, distinguenda est illa pręmissa, in qua vitium residet, istudquè detegendum est; ad quod, nosse oportet fallacias, quibus vtuntur Sophistę. Recenset autem Aristot. tredecim, ex quibus sex pertinent ad voces significantes res, septem verò ad res ipsas significatas.

Prima fallacia ergò dicitur *æquiuocationis*, & contingit, quandò in præmissis ponitur aliquis terminus æquiuocus. Quod fit tripliciter. Primò, cùm ponitur terminus purè æquiuocus, vt in hoc syllogismo: *Canis est latrabilis; sed sidus cæleste est canis; ergò sidus est latrabile.* Secundò, quandò est analogus attributionis, vel proportionalitatis metaphoricæ, vt in hoc syllogismo: *Quidquid ridet, deducit os; sed pratum ridet; ergo pratum deducit os.* Tertiò, cùm vox alijs coniuncta variat significationem, vt in hoc syllogismo: *Qui sanabatur, sanus est; sed ægrotus sanabatur; ergo ægrotus sanus est.* Vbi vox, ægrotus, coniuncta verbo de pręterito in minori, fit de præterito: & in consequenti, fit de præsenti, quià jungitur verbo de pręsenti.

Secunda dicitur *amphibologia*, & contingit, quandò vna integra oratio habet diuersos sensus. Quod fit dupliciter. Primò cùm oratio est purè æquiuoca, seù habens diuersos sensus, absquè ordine vnius ad alium, vt in hoc syllogismo: *Liber Aristotelis possidetur ab Aristotele: sed liber*, verbi gratia, *Posteriorum, est Aristotelis; ergò possidetur ab Aristotele.* Vbi committitur amphibologia ex eo, quòd hæc oratio, *liber Aristotelis*, æquè significat, & librum editum ab Aristotele, & librum ab eo possessum. Secundò, quandò oratio habet duos sensus, vnum proprium, & alium metaphoricum, vt si dicas: *Quicumque littus arat, littus scindit aratro: sed qui oleum, & operam perdit, littus arat: ergo qui oleum, & operam perdit, littus scindit aratro.*

Tertia vocatur *compositionis*, & contingit, quandò à sensu composito vero, arguitur ad sensum diuisum falsum: & ideò hæc fallacia frequenter contingit in modalibus. ¶ Quarta appellatur *diuisionis*, & contingit, quando arguitur à sensu diuiso vero, ad sensum compositum falsum. Et tam istius, quàm pręcedentis fallacię exempla facilè quiuis excogitabit: modò sufficiat istud: *Quicumque quiescit, potest ambulare; sed sedens quiescit, dum sedet; ergò sedens potest ambulare, dùm sedet.*

Quinta dicitur *accentus*, & contingit quadrupliciter. Primò, mutando accentum, de acuto, in grauem, vel è contra, vt si dicas: *Quicumque occidit, moritur: sed sicarius occidit: ergo sicarius moritur.* Secundò, mutando quantitatem syllabę, vt si dicas: *Omnis Populus est bonus-*

hominum multitudo; sed aliqua arbor est populus: ergò aliqua arbor est hominum multitudo; Vbi prior syllaba *populi* corripitur in maiori, & producitur in minori. Tertiò, mutando modum proferendi, vt si dicas; *Omnis ara est in templo; sed porcorum stabulum est hara; ergò porcorum stabulum est in templo.* Quartò, coniungendo plures voces in vnam, vt si dicas; *Quidquid fit in vite, est pampinus, vel racemus; sed quidquid fit coactè, fit inuitè; ergo quidquid fit coactè, est pampinus, vel racemus.*

Sexta appellatur *figuræ dictionis*, contingitquè quatuor modis. Primò, per transitum vnius generis Grammaticorum in aliud, committendo solœcismum, vt si dicas: *Omnis substantia affecta albedine est alba; sed paries est substantia affecta albedine, ergo paries est alba.* Secundò, per transitum vnius prædicamenti, seù generis rerum, in aliud, vt si dicas: *Quidquid fuisti heri, es hodie; sed heri fuisti insipiens; ergò insipiens es hodie;* fit enim transitus, à substantia, in qualitatem. Tertiò, per transitum ab vna specie, in aliam, intrà idem prædicamentum, vt si dicas; *Digitos quos olim habebas, habes nunc; sed olim habebas paruos digitos; ergò paruos digitos habes nunc.* Quartò, per transitum vocis vniuersalis in particularem, vel è contra, vt si dicas; *Quod ego sum, tù non es; sed ego sum homo; ergò tù non es homo;* ibi enim vox *ego* in maiori, est particularis, & in minori, fit vniuersalis, propter coniunctionem ad hominem. ¶ Et omnes eæ sex fallaciæ pertinent ad voces significantes res; septem autem quæ sequuntur contingunt in rebus significatis.

Septima fallacia vocatur *accidentis*, & contingit tribus modis. Primò, quandò quod est proprium subiecti, tribuitur accidenti, vt si dicas; *Iste canis est Pater; & est tuus; ergò est Pater tuus;* nàm esse patrem est accidens, respectù canis. Secundò, quandò quod est proprium intentionalitèr superioris, attribuitur inferiori, vt si dicas: *Animal est genus; sed Petrus est animal; ergò Petrus est genus.* Tertiò, quandò in conuertibilibus, quod intentionalitèr, seù per intellectum conuenit vni, tribuitur alij, vt si dicas; *Animal rationale est definitio; sed Petrus est animal rationale; ergò Petrus est definitio.*

Octaua dicitur *consequentis*, & contingit dupliciter. Primò quandò ex affirmatione termini consequentis infertur antecedens, vt si dicas; *Est animal: ergò est homo.* Secundò, quandò ex negatione termini antecedentis, infertur negatio consequentis, vt si dicas; *Non est homo, ergò non est animal.* Vide quæ diximus suprà *cap. præcedent.*

Nona vocatur *à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter*, & contingit duobus modis. Primò; quandò quod inest parti, tribuitur toti, vt si dicas; *Æthyops est albus secundum dentes; ergò est albus.* Circà quod recolenda sunt dicta *lib. 3. cap. 10.* Secundò, quandò id, quod non conuenit absquè addito, applicatur sine illo, vt si dicas; *Cadauer est homo mortuus; ergò cadauer est homo.*

Decima appellatur, *redargutionis*, & contingit quadrupliciter. Primò, cùm contradictio non fit in ordine ad idem, vt si dicas: *Quaternarius est duplus binario: & non est duplus quinario; ergò quaternarius est duplus, & non duplus.* Secundò, quandò non fit contradictio secundùm idem, vt si dicas: *Æthyops est albus secundùm dentes; & non est albus secundùm corpus; ergò Æthyops est albus, & non albus.* Tertiò, quandò non fit contradictio eodem modo, vt si dicas: *Vestis aptata corpori tegit corpus; & complicata in arca non tegit corpus; ergò vestis tegit, & non tegit corpus.* Quartò, quandò non fit contradictio in eodem tempore, vt si dicas; *Calescit tempore æstatis; & non calescit tempore hyemis; ergò calescit, & non calescit.*

Vndecima, appellatur *petitionis, principij*, & contingit, quandò prò principio ad aliquid probandum assumitur id ipsum, quod in quæstione versatur, vt si dicas: *Animal rationale est risibile. ergò homo est risibilis;* nàm *homo, & animal rationale* sunt omninò idem in se; licèt per diuersas voces significentur.

Duodecima, vocatur *non causa, vt causa*, & contingit, quandò aliquis effectus tribuitur, vt causæ alicui, quod reuera non est causa illius, vt si intendas suadere non esse vacandum studijs: quià pluribus nocumento fuerunt.

Decima tertia, dicitur *plurium interrogationum, vt vnius*, & contingit triplicitèr. Primò cùm vnum interrogatur de pluribus, vt si inquiritur: *An luxuria, & castitas sint bona?* Vbi si affirmes, infert Sophista. *Ergò luxuria est bona;* si verò neges, infert: *Ergò castitas non est bona.* Secundò, cùm plura quæruntur de vno, vt si interroges: *An Petrus, sit homo, & equus?* Vbi captio similis præcedenti contingit. Tertiò, cùm plura quæruntur de pluribus, vt si de Petro cæco, & Paulo vidente, inquiras: *An Petrus, & Paulus sint cæci, & videntes?* & hæc sufficiant pro ijs primis Dialecticæ institutionibus.



DISPVTATIONES IN DIALECTICAM ARISTOTELIS.

PROOEMIVM.



EA, quæ quatuor Institutionum, seu Summularum libris tradidimus, mentis aciem acuerunt, intellectumque excitarunt, vt ad difficiliora Dialecticæ se se conferat: & ideò illis superatis, ad hæc exponenda meritò accedimus. Sed priusquam obiectum Dialecticæ, & illius proprietates in particulari explicemus, operæpretium erit nonnulla circa ipsam Dialecticam pertractare; vsus enim communis, cui morem gerimus, iam obtinuit, vt aliqua per modum proœmij in ipso Dialecticæ limine præmittantur: In quo proculdubiò modus adhibendus est; quippè aliqui eas in præsenti inculcant difficultates, quas Metaphysica sibi vendicat proprias, quæquè non valent hic inseri, quin doctrinæ ordo exturbetur. Cui periculo obnoxia communiter est Dialectica, vtpotè quæ viam parat omnibus scientijs, ijsque proindè se ingerit, & immiscet. Vndè arte opus est, quâ propria ab extraneis rescindamus; ne Logicæ nomine conuincamur aliena docuisse. Compellemur tamen non semel ea, quæ ad alias scientias spectant, leui saltem manu attingere; maximè verò in his, quæ prima disputatione proœmiali dicenda sunt: quià vix tradi, vel intelligi queunt, quin à Metaphysica mutuemur plura. Aliæ verò disputationes non ità huic periculo, & vitio subsunt: quocircà faciliùs nos poterimus (quod hobemus in votis) ab extraneis explicare. Vbiquè autèm breuitati, ac perspicuitati consulere studebimus, præeunte face Angelici Doctoris nostri D. Thomæ; quem maximè exoramus, vt mentem suam discipulis reuelet, nec ab ea, vel in minimis, exorbitare permittat.



DISPVTATIO PRIMA

PROOEMIALIS,

QVATVOR sunt (vt inquit Aristot. 2. *Post. cap.* 1.) quæ de qualibet re inquiri possunt, & debent; nimirùm an sit: quid sit: qualis, & propter quid sit? Vndè oportet, & nos, qui Logicæ doctrinam explicandam aggredimur, eiusdem existentiam, essentiam, proprietates, & finem ostendere: quod in hac disputatione præstare curabimus.

QVÆSTIO I,

De nomine, existentia, inuentione, & vtilitate Logicæ.

1. DVobus vocabulis, scientia ista communitèr appellatur *Logica*, scilicèt, & *Dialectica*. Nomen Logicæ deriuatur à verbo græco λέγοι, quod interpretatur, *ratio*, *verbum*, *sapientia*, & alia quæ propriè concernunt actus intellectus, & ideò scientia illa, quæ eosdem actus dirigit, meritò Logica appellata est. Idem significat ex communi vsu Doctorum nomen *Dialectica*, licèt etymologiam trahat à verbo διαλέγομαι, quod apud Ciceronem, 3. *de natura Deorum*, significat probabilitèr disputare: & ideò pro arte probabilitèr disserendi vsurpatur, non semel ab Arist. Nos verò communem modum loquendi obseruare cupientes vno, & altero nomine indifferenter vtemur, ad significandam eandem scientiam: illam nimirùm, quæ modum sciendi intellectui præscribit, quò facilè veritatis notitiam, & rectitudinem in propriis actibus assequatur.

Diui-

Diuiditur autem Logica in naturalem, & acquisitam. Logica naturalis est ipse intellectus, vt in se præhabet aliqua principia Logicæ lumine naturali nota, ex quibus potest quilibet, tametsi scientiæ expers, aliquas definitiones, diuisiones, & discursus efformare. Cuius Logicæ existentia est indubitata; tùm quia insunt nobis semina scientiarum, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 63. art. 1. & consequenter dantur in nobis prima principia definiendi, diuidendi, & argumentandi: Logica autem naturalis est ipse intellectus, vt habet hæc principia. Tùm etiàm, quia quisque etiàm agrestis potest aliquos discursus efficere, v. g. *si Petrus ambulat: ergò mouetur: ignis est: ergò calor est*: existit igitur Logica naturalis, cuius lumine efformantur huiusmodi discursus.

Logica verò acquisita, siuè artificialis est facilitas, vel habitus superadditus intellectui dirigens illum, vt rectè in cognoscendo procedat. Et possibilitas, imò, & existentia huius Logicæ manifestè conuincitur: nàm possibilis est modus rectè sciendi: ergò possibilis est, & existit scientia, quæ doceat talem modum. Sicùt quia possibilis est modus rectè ædificandi, ponitur de facto ars, quæ regulas ad rectè ædificandum præscribit. § Confirmatur primò: quia plures defectus possunt in intelligendo contingere: ergò necessaria est ars, quæ illos corrigat, iuuetquè intellectum in attingentia veri: sed natura non deficit in necessarijs: ergò datur talis ars, quam appellamus Logicam artificialem. § Confirmatur secundò: nàm illi, qui discurrebant cum difficultate, & erroribus, postquam quibusdam præceptis sunt instructi, rectè & facilè discurrunt: idquè non semel, aut bis; sed permanenter in omnibus actibus, vt experientia constat: ergò acquirunt facilitatem habitualem ad benè discurrendum: quæ facilitas est Logica artificialis, siuè acquisita.

2. Hæc autem Logica simul cum aliis scientiis infusa fuit à Deo primo parenti Adamo. Quod optimè ostendit D. Thom. 1. p. q. 94. art. 3. quià sicut Adam productus est in perfecta dispositione corporis, vt posset filios generare: ita conditus est cum omni scientia, vt eosdem posset veritatis notitiam edocere. Ad quod Logica nequit non esse necessaria, cùm modum docendi præscribat. Ab Adamo verò ad filios, ab his ad Noë, & indè ad Abraham Dialectica deriuata est. Deindè temporis decursu promanauit ad Chaldæos, & Ægyptios, à quibus acceperunt Græci, inter quos maximè floruit. Iniuria tamen temporis, & hominum desidia adeò lumen Logicæ extinctum est, vt qui ad pristinum splendorem eam reuocarunt, inuentores, & Auctores illius iure appellentur. Quæ laus licèt ab aliquibus adscribatur aliis Philosophis: absolutè tamen Aristoteli concedenda est. Hic enim primus Logicam ab aliis scientiis separauit, separatam verò in partes distinxit, ad methodum reduxit, & mirum in modum auxit.

Sed circa modum, quo Logica inuenta, vel restituta est, potest esse aliqualis difficultas. Tùm, quia non potuit ad id sufficere experientia: quoniam hæc est cognitio plurium singularium in memoria retenta, vt docet D. Thom. 2. *Post. Lect.* 20. sed cognitio singularium est fallax; cum singularia ipsa contingentia sint: ergo nequit producere scientiam, quæ infallibilis est, & necessaria. Tùm etiàm, quia Logica est necessaria ad scientias perfectè acquirendas: ergò etiàm ad se ipsam: sed se ipsam præcedere non potuit, vt liquet ex terminis: ergò non fuit acquisita per exercitium, & proprios actus; sed per reuelationem, vel alio modo.

3. Sed nihilominùs asserendum est, Logicam inuentam fuisse experimento, sicut & omnes aliæ scientiæ, & artes inuentæ sunt: non quia obseruatio istius, vel illius singularis fuerit scientiæ causa; sed quoniam experientia fuit occasio ad inueniendum scientiam. Nam cùm intellectus v. g. aduerteret se aliquandò benè definire, diuidere, & argumentari; aliquandò verò non rectè: motus, est ad *inuestigandum* principia rectæ definitionis, diuisionis, & argumentationis. Quibus lumine Logicæ naturalis, inuentis præscripsit regulas, & præcepta modi sciendi: atquè ità Logica artificialis inuenta est, vel restituta. Et sic soluitur prima ratio dubitandi.

Ad secundam respondetur, Logicam fuisse necessariam ad se ipsam, quatenùs opus fuit Logica naturali simul cum aliqua experientia ad vnam partem Logicæ artificialis acquirendam; quæ pars semel acquisita, deseruit ad aliam comparandam, & sic de reliquis, donèc tota Logica fuit perfecta. § Quibus addendum est, Logicam Adamo communicatam, & ab eo ad alios transmissam, non fuisse penitùs destructam; sed semper remansisse aliquam eius partem, quæ adminiculo experientiæ, & Logicæ naturalis ad perfectam artificialis reparationem conduxit.

4. Vtilitatem huius scientiæ, tùm ad omnes scientias naturales perfectè acquirendas, cum ad Sacram doctrinam addiscendam, & illustrandam docet D. August. toto ferè *lib. 1. contra Crescon. Grammat.* Imò D. Hieronymus omnem fallaciam, & falsitatem vna ista arte dissipari pronunciat. *Quidquid enim (inquit super Ezech.) in hoc sæculo peruersorum dogmatum est, & putatur robustum, hac arte subuertitur, & instar incendij in cineres, fauillasque dissoluitur:* Quæ verba vtilitatem Logicæ, & cum sacra doctrina connexionem apprimè commendant: vt vel sic agnouerint Christiani, & maximè Religiosi, quantum oporteat huius scientiæ studijs inuigilare, quæ adeò famulatur religioni Catholicæ.

Quibus nequaquàm opponitur, quod Sancti Patres Logicam quasi perniciosam, non semel sugillare videntur. Vnde Apostolus ad Colossen. 2. *Videte, inquit, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam.* Loquuntur enim de arte Sophistica, vel potius de illius abusu, quo pià dogmata obscurantur; minimè autem de vera Dialectica, quæ Sophistarum dolos rescindit, & argumenta dissoluit. Hac enim, & Paulum, & alios Apostolos, imò verò, & Christum Dominum sæpè vsos fuisse, latè demonstrat August. *lib. citato* contra Crescon. per plura capita.

QVÆSTIO II.

Vtrum obiectum Logicæ sit ens rationis?

SVpposita existentia Logicæ; ipsius quidditas, & essentia inuestiganda est. Et quià natura cuiuslibet habitus sumitur per ordinem ad proprium ipsius obiectum, ab eoquè speciem deriuat; rectus, procedendi modus postulat, vt antè alia, quid sit Logicæ obiectum examinemus.

§. I.

Prælibantur aliqua ad difficultatis resolutionem.

5 SVpponendum est, quod obiectum dicitur illud, quod potentiæ, vel habitui obijcitur attingendum: sumpta denominatione à potentia visiua, cuius obiectum propriè dicitur obijci. Et quià obiectum scientiæ subijcitur prædicatis, quæ de illo scientia demonstrat, solet appellari subiectum: sicut etiàm dicitur materia circà quam, quoniam circà illud medijs proprijs

actibus

actibus scientia versatur. Vndè hæc tria *obiectum*, *subiectum*, & *materia*, respectu habituum intellectualium pro eodem vsurpantur: aliarum verò potentiarum, vel habituum obiectum appellatur quidem materia, nequit tamen subiectum dici.

Ex diuerso autem modo, quo obiectum ab habitu vel potentia attingitur, diuersas sortitur diuisiones: & primò diuiditur in formale, & materiale. Obiectum formale est, quod respicitur per se, & ratione sui. quale est color respectu potentiæ visiuæ: obiectum verò materiale dicitur, quod attingitur non ratione sui, sed ratione obiecti formalis, à quo quasi formalizatur, vt possit attingi: cuiusmodi est corpus respectu potentiæ visiuæ: videtur enim ratione coloris.

6. In obiecto formali duo distinguunt communitèr Doctores: nimirùm rem, quæ attingitur, quam appellant obiectum *quod*, rationem formalem *qua*, vel *in esse rei*: & rationem formalem, *sub qua* respicitur obiectum, quam vocant obiectum *quo*, rationem *sub qua*, vel *in esse attingibili*. Et esse vtramque istam rationem in obiecto formali distinguendam ex eo constat; quia habitus sumit ab obiecto vnitatem formalem, quæ proindè debet in eo præcontineri. Contingit autem obiectum formale *quod* habitus, qui est vnus in specie, habere solùm vnitatem genericam, vel analogam, vt patet in numero, qui est obiectum Arithmeticę, sub quo penè infinitę species continentur & in ente, quod solum habet vnitatem analogicam, & est obiectum Metaphysicę. E contrà verò circà eandem rationem *qua*, vel obiectum *quod* dantur habitus specie distincti; vt constat in hac propositione; *terra est rotunda*, quę ad Astrologum, & Philosophum spectat. Ergò à ratione formali *qua*, vel ab entitate obiecti, quod attingitur, nequit vltimò sumi specifica vnitas, vel distinctio habituum; ac proindè ponenda est alia ratio indiuisibilis, à qua obiectum *quod*, constituatur vltimò in esse dantis speciem, & vnitatem. Et hanc appellamus rationem formalem *sub qua*, vel obiectum *quo*. Quàm doctrinam latiùs expendemus *in libris Posteriorum disp.* 29. *à num.* 18.

Hic autem solùm obseruandum est, quòd quià ratio *qua*, siuè *in esse rei* actuatur, & constituitur in esse obiecti per rationem *sub qua*: & ità se habet ad illam, sicut materia ad formam, appellatur à D. Thom. 2. 2. *q.* 1. *art.* 1. Obiectum materiale; & solùm ratio formalis *sub qua* dicitur obiectum formale; quod in rigore loquendo verissimum est. Cęterùm communis vsus obtinuit, vtramque rationem appellari obiectum formale, cum distinctione *quod*, & *quo*, rationis *qua*, & *sub qua*; & solùm dicitur obiectum materiale, quod ab vna & altera ratione distinguitur, & vtramque presupponit. Qui modus loquendi, vtporè communior, retinendus est.

7 Deindè obiectum formale *quod* aliud est adęquatum, aliud verò inadęquatum. Adęquatum est, quod adęquat totam latitudinem potentię, vel habitus; inadæquatum dicitur, quod est pars obiecti adęquati; sicut albedo est obiectum inadęquatum visus, quia est pars, vel species obiecti adęquati, scilicèt coloris. Et ex his obiectis inadęquatis, vnum solet esse principalius alio; vt in ordine ad intellectum nobilius obiectum est substantia, & minus principale accidens.

Obiectum adęquatum solet etiàm appellari obiectum attributionis, quià nihil attingitur ab habitu nisi ratione predicti obiecti, & per ordinem, & attributionem ad ipsum. Cuius tres conditiones communitèr assignantur: prima quòd omnia, quæ tractantur in scientia ad ipsum reuocentur, tanquam principia, vel species, vel proprietates: secunda quòd de eo sit præcipua cura, & de quo præcepta, si quæ fuerint, tradantur: tertia quòd ab eo vnitas, & distinctio habitus desumatur. Quòd intelligendum est de illo, non secundùm se præcisè sumpto; sed vt stat sub ratione *subqua*, vt notauimus *suprà*.

8 Præsens ergo difficultas non procedit de obiecto materiali Logicæ (quod supponimus esse aliquid reale) neque de obiecto *quo*, siuè de ratione *subqua* (hanc enim *in lib. Posterior.* assignabimus) sed de obiecto *quod* formali, & adæquato. De quo inquirimus, an sit ens reale, quod habet verum esse in rerum natura, & sine fictione intellectus, *vt homo*, & *Leo*. Dicitur verò ens rationis quoddam esse fictum conueniens rebus non à parte rei, sed vt sunt obiectiuè in intellectu: vt quòd homo sit *species*; vel animal *prædicatum*. Cùm ergo ens prima diuisione diuidatur in ens reale & rationis: videndum est in præsenti, sub quo ex his membris contineatur obiectum Logicæ. Posteà verò quodnam ens rationis sit, specialitèr inuestigabimus.

§. II.

Vera sententia, & primum illius fundamentum.

9 DIcendum est obiectum formale Logicæ esse ens rationis. Hæc assertio sumitur ex Arist. 4. *Metaph. cap.* 2. Eamquè expressè docet D. Thom. *ibidem lect.* 4. his verbis: *Ens est duplex, ens scilicet rationis, & ens naturæ. Ens autem rationis dicitur propriè de illis intentionibus, quas ratio adinuenit in rebus consideratis, sicut intentio generis, speciei, & similium, quæ quidem non inueniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur. Et huiusmodi scilicet ens rationis est propriè subiectum Logicæ.* Idem tradit *opusc.* 42. *cap.* 2. & alibi sæpè. Angelicum Doctorem sequuntur omnes Thomistæ, vt testatur Masius in præsenti *sect.* 1. *quæst.* 13. à quibus proindè referendis abstinemus. Sed, vt hæc conclusio ratione conuincatur, aliqua breuitèr prænotanda sunt.

Et in primis sciendum est, quòd habitus est perfectio potentiæ, in qua recipitur, respectu proprij obiecti: vndè quælibet scientia perficit, & dirigit intellectum in ordine ad aliquam cognitionem, vt Geometria ad rectè cognoscendam quantitatem continuam: Arithmetica ad cognoscendum numerum, & sic de alijs. Quapropter intellectus erit dirigibilis, per vnam scientiam, ad cognitionem vnius obiecti, & per aliam ad cognitionem alterius: nullaquè scientia diriget intellectum, nisi in ordine ad proprium obiectum talis scientiæ. Nàm sicut omnes habitus intellectus simul sumpti perficiunt illum in ordine ad obiectum adæquatum, quod est verum in communi: ità eorum quilibet seorsim acceptus, quasi sumit vnam partem obiecti adæquati, & circa illam perficit intellectum; non verò in ordine ad obiectum alterius habitus.

Cæterùm contingit, obiectum alicuius scientię vniuersaliùs esse obiectis aliarum, & quodammodo continere illa, ac proindè talis scientia dirigendo intellectum circà proprium obiectum perficit consequenter eundem in ordine ad alia. Sicut Metaphysica dirigendo intellectum circà ens (quod est huius scientię obiectum) dirigit etiàm, aliquo modo, circà obiecta aliarum scientiarum: quoniam omnia clauduntur intra latitudinem entis. Idem proportionabilitèr conuenit Logicę: cuius obiectum in omnium sententia cęterarum scientiarum obiecta quodammodo continet. Et propterea Metaphysica, & Logica, dicuntur scientię generales, quia nimirum illarum obiecta ad omnia entia se extendunt, vt docet Philosophus, 4. *Metaph. cap.* 2. quem sic interpretatur D. Thom. *ibidem lect.* 4. Ostendit *quomodo Dialectica*

& Sophystica cum Philosophia habeant similitudinem, & in quo differant ab ea. Conueniunt autem in hoc, quod Dialectici est disputare de omnibus. Hoc autem esse non potest, nisi consideret omnia, secundùm quod in aliquo vno conueniunt, quia vnius scientiæ vnum subiectum est, & vnius artis vna est materia, circa quam operatur. Cùm igitur omnes res non conueniant, nisi in ente, manifestum est, quòd Dialectica materia est ens, & ea, quæ sunt entis, de quibus etiam Philosophus considerat.

Ex quibus infertur, obiectum formale Logicæ debere esse talis conditionis, vt valeat in omni ente inueniri: siquidem eius materia est omne ens: sicùt etiam obiectum Metaphysicæ reperitur in omne ente. Duo autem sunt prædicatorum genera, quæ possunt omni enti conuenire: alia realia, vt conceptus entis realis, & eius passiones, scilicet *vnum*, *verum* &c. alia rationis, & per operationem intellectus, vt esse *subiectum*, *prædicatum*, *vniuersale* &c. quæ secundæ intentiones appellantur.

10. His suppositis probatur conclusio: quia Logica se extendit ad omnia entia, in quo assimilatur Metaphysicæ, & propterea agit de eisdem prædicamentis: ergo considerat omnia secundùm aliquam rationem, quæ possit in omni ente inueniri; sed rationes, & prædicata realia, quæ omni enti conueniunt; sunt proprium obiectum Metaphysicæ, vt modò supponimus: ergo obiectum formale Logicæ nequit esse aliquid reale; sed consistere debet in prædicatis rationis, quæ omni obiecto queunt applicari.

Confirmatur primò: nàm vt *infrà disp. 19. quæst. 4.* latius ostendemus, omne ens reale, vel abstrahit à materia singulari) vt homo in communi, præscindens v. g. ab ista carne, & his ossibus, & sic est obiectum Philosophiæ naturalis) vel abstrahit à materia sensibili,) vt quantitas in communi præscindens ab hoc, quod sit v. g. alba, vel nigra; & sic pertinet ad Mathematicas) vel deinque abstrahit ab omni materia etiàm intelligibili, (vt conceptus generalis entis, & eius passiones, quę sunt obiectum Metaphysicę) sed non est possibile ens reale, quod aliquam ex dictis abstractionibus subterfugiat, vt probat D. Thom. *Opusc. 70. quæst. 5. art. 1.* ergo nullum ens reale valet esse obiectum Logicę.

Respondebis, prędictas scientias agere de omnibus entibus realibus; non tamen secundùm omnem rationem formalem, sub qua possunt attingi. ¶ Sed contra: nàm quęlibet ratio formalis, quocumque modo, consideretur, si semel est realis, continetur intrà aliquam illarum abstractionum; ergo continetur sub obiecto aliarum scientiarum; proindèque non poterit ad Logicam pertinere per modum obiecti formalis.

Confirmatur secundò; quoniam Logica distinguitur contra scientias reales, & appellatur rationalis; non, quia ipsa sit ens rationis, vt constat, nequè quia dirigat intellectum, cum hoc conueniat omni scientię, nequè quia habeat pro obiecto actus rationis; (alias scientia de Anima diceretur etiàm rationalis;) ergo ideò rationalis appellatur, quia versatur circa ens rationis, sicut circa propriam materiam; cùm obiectum aliarum scientiarum sit ens reale.

§. III.

Aliæ duæ rationes in fauorem huius sententiæ.

11. Secunda, & principalis ratio nostræ assertionis potest sic formari: quoniam enti rationis respectu Logicæ conueniunt tres conditiones propriæ obiecti attributionis, quas *suprà* proposuimus *num. 7.* ergo est obiectum formale illius. Probatur antecedens: nam in primis omnia, quæ tractantur in Logica, vel sunt entia rationis, qualia sunt genus, species, vniuersale, syllogismus &c. de quibus ex professò agit Logica: vel reducuntur ad ens rationis, tanquam eius principia, vel materia, vt videre est in actibus intellectus, & in prædicamentis; de quibus non disputat Logicus, nisi in ordine ad ens rationis, vt quandò inquirit v. g. per quem actum producatur vniuersale? & an substantia sit genus? ¶ Deindè cognitio entis rationis est principaliter intenta in Logica: de eo enim specialia, & præcipua tradit præceptà, atquè eiusdem notitiæ in omnibus suis partibus, ac libris inuigilat, vt testatur communis vsus interpretum. De ente autem reali, non nisi obiter disputat, & occasione entis rationis; vt patet, tùm in prædicamentis, quæ si sumantur, vt entia realia, per se pertinent ad Metaphysicam; ad Logicam verò solùm spectant, quatenus in eis attenditur prædicabilitas, & subijcibilitas, quæ sunt entia rationis. Tùm etiam in actibus intellectus, quos aliqui conantur esse obiectum Logicæ: de quibus tamen nullus Dialecticus librum peculiarem, vel disputationem ex professo instituit. ¶ Denique Logica vnitatem, & distinctionem specificam ab ente rationis desumit: propter hoc enim, vt iàm diximus, rationalis appellatur & distinguitur à scientijs realibus. Ergo ens rationis respectu Logicæ habet omnes conditiones obiecti attributionis.

12. Tertiò probatur conclusio: quia prima principia, ex quibus scientiâ procedit ad suas conclusiones, debent esse eiusdem ordinis cum obiecto eiusdem scientiæ: quapropter, si obiectum est reale, principia debent esse realia; sunt enim vel partes obiecti, vt materia, & forma respectù entis naturalis, quod est obiectum Philosophiæ: vel sunt essentia ipsius obiecti, sicut se habet entitas ad ens in communi: quod est obiectum Metaphysicæ. At prima principia Logicæ non sunt realia, sed rationis: siquidem ars definiendi, & diuidendi innititur intentionibus generis, speciei, differentiæ, & similibus; & ars syllogistica illis duobus principijs *dici de omni*, & *dici de nullo*, quæ omnia prò formali sunt aliquid rationis: ergo obiectum formale Logicæ non est reale, sed ens rationis.

Confirmatur: quia si actus intellectus essent obiectum formale Logicæ, vt aduersarij astruunt, Logica esset nobilior scientia, quam Philosophia, & Mathematica, siquidem haberet obiectum nobilius, vtpotè spirituale, & magis abstractum: sed consequens est falsum, & contra Philosophum *6. Metaph. cap. 1.* vbi enumerat Mathematicam, & Philosophiam partes principales scientiæ speculatiuæ: non autem Logicam: eò quod (vt ait D. Thom. *opusc. 70. quæst. 5. art. 1. ad 2.*) est instrumentum scientiarum, & non quæritur propter se: ergo obiectum Logicæ, nequè est actus intellectus; nequè aliquid reale; sed ens rationis. Hinc enim probat optimè idem S. Doctor, *opusc. 56.* ignobilitatem Logicæ, respectu aliarum scientiarum. *Inter omnia obiecta scientiarum, (inquit) debilissimum, & incertissimum est subiectum Logicæ: quia vnumquodque quantum habet de entitate, tantum habet de veritate, & certitudine vt dicit Arist. 2. Metaph. Nunc autem secundæ intentiones solùm habent esse in anima, & ab anima: ex quo sequitur, quòd habent debilissimum esse, & sic ad plenum sciri non possunt, nisi per primas intentiones.* Si autem obiectum Logicæ esset actus intellectus, vel aliud ens reale, nulla ratio esset ad probandam Dialecticæ ignobilitatem: cùm ex alio capite obiectum eius sit valde abstractum, & vniuersale, vt vidimus in prima ratione.

§. IV.

§. IV.

Contraria opinio & eius fundamenta.

13 Oppositam sententiã defendunt Fonseca 2. *Metaph. cap. 3. quæst. 1. sect. 2.* Suarez *disp. 1. sect. 4.* & alij plures: qui, licèt inter se diffideant in assignando obiectum formale Logicæ; in hoc tamen conueniunt, quod non sit ens rationis. Quod probant 1. ex D. Thom. *initio Post.* vbi ait: *Ars quædam necessaria est, vt sit directiua ipsius actus rationis, per quam homo in ipso rationis actu ordinatè, faciliter, & sinè errore procedat. Et hæc ars est Logica, id est rationalis scientia: quæ non solùm rationalis est ex hoc, quod est secundùm rationem, quod est omnibus artibus commune, sed etiàm ex hoc, quod est circà ipsum actum rationis, sicut circà propriam materiam*: ergo Logica versatur circà rationis opera tanquam circà proprium obiectum.

Confirmatur ex eodem D. Thom. *in proœmio. Ethic.* vbi docet, quod sicùt Philosophia moralis versatur circà actus voluntatis; ità & Logica circà actus intellectus: sed operationes voluntatis, vt dirigibiles, sunt obiectum Philosophiæ moralis: ergo operationes intellectus, vt dirigibiles sunt obiectum Logicæ.

Respondetur, D. Thom. non loqui de obiecto Logicæ: sed de eius fine, qui est dirigere actus rationis: quem finem assequitur per notitiam proprij obiecti, scilicet secundarum intentionum. Appellantur autem à D. Th. actus rationis materia Logicæ: tùm, quia sunt materia eius causaliter: causant enim ens rationis. Tùm etiàm quia sunt materia, in qua Logica propriam, & intrinsecam rectitudinem introducit: quo pacto passiones irascibilis v. g. timor, & audacia dicuntur materia fortitudinis; licèt non sint obiectum eius. Et hoc solùm intendere D. Thomam constat exemplo, quo vtitur: *Sicut ex hoc* (inquit) *quod ratio de actu manus ratiocinetur, adinuenta est ars ædificatoria, vel fabrilis, per quas homo faciliter, & ordinatè huius actus exercere potest: eadem ratione ars quædam necessaria est, quæ sit directiua actus rationis.* Constat enim obiectum artis fabrilis esse ædificium, actiones verò manus solùm esse effectiones (vt sic dicamus) obiecti: ergo similiter obiectum Logicæ erit artefactum rationis, quod componitur ex rebus, sicut ex materia, & ex ordine rationis, tanquam ex forma; actus autem intellectus erunt effectiones huiusmodi obiecti. Vndè auctoritas ista debet retorqueri in contrarios.

Hoc tamen discrimen est inter artem fabrilem, & Logicam: quòd rectitudo, & perfectio principaliter intenta ab arte ponitur in obiecto, scilicet in ędificio, vt constat: at perfectio, quam Logica per se primo intendit, non introducitur in obiecto; sed in proprijs actibus. Cognitio enim speculatiua non est propter obiectum, sed è contrà, obiectum attingitur ob rectitudinem cognitionis. Quapropter ens rationis est materia, *circà quam* Logica versatur; sed actus intellectus sunt materia, *in qua* rectitudinis, quam Logica intendit.

Ad confirmationem respondetur, Angelicum Doctorem ibidem perspicuè docere nostram sententiam his verbis: *Ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu, pertinet ad rationalem Philosophiam* (scilicet Logicam) *cuius est considerare ordinem partium orationis ad inuicem, & ordinem principiorum ad inuicem, & ad conclusiones.* Constat enim talem ordinem esse ens rationis. Vndè solùm ponit D. Thom. similitudinem inter Philosophiam moralem, & Logicam, quantum ad finem: illa enim intendit dirigere voluntatem, & ista intellectum. Sed differunt in obiecto (per cuius attingentiam finem assequuntur) quia illa dirigit voluntatem contemplando eius actus, qui proinde habent rationem obiecti: ista verò dirigit intellectum ordinando obiecta cognoscenda sub forma definitionis, diuisionis, & argumentationis, quę entia rationis prò formali sunt; atquè ideò obiectum Logicę est ens rationis.

14 Secundò arguitur: quoniã obiectum Logicę debet esse simpliciter scibile, sicut ipsa est scientia simpliciter: sed ens rationis non est simpliciter scibile, cùm sit ens secundùm quid, & scibilitas sit passio entis: ergo nequit esse obiectum Logicę.

Confirmatur primò: nàm obiectum debet habere passiones, quas scientia de illo demonstret: sed ens rationis nullas passiones habet: non quidem reales, vt patet, neque etiam rationis; alias ipsę essent etiàm ens rationis: quod repugnat; quia essentia non prædicatur in recto de suis passionibus; ergo ens rationis nequit esse obiectum scientiæ.

Confirmatur secundò: quia scientia dicit relationem realem ad obiectum, sed relatio realis petit terminum realem: ergo omnis scientia habet obiectum reale: subindéque nullius obiectum erit ens rationis.

Respondetur, quod sicut numerus est ens secundùm quid; & tamen est scibile simpliciter, & obiectum Arithmeticæ; ità ens rationis potest esse simpliciter scibile, & obiectum scientiæ; licet sit ens secundùm quid. Cuius ratio est, quià genus entis, & genus scibilis sunt valdè diuersa: & vt aliquid sit simpliciter scibile, sat est, quod habeat passiones demonstrabiles per propria principia: licet tàm principia, quàm passiones sint debilissimæ entitatis. Quoniam inter extrema, quæ sunt entia secundum quid, potest esse connexio necessaria simpliciter, quam scientia demonstret. Ens autem rationis, de quo agit Logica, habet passiones demonstrabiles per propria principia: & ità est simpliciter scibile, licet sit ens secundum quid.

Ad primam confirmationem respondetur, ens rationis habere proprias passiones, de quibus propter transcendentiam prædicatur: quod non est inconueniens, vt patet in passionibus entis realis, quæ etiàm sunt ens reale.

Ad secundam confirmationem respondetur, non esse de conceptu scientiæ, quod referatur ad obiectum relatione reali prędicamentali: hęc enim petit existentiam termini, à qua tamen scientia pręscindit. Satis ergo est, quòd referatur relatione reali transcendentali, quę ab ipsa scientia non distinguitur, & quę etiàm respectu entis rationis potest conuenire: vt patet in actu producente ens rationis, qui per suam entitatem respicit illud.

15 Tertiò arguitur: quoniam esse subjectum, prędicatum, genus, &c. est verum ens reale: ergo Logica, quę circa hęc versatur, non habet pró objecto ens rationis. Probatur antecedens: quià in hac propositione *homo est animal*, actus, vel species correspondens termino, *homo*, non repręsentat hominem pręcisè; sed vt subjicitur *generi*: ergo non solum repręsentatio hominis est quid reale; verum etiàm ratio subjecti, & speciei.

Respondetur, quòd licet repręsentare hominem, vt subjicitur animali, sit aliquid reale ex parte intellectus, hominem tamen subjici animali non est aliquid reale ex parte obiecti, sed ens rationis. Sicut etiam speculum naturaliter repręsentat objectum; licet hoc aliquandò sit ens non naturale; sed artificiosum. Et ab ijs intentionibus obiectiuis res denominantur *genus, subiectum*, &c. quę consequenter sunt prò formali ens rationis, & obiectum Logicę; licet repręsentatio se tenens ex parte spe-

specierum sit realis.

16 Vltimò arguitur: nàm demonstratio, quę est pręcipuum obiectum Logicę, est ens reale non solùm secundùm entitatem actuum, sed etiàm secundùm ordinem, & dispositionem eorum: nàm hoc pacto est verè discursus generans scientiam, quę est habitus realis: constat autem, effectum realem non posse, nisi à causa reali prodire; ergo ens reale est obiectum Logicę.

Confirmatur: quia Logica pręcipuè concurrit ad dispositionem, & ordinem suorum actuum: sed à causa reali, qualis est Logica; procedit effectus realis: ergo talis ordo, & dispositio sunt quid reale: cùmquè circà istum ordinem versetur Logica, sequitur, obiectum illius non esse ens rationis.

Respondetur, scientiam, & quemlibet habitum acquisitum generari ex actibus circà objectum proprium: vnde in demonstratione actus sunt propriè causa scientiæ; ordo verò illorum se habet vt conditio: sicut in exercitu ordo est conditio ad consequendam victoriam; licèt ista sit à milite tanquam à causa. Et non repugnat, quòd effectus realis dependeat ab aliqua conditione rationis: vt constat, tùm in sacramentis nouæ legis, quæ non non causant gratiam nisi connotando significationem, quæ aliquid rationis est. Tùm etiam in vocibus humanis, quæ causant species reales rerum, quas significant, licèt significatio sit quid rationis ab hominum impositione dependens.

In casu autem argumenti solùm obseruandum est, quòd dependentis scientiæ ab ente rationis reducitur vltimò in aliquam causam realem. Nàm discursus petit necessariò aliquos actus antecedentes, per quos termini, & propositiones talitèr cognoscuntur; quod resultat in actibus aliquod artificium rationis. Vndè, si scientia dependet ab ente rationis, ideò est, quià dependet à tali, vel tali cognitione, ad quam ens rationis consequitur.

Ad confirmationem respondetur, Logicam simul cum intellectu concurrere per se ad actus secundùm entitatem producendos; ex quibus potest indirecte resultare ordo, & dispositio rationis. Quo pacto producuntur alia entia rationis, vt infrà constabit.

QVÆSTIO III.

Quodnam ens rationis sit obiectum Logicæ?

17 Certum est apud omnes, ens rationis vniuersalitèr sumptum non pertinere ad obiectum formale Logicæ. Nàm de chymæra verbi gratia nihil Logicus disputat, imò neque de omni relatione rationis, vt patet in relationibus, quibus Deus refertur ad creaturas, & similibus. Quià cùm hæc entia rationis non conducant ad finem Logicæ, qui est dirigere intellectum, nequeunt ad illius obiectum formale pertinere. Sed hoc solùm potest conuenire secundis intentionibus veritatis ostensiuis; vt sunt genus, propositio, & alię. Cęterùm quia ex ijs quędam conducunt principaliùs ad prędictum finem, vt demonstratio; quędam autem non ità principalitèr: vt genus; ideò difficultas est, quę earum constituant obiectum formale Logicę.

Pro cuius resolutione aduertendum est, quòd modus sciendi nihil aliud est, quam modus res ità disponendi, & applicandi ad intellectum, vt ipse facilè veram de illis assequatur notitiam; sicut modus faciendi cathedram est talis dispositio, & applicatio artis ad materiam, ex qua facilè cathedra resultat. Et sicut non solùm datur modus ad vltimam applicationem, ex qua immediatè resultat cathedra; sed etiàm ad quamlibet partem conficiendam, etsi minutissima sit; ità in scientiis non solùm dispositio demonstrationis, ad quam vltimò sequitur cognitio scientifica, est modus sciendi; verùm etiàm quęlibet intentio ad sciendum conducens, rationem modi sciendi participat. Quod etiàm conuenit vtcumquè intentionibus, quę fundantur, in vocibus; talis enim modus significandi, appellandi, supponendi &c. nequit non conducere ad scientiam comparandam.

18 Veruntamèn, sicut in exemplo artis, modus rectè operandi non ità cernitur in qualibet minutissima parte artefacti, & ex alio capite, non restringitur ad solam vltimam applicationem, atque ideò in efficiendis nobilioribus partibus artefacti, principaliùs resplendet: ità communitèr DD. non extendunt nomen modi sciendi ad quamlibet intentionem, neque ad solam demonstrationem restringunt; sed illud attribuunt definitioni, diuisioni, & argumentationi; quià istis specialitèr conuenit esse veritatis ostensiuas, nimirùm manifestando ignotum. Et ideò communitèr modum sciendi, in hæc tria instrumenta, rectè partimur.

Ex quò sequitur, quòd si modus sciendi sumatur strictissimè prò vltima dispositione, ad quam immediatè sequitur scientia; sic nomen modus sciendi, solùm demonstrationi potest conuenire. Si autem accipiatur prò principalibus, & generalibus instrumentis rectè cognoscendis: sic ratio modi sciendi competit definitioni, diuisioni & argumentationi. Quòd si modus sciendi latè sumatur prò omni eo, quod ad rectè sciendum conducit, in omnibus intentionibus Logicalibus illius ratio inuenitur: quià licèt aliæ immediatiùs, & aliæ remotiùs; omnes tamen comparandæ scientiæ deseruiunt.

§. I.

Duplici conclusione resoluitur dubium.

19 Dicendum est primò, objectum formale Logicæ esse modum sciendi latè sumptum, proùt comprehendit omnes secundas intentiones Logicales, siuè fundentur in rebus, siuè in vocibus; cum hac tamen differentia, quòd illæ pertinent ad objectum Logicæ primariò, & principalitèr; istæ verò secundariò, & minùs principalitèr. Hæc conclusio colligitur ex D. Thom. 4. *Metaph. lect.* 4. 1. *perhi. lect.* 2. quam etiam tuentur communitèr Thomistæ.

Probatur primò; quia finis Logicæ est dirigere intellectum, vt facilè, & sinè errore in qualibet materia procedat: ergo illud erit objectum Logicæ, quod conducit ad talem finem: sed huiusmodi sunt omnes intentiones Logicales; ergo omnes pertinent ad objectum adæquatum Logicæ. Minor probatur specialitèr de intentionibus, quæ fundantur suprà voces, (in quibus poterat esse major difficultas) nàm notitia significationis, suppositionis, ampliationis, & intentionum similium summoperè iuuat, vt recta notitia de quolibet obiecto comparetur: in cuius signum videmus, quod Philosophus in libris Perhiermenias, Topicorum, & Elenchorum, plura de his intentionibus ex professò disputat; ergo conducunt ad directionem intellectus.

20 Secundò probatur: nàm quòd vnum ordinetur ad aliud, non semper excludit illud, quod sic ordinatur à ratione propria obiecti formalis; aliàs solus Deus esset obiectum adæquatum Metaphysicæ, & homo Philosophiæ naturalis; siquidem omnia, quæ tractantur in Metaphysica, ordinantur ad Deum, & quæ in Philosophia, ad hominem; ergo ex eo quod genus ordinetur ad definitionem, & propositio ad Syllogismum, non ideò debent

excludi ab obiecto formali adæquato Logicæ. Probatur consequentia: nàm sicut alia entia, præter Deum, participant rationem *sub qua* Metaphysicæ, & ideò pertinent ad illius obiectum *quod*: ità omnes intentiones participant rationem *sub qua* Logicæ, debentquè proindè ad obiectum illius adæquatum pertinere.

Vltimò probatur: quià non est inconueniens, quòd in ratione formali *quæ* detur multiplicitas, diuersitas, & subordinatio inter obiecta partialia: dummodò omnia conueniant saltem analogicè in esse rei, & participent immediatè eandem rationem *sub qua*: vt constat in Philosophia naturali, ad cuius rationem *quæ* pertinent res diuersissimæ, vt cœli, elementa, plantæ, animalia, & homo; inter quas etiàm datur subordinatio: at sic se habent respectu Logicæ omnes secundæ intentiones in conclusione relatæ; siquidèm omnes conueniunt in esse entis rationis, & participant eandem rationem *sub qua*; cùm sint veritatis ostensiuæ, & dirigant intellectum; ergo omnes pertinent ad eandem rationem *quæ* Logicæ; subindéque illius obiectum adæquatum, erit modus sciendi latè sumptus.

Dicendum est secundò, obiectum materiale Logicæ esse res, & voces secundùm suum esse reale; actus verò intellectus non esse materiam, quæ denominatur à secundis intentionibus; sed solùm principia, & causas earum. Assertio hæc deducitur ex præcedenti, & probatur quoad omnes suas partes. Nàm res sunt, quæ propriè denominantur *genus*, *subiectum*, *&c.* & nullum est obiectum, cui intellectus non possit attribuere aliquam intentionem Logicalem: ergo omnes res pertinent ad obiectum materiale Logicæ. ¶ Voces etiàm sunt subiectum significationis, suppositionis, & aliarum intentionum logicalium, vt suprà diximus; ergo entitas vocum est obiectum materiale Logicæ; licèt minùs principale, quam res. ¶ Actus verò intellectus non sunt materia obiecti Logicæ, nisi quatenùs induunt rationem rerum, & obiectorum: quia actus, vt actus sunt, non dicuntur propriè genus, prædicatum, &c. nisi tantùm in repræsentando, siuè cognoscendo; quià videlicèt attingunt, & contemplantur entia rationis; ergo Logica non agit de actibus intellectus tanquam de obiecto formali, vel materiali; sed solùm in quantum sunt principia secundarum intentionum.

§. II.

Referuntur oppositæ sententiæ.

23 Conträ primam conclusionem triplex militat sententia. Prima (prò qua referuntur Ammonius, & alij Græci) asserit, solam demonstrationem esse obiectum Logicæ formale, & adæquatum. Et probatur, quia omnia, de quibus agit Logica, ordinantur ad demonstrationem, sicut ad finem, cùm sit nobilissimum instrumentum sciendi; ergo sola demonstratio est obiectum formale Logicæ.

Sed hoc argumentum facilè soluit ex dictis; solùm enim probat, demonstrationem esse objectum principale Logicæ. Non autem conuincit, esse obiectum adæquatum illius; aliàs semper obiectum principale cum adæquato coincideret; nequè locum haberet diuisio obiecti formalis in principale, & minùs principale; quod est absurdum. Sicut ergo creaturæ subordinantur Deo, & tamen pertinent ad obiectum formale Metaphysicæ; licèt minùs principalitèr; ità etsi aliæ intentiones subordinentur demonstrationi, non debent ab obiecto formali Logicæ excludi, vt probatum est.

24 Secunda sententia solùm syllogismum, vel etiàm argumentationem obiectum formale Logicæ constituit: Prò qua citantur B. Albert. Scotus *quæst.* 3. vniuersalium, & alij; quorum fundamentum est; quia Aristoteles de Syllogismo, & argumentatione ex professo disserunt, vt ipse testatur *cap. vlt. lib. 2. Elench.* non verò de definitione, diuisione, & alijs intentionibus: ergo juxta mentem illius Syllogismus tantùm, vel argumentatio pertinent ad obiectum formale Logicæ.

Cæterùm huic etiàm argumento facilis est solutio; respondetur enim ex Laertio, *lib. 5. in vita Aristot.* ipsum de definitione, & diuisione aliqua edidisse volumina, quæ iniuria temporis exciderunt. Præterquam quod circà definitionem, & diuisionem Socrates, & Plato plura disputauerunt; ars verò syllogizandi tunc, vel nulla, vel exigua erat; & ideò Philosophus naturæ argumentationis inuestigandæ rantoperè incubuit.

25 Tertia opinio docet, modum sciendi strictè sumptum, prout solùm comprehendit definitionem, diuisionem & argumentationem esse obiectum Logicæ formale, & adæquatum. Sic Masius *sect. 1. quæst. 13.* & alij. Probatur: quia ad hęc tria instrumenta omnes aliç intentiones reducuntur: nàm intentiones simplices, vt sunt genus, & species, ordinantur ad definitionem, & diuisionem, reliquç verò deseruiunt argumentationi; Ergo modus sciendi strictè sumptus est obiectum adæquatum Logicç.

Confirmatur: quia finis Logicç est dirigere intellectum, vt de qualibet re veram notitiam facilè assequatur: sed his tribus instrumentis habetur talis finis; ergo illa constituunt obiectum adęquatum Logicæ. Probatur minor: nàm de qualibet re tria tantùm possumus ignorare, scilicèt essentiam, partes, & proprietates; sed essentiam manifestat definitio, partes diuisio, & proprietates argumentatio; ergo hęc tria instrumenta sufficiunt ad finem Logicç.

Respondetur, quòd licèt omnes intentiones Logicales ad definitionem, diuisionem & argumentationem reduci possint, & eis in esse res subordinentur: hoc tamèn non tollit quominùs ad obiectum formale Logicç immediatè pertineant; cùm omnes sint per se, & in se ipsis scibiles, & directiuç intellectus; & non solùm prout includuntur in illis tribus instrumentis. Sicut etiàm omnia entia naturalia reduci possunt ad duo genera, nimirùm corruptibile; & incorruptibile; & tamèn sub obiecto adęquato Philosophię immediatè continentur.

Ad confirmationem respondetur, quòd sicut ex hoc, quod sola demonstratio vltimò, & immediatè attingat consecutionem scientię; non probatur, definitionem, & diuisionem excludendas esse ab obiecto Logicç; ita ex hoc, quod modus sciendi strictè acceptus concurrat principaliùs ad consecutionem scientię, minimè infertur alias intentiones à ratione obiecti reijciendas fore. Quia quęlibet dirigit peculiari modo intellectum; atque ideò participat rationem *sub qua* Logicç, & debet ad illius obiectum *quod* pertinere.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Logica docens, & vtens sint idem habitus.

EXacta huius difficultatis resolutio à notitia Logicç docentis, & vtentis omninò dependet; & ideò opus est, quid earum nomine intelligatur, breuitèr aperire.

§. I.

§. I.

Explicatur quid sit Logica docens, & vtens?

26 Diuisionem Logicæ in docentem, & vtentem tradunt D. Thom. 4. *Metaph. lect.* 4. & Scotus *quæst.* 1. *Prædicab.* à quibus alij acceperunt, & meritò probarunt. Nàm ficut in arte domificatiua datur doctrina, quæ præscribit regulas ædificandi: & vsus, qui, juxtà illas regulas, domum ædificat: ità & Logica docet præcepta conficiendi syllogismum, & alia sciendi instrumenta: & secundùm hanc considerationem appellatur docens; deindè, iuxtà præscriptas regulas, prædicta instrumenta efformat, qua ratione dicitur vtens.

Manifestum autem est, quòd Logica scientificè docet syllogismum, & alia instrumenta conficere in omni materia demonstratiua, topica, & sophistica: siuè propria, siuè aliena; & ad omnia hæc directiuè concurrit. Vndè non solùm in parte demonstratiua; sed etiàm in topica, & sophistica verè est, & propriè appellatur docens.

27 Vsus verò Logicæ, atquè denominatio vtentis non ità extenditur: nàm in materia demonstratiua nullo modo inuenitur, propriè loquendo. Quod, quantum ad propriàm materiam entis rationis, probatur: tùm authoritate D. Thom. 4. *Metaph. lect.* 4. vbi ait: *Vsus partis demonstratiuæ consistit in vtendo principijs rerum, quæ ad scientias reales pertinent; non vtendo intentionibus Logicis*: Sed Logica in materia propria non vtitur principijs rerum; ergo ibi, iuxtà D. Thom. non habet vsum. Tùm etiàm ratione; quià vsus propriè dictus debet à doctrina distingui, & eam præsupponere; aliàs considerationes Logicæ docentis, & vtentis confunderentur: sed constructio Syllogismi intrà propriam materiam non distinguitur à doctrina; sed est actualis notitia proprij obiecti; ergo Logica in hac materia non habet vsum.

Nec refert, quod Logica in tradendis modis sciendi vtatur eisdem præceptis, & modis. ¶ Respondetur enim, doctrinam Logicæ non esse proponendam simplici dictamine, vt rem, quæ fide admittitur; sed debet ostendi per causas necessarias, vel probabiles: & per consequens opus est in ea tradenda Syllogismos, aliaquè instrumenta conficere. Quorum proindè constructio non est vsus propriè dictus; sed doctrina actualis, & artificiosa.

Quod autem in materia necessaria aliarum scientiarum Logica non habeat vsum, etiàm probatur; primò: quia Metaphysica v. g. in propria materia conficit demonstrationes iuxtà regulas Logicæ; ac proindè Logica ibi non est vtens: sed vsitata. Si enim sola Logica concurreret effectiuè ad omnes demonstrationes, vel saltem ad gradum genericum demonstrationis (vt volunt aliqui) illi soli conueniret, saltem per se primò, ratio scientiæ: & alij habitus, vel nullo modo, vel solùm ad gradus differentiales demonstrationis concurrerent. Quod est absurdum: cùm adeò imminuat, vel potiùs destruat dignitatem aliarum scientiarum. ¶ Secundò; quia si Logica concurreret effectiuè in demonstratione Metaphysicæ, maximè ad ordinem actuum (illos enim quoad substantiam esse à Metaphysica negari nequit) sed nequè illorum ordinem potest Logica efficere: quià talis ordo non producitur per se, sed ad productionem actuum: ergo cùm Metaphysica producat proprios actus quoad substantiam, debet consequenter illum ordinem efficere, ac proindè nihil remanet in demonstratione Metaphysica, quod sit effectiuè à Logica; licèt ab ea dependeat tanquam à dirigente, & docente.

28 Ex quibus sequitur, Logicam solùm dici vtentem respectu partis topicæ, & sophisticæ. Quæ est expressa doctrina D. Thomæ, *loco citato*, vbi ait: *Sic apparet, quod quædam partes Logicæ habent ipsam scientiam, & doctrinam, & vsum, sicut Dialectica tentatiua, & Sophistica: quædam autem doctrinam, & non vsum, sicut demonstratiua*. Quod, vt melius intelligatur animaduertendum est ex eodem D. Thoma 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 1. medium, siuè principium in quolibet Syllogismo esse rationem *sub qua* obiecti habitus: quoniàm habet vim luminis, sub quo attingitur conclusio. Vndè ad eam scientiam pertinet constructio Syllogismi, ad quam spectat medium illius: ob hanc enim rationem, quædam argumentationes fiunt ab vna scientia, quædam verò ab alijs: vt si medium est metaphysicum, fiunt à Metaphysica: si verò philosophicum, à Philosophia.

Media autem seu principia partis topicæ, sunt quædam intentiones rationis, ex quibus procedi potest ad differendum probabiliter in quacùmque materia: quod perspicuum fiet libros Topicorum legenti. Nàm omnia ferè, quæ ibi recenset Aristoteles, important prò formali aliquid rationis: vt locus *à definitione*, *à diuisione*, & alij. Et idem contingit proportionabiliter in parte Sophistica; procedit enim ex principijs apparentibus, quæ dicuntur fallaciæ: quæ etiàm sunt prò formali, vt in plurimùm, entia rationis.

Cùm ergo omnia hæc principia sint propria Logicæ, & ad illius rationem *sub qua* pertineant: sequitur omnes Syllogismos probabiles, & apparentes ex huiusmodi intentionibus procedentes fieri à Logica: ac proindè vsum actiuum illius propriè in his partibus reperiri. Nàm quà parte medium est rationis, debet Syllogismus ad Logicam pertinere: & qua parte conclusio est in materia reali, elicientia illius, habet rationem vsus condistincti à doctrina, & notitia entis rationis; ac deniquè cùm connexio inter medium rationis, & conclusionem realem solùm probabilis, vel apparens sit: talis Syllogismus nequit esse demonstratiuus: sed apparens duntaxat, vel probabilis. Et ideò Logica propriè dicitur vtens in parte topica, vel Sophistica.

29 Quæ omnia docet optimè D. Thom. *loco citato*, vbi distinguit Dialecticum à primo Philosopho, seu Metaphysico: quià licet vterque versetur circa omne ens; *Philosophus tamen* (inquit) *ex principijs ipsius, procedit ad probandum ea, quæ sunt consideranda circà communia accidentia entis; Dialecticus verò procedit ad ea consideranda ex intentionibus rationis, &c.* Ex quibus infert, quod aliæ scientiæ dicuntur demonstratiuæ, quià procedunt ex principijs proprijs obiecti, at Logica, quandò per media rationis aliquid concludit circa materiam realem, appellatur tentatiua: quia tentare est ex principijs extraneis procedere.

Quibus addimus omnes Syllogismos, qui in qualibet materia fiunt ex aliquibus principijs communibus, attribui Logicæ, licèt in eis non inueniatur terminus secundæ intentionis. Et ideò inter loca topica ponuntur aliqua, quæ non important ens rationis, vt locus *à causa*, & similes. Hoc autem non ideò est (vt aliqui existimant) quia forma istorum Syllogismorum pertineat ad Logicam: sic enim nullus posset ad alias scientias, vel habitus opinatiuos pertinere; cùm forma cuiuslibet Syllogismi præscribatur à Logica. Sed ratio est: quia ex his probabilibus, & communibus, paratur via, atquè aditus ad conclusiones necessarias in qualibet scientia; vndè cùm Logica sit ianua, & instrumentum scientiarum omnium: debent illi attribui, per quandam accom-

accommodationem, Syllogismi probabiles, & communes.

§. II.

Resoluitur præcipua difficultas.

30 Dicendum est, Logicam docentem, & vtentem esse realiter eundem habitum. Hanc conclusionem docet procul dubio D. Thom *loco citato ex 4. Metaph.* vbi distinguit Logicam docentem, ab vtente, solùm secundùm diuersas considerationes, vel munera. Quem sequuntur omnes Thomistæ, & communiter Doctores.

Probatur ratione: quia Logica docens, & vtens non distinguuntur inter se solùm numero: sed neque specie: ergo nullo modo distinguuntur realiter. Probatur major: quia duo accidentia solùm numero diuersa nequeunt esse in eodem subiecto: ergo cùm Logica docens, & vtens sint in eodem intellectu, non possunt solo numero distingui. Minor etiam suadetur: nam distinctio specifica scientiarum sumitur ex diuersitate principiorum, per quæ procedunt, (hæc enim, respectù scientiæ, sunt ratio *sub qua*) sed vtraque Logica habet eadem principia: ergo non distinguuntur specie.

Confirmatur: quoniam vbi non est noua difficultas, non est ponendus distinctus habitus: sed vsus Logicæ non addit difficultatem suprà doctrinam; ergo non petit distinctum habitum. Probatur minor: tùm quia vsus est actus secundarius Logicæ necessariò supponens doctrinam: actus autem secundarius non addit difficultatem formalem suprà primarium, vt patet in actibus amoris Dei, & proximi, qui propterea procedunt ab eodem habitu charitatis. Tùm etiam, quia supposita notitia perfecta secundarum intentionum, facile, & delectabile est probabiliter ex illis disputare: sed in hoc consistit vsus Logicæ; ergo vsus non addit difficultatem suprà doctrinam.

Contra istam conclusionem sentiunt Vazquez *1. p. disp. 8. cap. 5.* & alij Moderni, existimantes Logicam docentem esse speculatiuam: vtentem verò practicam, ac proindè esse habitus realiter distinctos. Sed quià illud fundamentum tangit difficultatem *quæst. 6.* examinandam, ibi illorum argumentis occursum ibimus.

QVÆSTIO V.

Vtrum Logica sit scientia?

31 Nomine scientiæ non intelligitur in præsenti quælibet cognitio, quo pacto solemus dicere: *Scio Romam esse*: neque intelligitur cognitio euidens, quæ discursiua non sit, qualis est scientia Dei. Sed ea cognitio intelligenda venit, de qua Philosophus, 1. *Poster. cap. 2.* ait: *Scire autem putamus vnamquamque rem simpliciter, & non sophistico modo, cum putamus causam cognoscere propter quam res est, eius rei causam esse: neque posse eam aliter se habere*. Ex quibus verbis sumitur scientiæ humanæ definitio: *Scientia est habitus per demonstrationem acquisitus*. In qua, ly *habitus*, ponitur loco generis: quia in hac ratione conuenit scientia cum alijs qualitatibus intellectualibus: à quibus differt per subsequentes particulas. Nàm hoc ipso quòd acquiratur per demonstrationem, debet esse euidens: in quo distinguitur à fide, quæ obscura est. Et, cùm euidentia importet certitudinem, quæ est firma adhæsio intellectus suo intelligibili, excludit opinionem, quæ semper inuoluit incertitudinem, & formidinem. Denique, distinguitur scientia à prudentia, & arte, quæ sunt circà singularia, de quibus non est demonstratio: & ab habitu principiorum, qui versatur circà propositiones indemonstrabiles, & immediatas. Sumpta ergo scientia in hac acceptione, inquiritur vtrum ratio illius conueniat Logicæ?

§. I.

Defenditur sententia Communis.

32 Dicendum est primò, Logicam docentem, quoad omnes suas partes, esse scientiam. Conclusio est D. Thomæ. 4. *Metaph. lect.* 4. quem sequuntur communiter Doctores. Et probatur: nàm Logica, quoad omnes suas partes, est habitus acquisitus per demonstrationem: ergo est vera scientia. Suadetur antecedens, animaduertendo, tres esse Logicæ partes, videlicet, demonstratiuam, topicam, & sophisticam: in quibus docet disserere euidenter, probabilitèr, & apparentèr: sed Logica docens demonstratiuè ostendit modum arguendi euidentèr, probabilitèr, & apparentèr: & scientificè probat Syllogismum demonstratiuum generare scientiam: topicum opinionem: & sophisticum deceptionem: siquidem omnia hæc per propria, & intrinseca principia concludit: ergo Logica docens, quoad omnes suas partes, acquiritur per demonstrationem. Habitus enim elicit actus similes his, per quos generatur.

33 Dicendum est secundò, quod licèt Logica vtens entitatiuè sumpta sit scientia, tamen formaliter accepta, sub expressione vtentis, à modo scientiæ recedit. Hæc conclusio est communis inter Thomistas; cuius prima pars patet ex dictis quæstione præcedenti, vbi ostendimus, Logicam vtentem non distingui realiter à docente: sed ista est scientia, vt nuper diximus: ergo etiam vtens, si entitatiuè sumatur.

Secunda verò pars sic ostenditur: nam scientia, vt scientia est, non efficit Syllogismos probabiles & apparentes: sed solùm demonstratiuos: at Logica vtens, vt vtens, solùm concurrit ad Syllogismos apparentes, & probabiles: procedit enim ex principiis extraneis: ergo Logica sub expressione vtentis degenerat à modo scientiæ.

Inquires: quomodò Logica, quæ entitatiuè est scientia possit actus non scientificos elicere? ¶ Respondetur, assensus, in quos scientia per se primò inclinat, & influit, debere esse scientificos, & demonstratiuos; eò quod ab illis speciem desumit: minimè tamen repugnare actus secundarios scientiæ esse opinatiuos, vel probabiles. Quod contingit ex duplici capite; *primò* quandò conclusiones probabiles deriuantur ex ijsdem principijs, à quibus procedunt actus primarij, applicatis tamen diuerso modo: tunc enim habent eandem rationem *sub qua*, atquè ideò debent ad eundem habitum pertinere. *Secundò*, quandò conclusio prius cognita per medium necessarium, iterum attingitur per medium contingens intrà eandem abstractionem contentum. Nàm talis assensus elicitur ab eadem scientia, vt docet D. Thom. 3. *p. qu. 9. art. 3.* & nos dicemus *in libris Poster.*

Quod speciali ratione in Logica admittendum est: Nàm cum sit instrumentum aliarum scientiarum, non insistit præcisè contemplationi entis rationis: quo pacto est docens à rebus auulsa, & verè scientia: sed etiam descendit ad materiam realem aliarum scientiarum, vt illis aliqualem ministret notitiam: qua ratione est vtens, rebus concreta, & à modo scientiæ declinat. Assensus enim

enim probabiles disponunt ad cognitionem scientificam de rebus per alias scientias habendam: & ideò debent effici à Logica, quæ illarum ministra est.

§. II.

Opiniones contrariæ cum suis argumentis.

24 Contrà primam conclusionem sentiunt Villalp. *quæstion.* 1. *Proœm.* & alij: quorum sententia probatur primo ex Aristot. 1. *cap.* 2. Vbi coniungens Rhetoricam, & Dialecticam, ait; *Neutra earum de re determinata, quomodò se habeat, scientia est.* Et 2. *Metaphys. capit.* 3. inquit: *Absurdum est simul quærere scientiam, & modum sciendi*, vbi distinguit scientiam contrà modum sciendi, cuius nomine Logicam intellexit.

Respondetur, Philosophum in prima auctoritate loqui de Dialectica, vt vtens est, & versatur in parte topica: & solùm intendere, quòd sub officio vtentis, non versatur circà rem determinatam, sed generaliter inuestigat rationes ad probabiliter disserendum in qualibet materia: quod etiam, suo modo, conuenit Rhetoricæ. Cæterùm hoc non impugnat primam conclusionem; sed confirmat secundam. In altero verò loco mens Philosophi est, Logicam debere addisci ante alias scientias; quià docet communes modos procedendi scientificè. Quòd nobis minimè opponitur.

Secundò arguitur ratione: nàm scientia iuxtà triplicem abstractionem à materia diuiditur adæquatè à Philosopho 6. *Metaph. capit.* 1. in Philosophiam, Mathematicam, & Metaphysicam: sed Logica sub nulla istarum continetur: ergo non est scientia. ¶ Confirmatur: quià scientia nequit esse de contingentibus: sed Logica est de contingentibus: ergo non est scientia. Probatur minor: tùm quia agit de entibus rationis, quæ fiunt prò libito. Tùm quia docet modum disserendi probabiliter, & circà contingentia.

Respondetur ex D. Thom. *opusc.* 70. *quæst.* 5. *art.* 1. ad 2. quod Aristoteles ibi solùm enumerauit scientias speculatiuas principales: & ideò non meminit Logicæ, quia licèt sit vera scientia: est tamen instrumentum aliarum. ¶ Ad confirmationem, negatur minor, & ad primam probationem dicimus, quod Logica, circà suum obiectum, non contemplatur exercitium existendi, quod est contingens: sed considerat prædicata essentialia, & proprias passiones, quæ fundant propositiones necessarias. Ad secundam respondetur, quod licèt Logica tradat modum probabilitèr disserendi, id tamen docet scientifico modo, & ità est verè scientia. Sicùt externa curatio non est actus scientificus: & tamen Medicina est vera scientia, quæ docet modum rectæ curationis: quia id præstat scientifico modo.

25 Secunda sententia asserit, Logicam esse veram scientiam non solum, vt docens est, sed etiam, vt vtens, quam defendunt Murcia q. 3. *Proœm.* & alij moderni. Et probatur: quia Logica docens, & vtens sunt idem habitus: ergo si vt docens, est vera scientia, etiam quatenùs vtens, debet rationem scientiæ sortiri. Probatur consequentia: tùm quia aliàs idem habitus esset, & non esset scientia: in quo datur contradictio. Tùm quia si sunt idem habitus, debent inclinare in eundem actum: sed vt docens inclinat in assensum scientificum: ergo etiam vt vtens.

Respondetur, negando consequentiam, & ad primam probationem dicendum est, nullam esse contradictionem in eo, quòd idem habitus sit, & non sit scientia per respectum ad diuersos actus, quos potest elicere; si ex his, alij sunt scientifici, & alij probabiles. Quià non affirmatur, & negatur idem, secundum idèm, quod requiritur ad contradictionem. ¶ Ad secundam responde. tur, Logicam solùm dici vtentem, quatenùs elicit assensus probabiles. Et ideò sub vtentis munere (quod est secundarium) non inclinat in actus scientificos, licèt entitatiuè sumpta, in eosdem actus inclinet. Sed hoc modo accepta non distinguitur Logica vtens à docente; & confunduntur diuersa munera illius.

Ex huculquè dictis infertur, hanc esse legitimam definitionem Logicæ: *Logica est scientia modi sciendi latè sumpti.* In qua ly *scientia* ponitur loco generis: quia in hoc conuenit simpliciter Logica cum alijs habitibus. Et quià propria ratio differentialis cuiuslibet habitus sumitur ab obiecto: ideò in hac definitione, obiectum Logicæ (quod est modus sciendi latè sumptus) gerit vices differentiæ. Ponitur autem in obliquo, vt intelligatur, differentiam intrinsecam scientiæ non esse ipsum obiectum: sed respectum, & ordinem ad obiectum.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Logica sit scientia practica, vel speculatiua?

Scientia practica est, *quæ versatur circà praxim*; & speculatiua dicitur, *quæ speculationi insistit*. Vndè exacta præsentis difficultatis resolutio expostulat, vt quid sit *praxis*, quid *speculatio*, breuiter explicemus; nàm rigidum huius rei examen spectat ad Metaphysicam.

§. I.

Prænotantur aliqua ad dubij decisionem.

26 Circà speculationem, (quæ deriuatur à verbo Græco σκοπέω, quòd latinè idem est, ac *contemplor*) nullum dissidium est apud Doctores: nàm omnes docent esse quietam alicuius rei cognitionem, quæ non extenditur ad dirigendum opus extrà intellectum existens, sed tota in veritatis meditatione versatur. Quarè, cùm speculatiuum desumatur ab speculatione, illa scientia erit speculatiua simpliciter, quæ non egreditur intellectum; sed in proprij obiecti contemplatione quiescit. In his conueniunt Auctores; & tota difficultas est circà praxim.

27 *Praxis* igitur vox græca est, quæ ex communi Philosophorum vsu solùm significat actionem, & factionem. Est autem *actio* operatio immanens, & interna, circa quam versatur prudentia: *factio* verò dicitur operatio externa, dirigibilis per artem. Quam distinctionem docet Aristotel. 1. *magn. moral. capit. vltim.* dicens: *Circà actionem, & quæ in agendo posita sunt, prudentia; circà facturam, & quæ in faciendo posita, sunt ars.*

28 Definitur autem praxis à Scoto q. 4. Prologi; *Praxis est actus alterius potentiæ ab intellectu, posterior intellectione, natus elici conformiter rationi rectæ.* Cuius definitionis sensus, quoad primam partem, (quæ ad nostrum spectat institutum) est operationem, quæ primariò, & per essentiam est praxis, & à qua cætera dicuntur practica: debere esse operationem voluntatis in agibilibus, & potentiæ exterioris in factibilibus; actus verò intellectus solùm dici practicos, vel quià cadunt sub directione prudentiæ, vel quià ordinantur ad operationem alterius potentiæ: atque ideò non esse ipsam praxim; li-

ret denominentur practici per habitudinem ad praxim al bi existentem. In quo sensu admittitur, & defenditur hæc definitio ab omnibus non solùm Scoti; sed & D. Thomæ discipulis. Et meritò.

Tùm, quia iuxtà commune axioma desumptum ex Aristotel. 3. *de Anima capit.* 10. Et D. Thom. *quæst.* 14. *de veritate art.* 4. *Intellectus extensione fit practicus*, idest, per ordinem ad operationem existentem extrà se, cùm extendi sit extrà se tendere: at fit practicus per habitud nem ad praxim: ergo praxis est extrà intellectum.

Tùm etiàm: quia D. Thom. 1. 2. *quæst.* 57. *art.* 1. docet, quod *Practicum, vel operatiuum, quod diuiditur contrà speculatiuum, sumitur ab opere exteriori, ad quod non habet ordinem habitus speculatiuus; sed tantum ad interiùs opus intellectus*, &c. Sed opus exteriùs, quod condistinguitur ab opere interiori intellectus, nequit non esse opus alterius potentiæ; ergo intellectus dicitur practicus per ordinem ad operationem alterius potentiæ: atqui appellatur practicus per respectum ad praxim; ergo praxis ex mente D. Thomæ est actus alterius potentiæ ab intellectu.

Tùm prætereà: quoniam praxis solùm significat, vel factionem, idest, operationem transeuntem, circà quam versatur ars, quam ex se constat, non esse actum intellectus: vel actionem, id est, operationem immanentem regulis prudentiæ dirigibilem. Sed operatio, cui per se conuenit dirigi per prudentiam, est actus voluntatis, non verò intellectus: siquidem huius operationes non cadunt sub regulis prudentiæ, nisi quatenùs libertatem, & moralitatem à voluntate participant: ergo operatio, quæ per se habet rationem praxis debet extrà intellectum existere.

Tùm denique: quià nulla cognitio dirigens aliam cognitionem est practica; siquidem per actum dirigentem alium actum intellectus non scimus, vt operemur, sed vt sciamus; nemo enim dirigens cognitionem, intendit elicere actum, vt fit: sed vt per illum, sine errore, cognoscat; ergo nullus illorum actuum habet rationem praxis. Probatur consequentia ex Arist. 2. *Metaph. c.* 1. dicente: *Speculatiuæ etenim finis veritas, practicæ autem opus*.

Ad hæc; habitus intellectus, qui in communi sententia sunt practici, vt Medicina, Prudentia, Philosophia moralis, & ars, ad directionem alterius potentiæ ab intellectu principaliter ordinantur; ergo signum est praxim, à qua tales habitus appellantur practici, reperiri per se, & formaliter extrà intellectum; ac proindè nullam cognitionem, rationem praxis sortiri.

29 Ex his sequitur, scientiam practicam esse illam, quæ versatur circà praxim, siuè quæ dirigit operationem existentem extrà intellectum, speculatiuam autem, quæ non exit extrà illum. Vndè differunt in fine; quia speculatiuæ finis est cognitio rei, non vt operetur: sed vt cognoscatur; atque ideò ipsa cognitio habet rationem finis: in practica verò est cognitio rei, non vt cognoscatur: sed vt operetur, & proptereà finis est ipsum opus. Quæ intelligenda sunt, non de fine extrinseco, & operantis, qui potest prò intelligentis arbitrio cognitioni præfigi, & reddit cognitionem speculatiuam, vel practicam solùm secundùm quid; sed de fine intrinseco, & ipsius operis, penès quem scientia speculatiua, & practica simpliciter distinguuntur: nàm illius finis semper est cognitio veritatis; istius verò opus potentiæ non intellectiuæ.

Tandem obseruandum est, praxim, & practicum valdè inter se distingui; nàm praxis, vt vidimus, semper reperitur extra intellectum, practicum verò potest intrinsecè in ipso reperiri. Cuius ratio est, quià practicum est, quod ordinatur ad praxim: plures autem actus, & habitus intellectus dirigunt operationes voluntatis, vel potentiæ exterioris, in quibus praxis propriè reperitur: ac proindè sunt intrinsecè practici.

§. II.

Proponitur vera sententia.

30 Dicendum est primò, Logicam non esse simul, & simpliciter practicam, & speculatiuam. Hæc conclusio est communis inter Thomistas, & probatur: quià habitus inferioris ordinis nequit esse simul, & simpliciter practicus, & speculatiuus: sed Logica est habitus inferioris ordinis, & imperfectior alijs scientijs: ergo non est practica, & speculatiua simul, & simpliciter. Probatur maior: tùm quià vnus, & idem habitus nequit, subordinari principijs essentialitèr diuersis, & inter se non subordinatis; sed habitus practicus inferioris ordinis subordinatur *synderesi*, & habitus speculatiuus, ordinis etiàm inferioris, subordinatur *intellectui*, quæ sunt principia diuersa, & inter se non subordinata; ergo. Tùm etiàm: quià practicum, & speculatiuum sunt differentiæ essentialiter diuidentes scientiam inferioris ordinis, vt colligitur ex D. Thom. 1. *p. q.* 1. *art.* 4. & *ibidem* docet Caietanus; ergò vnus, & idem habitus ordinis inferioris nequit esse simul, & simpliciter practicus, & speculatiuus.

Dices, practicum, & speculatiuum esse differentias essentiales inuicem se excludentes, quandò vnumquodque attingitur adæquatè ab aliqua scientia; secùs verò si inadæquatè respiciatur; vt contingit in Theologia, quæ propter hanc rationem est simpliciter practica, & speculatiua. Et hoc pacto practicum, & speculatiuum possunt simpliciter in Logica reperiri.

Sed contrà: nàm obiecta, quæ secundùm proprias rationes respiciuntur per se, & adæquatè à diuersis habitibus, non possunt, vt obiecta inadæquata, attingi ab alio habitu, nisi attingantur sub alia distincta, & altiori ratione, in qua illæ priores aduneantur: & sic talis habitus debet esse superior, sicut & ratio sub qua attingit obiectum superior est: sed Logica non est habitus superior ad scientias practicas, & speculatiuas, vt constat; ergo nequit attingere in suo obiecto practicum, & speculatiuum, vt rationes inadæquatas, & sub altiori ratione vnitas: ac proindè non potest esse practica, & speculatiua simpliciter. Neque refert instantia Theologiæ: quià hæc est scientia subordinata principijs superioris ordinis: nempè fidei: & excedit habitus purè naturales.

31 Dicendum est secundò, Logicam esse simplicitèr scientiam speculatiuam. Hæc conclusio est communis inter discipulos D. Thom. & Scoti, imò inter Doctores alicuius nominis, vt fatentur Conimbricenses *q.* 4. *proœmiali art.* 1. Estquè expressa D. Thom. 1. 2. *q.* 57. *a.* 3. *ad* 2. & 2. 2. *quæst.* 51. *art.* 2. *ad* 3. & probatur à priori: nàm Logica principaliter ordinatur ad dirigendos actus intellectus; ergo est simpliciter speculatiua. Patet consequentia: quia actus intellectus, vt suprà diximus, sunt simplicitèr speculatio, & non praxis: ergo habitus, qui dirigit illos, erit simpliciter speculatiuus, sicut ille habitus est practicus simpliciter, qui principalitèr ordinatur ad opus, siuè praxim.

Confirmatur: quià habitus practicus diuiditur adæquatè in factiuum, & actiuum, vt docet Arist. 6. *Metaph. cap.* 1. sed Logica non est factiua, cùm non versetur circa actiones externas; nequè actiua: cùm non dirigat actiones, quarum principium est electio, siuè quæ eliciuntur ab appetitu; ergo non est simpliciter practica, sed speculatiua.

Dices,

Dices, quòd etiàm in actibus intellectus, quos dirigit Logica, principium est electio; siquidem liberè fiunt: & ex motione voluntatis; ac proindè Logica erit speculatiua, & practica, cùm attingat opus, cuius principium est electio? ¶ Sed hæc euasio (qua vtitur Vazquez) nullius momenti est; nàm ex illa sequitur, nullum dari habitum speculatiuum; cùm omnis actus intellectus eliciatur de facto ex libera motione voluntatis. Illa ergo propriè dicuntur agibilia, & obiectum scientiæ actiuæ, quorum principium est electio formaliter, & per se; quibus nimirùm per se conuenit procedere ab electione; qualia sunt opera virtutis; de quorum ratione est libertas. Operationibus verò, quas Logica dirigit, conuenit libertas per accidens; nàm eodem modo dirigerentur, siue elicerentur liberè, siuè necessariò.

32 Probatur secundò ista conclusio; nam ideò Mathematicæ in communi sententia sunt scientiæ speculatiuæ simpliciter, licèt construant aliqua opera, v. g. sphæram, vel triangulum: quià in constructione talis operis, non intendunt principaliter opus factum: sed veritatem. Atqui Logica, licèt conficiat syllogismos, & alia instrumenta rationis non operatur, vt operetur: sed vt dirigat intellectum ad rectam cognitionem; ergo est scientia speculatiua simpliciter.

33 Dicendum est tertiò. Logicam esse scientiam practicam, saltem secundùm quid. Probatur ista conclusio; tùm quia Logica in conficiendis instrumentis rationis habet aliqualem similitudinem cum artibus propriè dictis, quibus ratio practici simpliciter conuenit. Tùm quia Logica, quatenùs est ministra aliarum scientiarum, recedit à rigore, quo habitus, qui alijs non subseruiunt, dicuntur speculatiui. Tùm denique, quia hoc docet satis expressè D. Thom. 1. 2. q. 57. art. 2. his verbis. *Etiam in ipsis speculabilibus est aliquid per modum cuiusdam operis, puta constructio syllogismi, aut orationis congruæ, aut opus numerandi, vel mensurandi; & ideò quicumque ad huiusmodi opera rationis habitus speculatiui ordinantur, dicuntur, per quandam similitudinem, artes.*

§. III.

Referuntur opposita sententiæ cum suis argumentis.

34 Contrà primam conclusionem sentiunt Vazquez 1. p. disp. 8. cap. 5. & alij, qui asserunt, Logicam esse simùl practicam, & speculatiuam simpliciter. Et probatur primò hæc opinio, quia Logica contemplatur naturam, & passiones proprij obiecti per resolutionem vsque ad prima principia: qui modus procedendi est proprius scientiæ speculatiuæ: deindè introducit formam v. g. syllogismi in materiam, & conficit instrumenta rationis: quod est proprium scientiæ practicæ: ergo simùl est practica, & speculatiua simpliciter.

Respondetur, quod introductio formæ in materiam, quandò non exit extra intellectum, nequit habere rationem praxis: ac proindè neque habitus illam attingens est propriè practicus. Tùm, quia illa introductio, & compositio tota ordinatur ad veritatis cognitionem. Tùm; quia talis modus operandi, efformando scilicet, definitiones, demonstrationes &c. non ponit in numero cum modo resolutorio proprio scientiæ speculatiuæ; aliàs omnes scientiæ essent simpliciter practicæ: cùm talia instrumenta conficiant: quod est absurdum.

Secundò arguitur: quoniam Logica est ianua, & instrumentum omnium scientiarum, & tam practicas quam speculatiuas dirigit, omnibus enim subministrat modum sciendi; ergo est simpliciter practica, & speculatiua.

Respondetur, negando consequentiam: quià finis Logicæ in directione cuiuslibet scientiæ est cognitio veritatis: & ideò est speculatiua simpliciter, & non practica. Nàm licet ipsius directio ab aliquibus scientiis ordinetur ad opus: hoc tamen de materiali se habet respectu Logicæ: cùm non dirigat scientiam practicam, quià practica; sed quia scientia est.

35 Contrà secundam conclusionem sentiunt Gabr. Greg. & alij antiqui, quos sequuntur nonnulli Moderni, vt Conimbricenses q. 4. *proœmiali art.* 5. & alii, qui defendunt Logicam esse simpliciter, & præcisè scientiam practicam. Quod probant primò; quià Philosophus, 6. *Metaph.* cap. 1. diuidens scientiam speculatiuam in Physicam, Mathematicam, & Metaphysicam, Logicæ mentionem non fecit: ergo Logica non est scientia speculatiua. ¶ Confirmatur primò: quia scientia speculatiua est nobilior scientiis practicis, vt docet Arist. 6. *Metaph, text.* 2. sed Logica ignobilior est illis: cùm habeat obiectum debilissimum, & incertissimum: ergo &c. ¶. Confirmatur secundò; quià scientiæ speculatiuæ non quæruntur propter aliud; sed vt per se honorabiles, vt docet D. Thom. 6. *Ethic. lect.* 6. sed Logica quæritur propter alias scientias: cùm sit via ad illas comparandas: ergo non est speculatiua, sed practica.

Respondetur, Aristotelem in illa diuisione solùm enumerasse partes principales scientiæ speculatiuæ: & ideò non meminit Logicæ: quià licèt sit vera scientia speculatiua, tamen est instrumentum, & ministra cæterarum. ¶ Ad primam confirmationem respondetur dictum Philosophi verificari in scientiis speculatiuis principalibus; non verò in inferioribus, qualis est Logica: nàm cùm hæc, sit omnium ministra, est simpliciter cunctis inferior, licet practicas, secundùm quid, excedat ex parte finis, & in modo speculatiuè procedendi. ¶ Ad secundam confirmationem dicendum est, Logicam, quatenùs speculatiuam, appeti propter se; cùm tradat notitiam plurium veritatum circà ens rationis; simul tamen est appetibilis propter alias scientias: quia est earum instrumentum & ministra. Sicùt finis intermedius, ità quæritur propter alium, vt sit simul appetibilis propter se.

36 Secundò probatur hæc sententia ratione; quià illa scientia est simpliciter practica, quæ habet pro obiecto aliquid operabile ab eo, in quo est talis scientia: sed Logica est huiusmodi, cùm habeat pro obiecto syllogismos, definitiones, & alias secundas intentiones, quæ sunt operabiles: ergo Logica est practica simpliciter.

Ad hoc argumentum satis constat ex dictis: nàm, vt scientia sit practica simpliciter, debet habere pro obiecto aliquid operabile extrà intellectum, & ordinari principaliter ad opus. Hoc autem non conuenit Logicæ: quià instrumenta, quæ conficit, sunt intrà intellectum, & ea construit, vt veritatem melius attingat. Habet tamen, vtcumquè, in eis conficiendis modum practicæ, vt diximus in tertia conclusione.

In fine huius quæstionis obseruandum est, hucusquè dicta intelligenda esse non solum de Logica docente: sed etiam de vtente. Nàm licet vtens declinet à rigore scientiæ, non tamen est simpliciter practica, vel ars. Tùm quià est idem habitus cum docente, quæ est speculatiua simpliciter. Tùm quià versatur circa actus intellectus, qui non sunt praxis; neque intendit vt finem aliquod opus extrà intellectum: sed solam veritatis notitiam.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Logica sit necessaria ad alias scientias.

37 Dupliciter potest aliquid dici necessarium; primò absolutè, & ex habitudine terminorum, qualiter necessarium est Deum esse, & definitur à Philosoph. 5. *Metaph. cap.* 5. *quod aliter se habere non potest*. Secundò ex suppositione, siuè ex causa, à qua habet determinationem ad esse; & hoc necessarium diuiditur iuxtà numerum causarum. Sed ad præsentis difficultatis decisionem sufficit notitia necessarii ex fine: illius scilicèt, quod ad finis assecutionem desideratur. Et hoc est duplex; aliud est necessarium simpliciter, sine quo finis haberi non potest: vti cibus est necessarius ad vitam. Aliud dicitur necessarium ad melius esse; sinè quo scilicet potest absolutè obtineri finis; sed non ità conuenienter; sicut equus requiritur ad iter agendum. Et hoc necessarium solet appellari vtile.

Supponimus ergo, Logicam esse necessariam saltem ad melius esse, vt aliæ scientiæ acquirantur; siquidem præstat modi sciendi notitiam, quæ nequit non esse vtilis ad acquisitionem scientiarum. Vndè solùm dubitamus, an sit necessaria simpliciter ad istum finem? Prò quo adhuc obseruandum est, scientiam posse sumi dupliciter; primò in statu imperfecto, quo pacto solùm importat euidentem notitiam vnius, vel alterius conclusionis. Secundò in statu perfecto, & sic dicit, & includit notitiam omnium conclusionum circà proprium obiectum, certam, expeditam, & resolubilem vsquè ad prima principia. Et in vtroque sensu examinanda est difficultas.

§. I.

Communior sententia defenditur.

38 Dicendum est, Logicam non esse necessariam simpliciter ad acquirendas scientias sub statu imperfecto; esse verò simpliciter necessariam, vt in statu perfecto comparentur. Hæc conclusio est communior inter Dialecticos, illamquè defendunt plures, quos refert Gallego in præsenti, *controu.* 1. & probatur quò ad primam partem: nàm ad acquirendam scientiam, quoad substantiam, & in statu imperfecto, sufficit conficere vnicam demonstrationem, vt docet D. Th. 1. 2. *q.* 51. *art.* 3. sed ad conficiendam vnam, vel alteram demonstrationem in materia aliarum scientiarum, non est simpliciter necessaria Logica; ergo nequè vt acquirantur scientiæ in statu imperfecto. Probatur minor: quià in scientiis sunt aliquæ conclusiones proximè innitentes primis principiis; lumine naturali notis; ergo cùm intellectus sit de se discursiuus, & Logica naturali præditus, poterit tales conclusiones, ex illis principiis, inferre, sinè adminiculo Logicæ artificialis; ac proindè conficere vnam, vel alteram demonstrationem. Probatur hæc consequentia: nàm ad deducendas conclusiones adeò euidenter sufficit intellectus; & ad cognoscendam bonitatem illationis sic per se manifestæ, satis est Logica naturalis, vt conuincitur ex modo inuentionis Logicæ acquisitæ.

39 Secunda pars conclusionis sic probatur: quià, vt aliquis habeat scientiam in statu perfecto, necesse est, vt omnibus illius conclusionibus firmum, & certum præbeat assensum, easquè sciat resoluere vsquè ad prima principia: sed ad hoc est simplicitèr necessaria Logica ergo omninò requiritur Logica ad scientias comparandas sub statu perfecto. Probatur minor; nàm firmitas, & certitudo assensus, qui habetur per resolutionem vsquè ad prima principia, necessariò petit euidentem notitiam materiæ, & formæ syllogismi, bonitatis illationum, necessitatis, & conditionis præmissarum, & deceptionum, quæ circà illas solent contingere; sed hæc omnia haberi non possunt sine Logica; cùm ista sit profundior doctrina ipsius; ergo &c.

Confirmatur experientia; nàm veteres Philosophi, ob imperitiam Dialecticæ, in plures errores prolapsi sunt, vt testatur Arist. 1. *Post. cap.* 3. & nullus hucusquè, sine lumine Logicæ, in aliqua disciplina consummatus enasit; cùm tamen illius ductu, absque alio magisterio, multi comparauerint scientias: nàm, vt omittamus alios, magnum Ecclesiæ lumen Augustinum solius Dialecticæ fuisse discipulum, asserit Posidonius.

Nec refert, si dicas, plures absque Logicæ habitu in scientijs Mathematicis instructos insignitèr inueniri. § Nàm respondetur, quòd licet ij studio Logicæ non vacauerint ex professò, minimè carent Logica; sed illam simul cum Mathematicis acquisierunt; sicùt virtutes morales comparari nequeunt, quin simul comparetur prudentia, cuius ductu, in proprijs actibus diriguntur.

§. II.

Satisfit argumentis contrariorum.

40 Aduersùs primam partem conclusionis sentiunt Arauxo. 2. *Metaph. q.* 3. *art.* 3. & Gallego in præsenti controu. 1. asserentes Logicam esse simplicitèr necessariam ad acquirendas scientias, etiàm imperfectè. Quorum fundamentum est, quoniam scientia in statu imperfecto est verè scientia; sed non potest dari vera scientia sinè Logica; ergo nequè scientia in statu imperfecto. Probatur minor: quià nequit dari vera scientia alicuius conclusionis, nisi quis sciat eàm resoluere vsquè ad prima principia: sed hæc resolutio non potest fieri absquè Logica: cùm hæc doctrina sit ex difficilioribus, quæ traduntur in illa; ergo. § Et confirmatur; quia Logica se habet, vt causa vniuersalis ad actus aliarum scientiarum: ergo concurrere debet ad omnes illarum actus etsi imperfectos. Probatur consequentia; nàm ideò sol concurrit ad generationem animalium, non solùm perfectorum; sed etiam imperfectorum; quia influit per modum causæ vniuersalis.

Ad argumentum respondetur, negando minorem, ad cuius probationem dicendum est, sufficere Logicam naturalem ad conficiendam aliquam demonstrationem facilem, & ad cognoscendam bonitatem illationis. Quoniam sunt nonnullæ conclusiones primis principijs, ità immediatæ, & ex illis adeò euidenter deducibiles; vt facilè sit, cuilibet Logicæ artificialis ignaro, eas vsquè ad prima principia resoluere, & bonitatem consequentiæ in actu exercito percipere: quod est virtualiter scire resoluere. Nequè amplius requiritur ad istos actus scientificos imperfectos: nàm vt docet Arist. 9. *Metaph. text.* 7. *Addijcens artem operatur actionem artis sine arte.*

Ad confirmationem respondetur, antecedens intellectum de causa vniuersali, cuius influxus insupplebilis est, solùm verificari in Logica naturali, quæ ab habitu primorum principiorum non distinguitur; secùs autèm de Logica artificiali. Hæc enim, licèt requiratur ad actus perfectos scientiarum; non tamen ad imperfectos;

vt

vt constat etiàm in aliis artibus, quarum influxus licèt sit necessarius ad artefacta omninò perfectè exequenda: potest nihilominùs aliquod artefactum imperfectè, & cum difficultate sinè arte acquisita fieri.

41 Secunda opinio secundæ partis nostræ conclusionis contraria; negat Logicam esse simpliciter necessariam ad scientias, etiam sub statu perfecto, consequendas: quam defendunt plures Moderni, vt testatur Masius hic *sect.* 2. *q.* 3. Et probant primò; quia habitus naturalis non datur ad simpliciter; sed ad melius posse: sed Logica est habitus naturalis, vt constat: ergo non requiritur ad hoc, quod intellectus possit simpliciter scientias in statu perfecto comparare, sed solùm, vt melius, & faciliùs eas acquirat in prædicto statu.

Respondetur ex eo, quod habitus naturalis non det posse simpliciter, dumtaxat inferri, ipsum non esse necessarium ad substantiam operis; cum quo tamen stat omninò requiri ad modum operis, vt putà ad facilitatem, & delectationem, & promptitudinem in operando. Hæc enim indispensabilitèr petunt habitum. Vndè, cum extensio ad omnes conclusiones, habeat rationem modi, respectu habitus quò ad substantiam: potest talis extensio necessariò petere concursum Logicæ artificialis, & de facto illum petit, propter fundamentum suprà adductum, tametsi Logica non sit necessaria simpliciter ad scientias, quò ad substantiam præcisè, & in statu imperfecto.

Arguitur secundò: nam potest habitus Philosophiæ v. g. sinè Logica acquiri vtcumque per vnam demonstrationem, vt suprà diximus: ergo poterit, sinè ministerio Logicæ, acquiri quoad omnes conclusiones, proindèque in statu perfecto. Probatur consequentia: nàm ideò dependeret à Logica, quià hæc præstat facilitatem ad definiendum, diuidendum, & argumentandum: sed quilibet habitus intrà propriam materiam est facilitas ad hæc opera: ergo semel acquisitus quò ad vnam conclusionem, poterit acquiri quòad omnes.

Respondetur, Philosophiam, & alias scientias attingere definitiones, diuisiones, & demonstrationes circà proprium obiectum solùm executiuè; minimè tamen cognoscere ipsam naturam definitionis, diuisionis &c. cùm istud munus sit proprium Logicæ, & propterea concurrit ipsa directiuè cum aliis scientiis ad conficienda talia artefacta. Quarè licèt Philosophia semel acquisita disponat ad perfectam sui acquisitionem, nequit tamèn eam obtinere sinè ope Logicæ. Nàm plus requiritur ad attingendum sinè defectu omnes conclusiones circà aliquod obiectum, quarum connexio cum primis principiis non ità apparet; quàm ad eliciendam vnam, vel alteram proximè innitentem eisdem principiis, & cuius necessitas, vel ex ipsis terminis constat.

QVÆSTIO VIII.

De fine, & partitione Logicæ.


42 AD difficultatis resolutionem obseruandum est, finem scientiæ esse id, *cuius gratia cætera traduntur in scientia*. Et est duplex, proximus scilicet, & remotus: *proximus* est, quem scientia medijs suis actibus immediatè attingit, *remotus* verò est, ad quem remotè, & mediatè ordinatur.


Deindè sciendum est, duo esse genera artium: quædam enim dicuntur ancillæ, eo quod altiori arti ministrant, vt frenefactoria, quæ ministrat frenum militari. Aliæ reginæ dicuntur, quia vtuntur instrumentis, quæ inferiores artes ministrant, qualiter se habet militaris respectù frenefactiuæ. Inter quas hæc datur differentia, quod reginæ, vt tales, vnum dumtaxat sibi vindicant finem; ancillæ verò duplicem respiciunt; alterum intrà ipsam artem, qui est instrumentum ab ea confectum; alterum verò extrà artem, nimirùm finem superioris, & reginæ. Nàm cùm inferior ars à superiori moueatur debet præter finem sibi proprium, finem superioris intendere. Vndè licet militaris solam victoriam respiciat; frenefactoria tamen intendit, & frenum, & victoriam.

43 His suppositis, dicendum est, Logicam duplicem finem habere, nimirùm proximum, & remotum. Prior est notitia sui obiecti, vel obiectum, vt cognitum: posterior autèm complectitur fines aliarum scientiarum. Ratio est: quià licet Logica sit vera scientia speculatiua, est nihilòminus instrumentum, & ministra aliarum scientiarum: ergo debet illi duplex finis assignari, iuxtà ea, quæ proximè diximus. Ex quo vlterius fit, quod cùm Logica non sit ministra huius potiùs, quam alterius scientiæ, sed omnium; debet habere prò fine remoto id, ad quod omnes ordinantur: Vndè, cùm finis omnium scientiarum sit perficere, & dirigere intellectum circà suum obiectum, consequens est, vt finis remotus Logicæ sit dirigere intellectum, vt sine errore in omni materia procedat.

Obseruandum tamen est discrimen, quod inter Logicam, & alias artes ancillares intercedit. Istæ enim ministrant superioribus efficiendo instrumenta; & ideo propriè appellantur ancillæ, quià talis modus obsequendi est proprius seruorum. Cæterùm Logica, cùm non habeat vsum in materia aliarum scientiarum, non conficit illarum definitiones, & instrumenta, sed docet qualiter efficienda sint. In quo recedit à modo ancillæ; quià non ministrat operando, sed consiliando. Quapropter melius, scientiarum pædagogus, & magistra, quam ancilla, diceretur. Et hucusquè dicta de Logica tàm docente, quàm vtente proportionabiliter intelligenda sunt.

Diuisio autem Logicæ (vt secundam partem quæstionis explicemus,) sumi debet ab illius obiecto formali, scilicet ex secundis intentionibus veritatis ostensiuis. Vndè Logica partiri debet iuxta illarum diuisionem; quæ ex nullo capite aptiùs desumetur, quàm ex ipsis actibus intellectus, per quos huiusmodi intentiones resultant, & qui eisdem intentionibus diriguntur. Et sic, iuxtà numerum operationum intellectus, tota Logica diuiditur in tres partes generales. In *prima* explicantur intentiones, quæ simplicem apprehensionem dirigunt, de quibus agit Porphyrius in Isagoge, & Aristoteles in prædicamentis. In *secunda* tractatur de intentionibus, quibus dirigitur iudicium, quarum naturam explicat Aristoteles in libris Perihermenias. In *tertia* tandem sermo est de intentionibus dirigentibus discursum, de quibus disserit Philosophus *in libris Priorum, & Posteriorum*, & reliquis totius Logicæ.





DIS-

DISPVTATIO II.

DE ENTE RATIONIS.

LICET ad Logicam non pertineat de ente rationis in communi disputare, sed hoc sit Metaphysici instituti: quia tamen absque aliquali eius notitia, nequit obiecti Logicæ haberi perfecta cognitio; idcircò præsentem instituimus disputationem, eam mutuantes à Metaphysica, cuius est propria.

QVÆSTIO I.

An detur ens rationis?

1 PRo tituli intelligentia sciendum est ex D. Thom. *opuscul.* 48. *tract.* 2. *cap.* 1. quod ens rationis dicitur multipliciter. Primò *effectiuè*, quo pacto omnes effectus intellectus, seù rationis appellantur entia rationis. Secundò *subiectiuè*, sicut habitus, & species, quæ sunt in intellectu, vt in subiecto. Tertiò *obiectiuè*, idest, per modum obiecti cogniti, sicut sunt omnes res, quæ obijciuntur intellectui. Et rursùs, vel istæ habent aliquod esse præter ipsum cognosci, & ità sunt entia realia; vel non habent aliud esse, quam obijci: & sic entia rationis dicuntur. Et de his procedit præsens difficultas.

Dicendum est, possibile esse ens rationis, & aliquandò existere. Conclusio ista est expressa Philosophi 4. *Metaphys. text.* 13. & 14. Et D. Dhom. 1. *part. quæst.* 28. *a.* 1. quos sequuntur communiter Doctores. Et probatur primò experientia: nàm sæpè cognoscimus priuationes, & negationes: sed non proût sunt in se, quià sic sunt nihil: ergo cognoscimus eas, ac si essent aliquid: ergo tunc ea, quæ non habent esse à parte rei, habent esse objectiuè in intellectu, ac proindè fiunt entia rationis.

Secundò: quià quando intellectus apprehendit id, quod non est, ac si esset; fingit aliquid, quod solum habet esse obiectiuè in illo: idquè vocamus ens rationis: sed intellectus frequenter apprehendit id, quod non est, ac si esset: ergo facit ens rationis. Probatur minor: nam sæpè apprehendit ordinem, vbi nullus ordo datur, vt cùm concipit relationem Dei ad creaturas, & animalis ad species: sæpè etiàm conjungit ea, quæ à parte rei sunt distincta: ergo.

Confirmatur: quoniam in hac propositionè. *Animal est genus*, quam omnes Dialectici admittunt, aliquod prędicatum attribuitur subiecto: sed non aliquod esse reale, vt constat: ergo aliquid conueniens subiecto per intellectum, quod appellamus ens rationis.

3 Contrà communem istam sententiam sentiunt Vallesl. *quæst.* 1. *Philosophiæ*: & alij relati ab Arauxo *lib.* 3. *Metaphys. quæst.* 1. *art.* 2. Quorum opinio probatur primò: nam ens rationis nequit habere causam efficientem: ergo est impossibile. Consequentia patet, & probatur antecedens: quia si aliqua causa efficiens entis rationis posset dari, maximè intellectus: at intellectus, cum sit causa realis, influens actione reali, necessariò terminatur ad effectum realem, & nullo modo ad ens rationis: ergo ens rationis nequit habere causam efficientem.

Respondetur, quod ens rationis non potest habere causam propriè, & realiter influentem in ipsum; cùm solum habeat esse apparens, & secundum quid. Cæterum sicut est vmbra, & similitudo entis realis; ita dicitur fieri ad instar illius: quia nimirùm ex actione reali intellectus terminata ad aliquem effectum realem v. g. ad verbum mentale; attingente tamen obiectum aliter, ac est in se, resultat indirectè illud esse fictum, quod dicitur ens rationis. Et licet effectus primarius, & immediatus causæ realis debeat esse realis, propter proportionem inter vtrumque, hoc tamen non est necessarium in effectu secundariò, & indirectè subsecuto, vt constat in priuationibus, quæ, cùm entia non sint, inducuntur per actiones reales, v. g. cæcitas per percussionem.

4 Secundò arguitur: quia ens rationis antequam cognoscatur non est ens: ergo antequam cognoscatur non est cognoscibile. Patet consequentia; quia cognoscibilitas est passio entis. Ex quo vlterius sequitur ens rationis nunquam cognosci. Nàm quomodò cognoscetur id, quod non est cognoscibile, priusquam cognoscatur? § Et confirmatur; nàm quidquid attingitur per intellectum possibilem, præsupponitur factum intelligibile per intellectum agentem; sed ens rationis antequam actu cognoscatur, non præsupponitur cognoscibile, vt probatum est; ergo nequit terminare cognitionem, & habere esse per illam.

Respondetur, concedendo antecedens; ex quo tamen non infertur, quod ens rationis sit absolutè incognoscibile; sed solùm quòd non sit in se ipso prius cognoscibile, quam cognoscatur in actu. Quod ideò est; quià actu cognosci, est de eius essentia; & quandò actus est de essentia entis, possibilitas non præcedit actum in eodem ente. Sicùt quia existere est de essentia Dei; ideò in eo possibilitas non præcedit existentiam.

Ad confirmationem, respondetur, quòd intellectus cognoscitivus non comparatur ad ens rationis per modum passi, aut passibilis; sed potius per modum agentis; siquidem illud producit, & facit simul actu cognoscibile, & cognitum. Et ideò ens rationis non supponitur actioni intellectus possibilis; nequè per se, & ratione sui petit operationem intellectus agentis; sed propter, illa obiecta realia, ad quorum similitudinem cognoscitur.

Tertiò; arguitur, quià si ens rationis esset possibile, posset dari genus sine speciebus, essentia sine passionibus, & passiones absque essentia; quod est absurdum; ergo. Probatur sequela; nam si ens rationis esset possibile, esse eius esset cognosci; sed posset cognosci genus alicuius entis rationis sinè speciebus, essentia sinè passionibus, & passiones sinè essentia, vt vniuersale in communi sine suis inferioribus, vniuersalitas absquè prædicabilitate, & prædicabilitas absque vniuersalitate; ergo posset dari genus sine speciebus, &c.

Respondetur, concedendo sequelam; quià sicut in entibus realibus potest cognosci genus sinè speciebus,

&

& essentia sine passionibus, & è contra; eo quod inferiora non sunt de essentia superiorum; neque essentia est de conceptu passionis, & è contra; ità in entibus rationis potest vnum esse sine alio, quia in eis idem est esse, & cognosci, cùm recipiant esse per cognitionem. Sed quia superiora sunt de essentia inferiorum; ideò repugnat in entibus realibus, quod cognoscantur ista sine illis; & in entibus rationis, quod producantur, & sint; ac proindè licet possit dari genus sine specie; minimè tamen species absque genere.

QVÆSTIO II.

Vtrum essentia entis rationis consistat in denominatione extrinseca, vel in aliquo esse ficto.

6 POstquam possibilitatem entis rationis ostendimus, superest, vt illius essentiam disquiramus. Ad cuius notitiam obseruandum est, quod *denominatio*, & *denominari* propriè loquendo non pertinent ad ordinem rerum, sed potiùs ad ordinem nominum; siquidem res, vt significantur nominibus, sunt, quæ propriè dicuntur denominari, vt constat ex definitione denominatiuorum, quam adducit Aristot. *in antepradicam*. *Denominatiua sunt, qua ab aliquo nominis appellationem habent, solo differentia casu:* vt Grammaticus à Grammatica. Et denominatio sic sumpta est ens rationis, cùm importet significationem, vel deriuationem nominis, quæ conueniunt vocibus per intellectum. Cæterùm præsens difficultas non procedit circà denominationem sic sumptam; sed materialiter acceptam, & vt pertinet ad ordinem rerum: quo pacto paries dicitur, & est albus ab albedine.

Hæc autem denominatio est duplex: alia intrinseca, quæ scilicet, sumitur à forma existente in subiecto denominato; sicut animal denominatur videns à visione existente in illo. Alia est extrinseca, quæ sumitur à forma existente in alio subjecto; sicut paries dicitur visus à visione recepta in animali. Vndè fit quòd eadem forma denominet intrinsecè subiectum, quod afficit, & extrinsecè terminum, quem respicit. Et ideò quandò forma est realis, ponit aliquid reale in subiecto, scilicet seipsam; in termino autem nihil reale ponit; licet illum denominet realiter talem. Quæ omnia constant exemplo adducto.

§. I.

Duplici conclusione explicatur vera sententia.

7 DIcendum est primò, essentiam entis rationis non consistere in aliqua denominatione extrinseca: vel (quod idem est) nullam denominationem extrinsecam prouenientem à forma reali esse formaliter ens rationis. Hęc conclusio est satis communis inter Doctores, & probatur: quia ens rationis est, quod solùm habet esse obiectiuè in intellectu, & per operationem illius: at huiusmodi denominationes extrinsecę dantur, non solùm ante intellectum, verùm etsi intellectus non esset possibilis: ergo non sunt entia rationis. Minor probatur: quia independenter ab omni operatione intellectus Deus dicitur creator, & paries, quando videtur, denominatur visus; ergo, &c.

Confirmatur: nàm si aliqua denominatio extrinseca esset ens rationis, maximè illa, qua objectum denominatur cognitum aliter ac est in se: sed neque ista denominatio est ens rationis: ergo nulla. Minor probatur: nàm contrà essentiam entis rationis est, quod existat à parte rei: sed denominatio extrinseca objecti cogniti aliter ac est in se, verè datur à parte rei: siquidem animal v. g. cognosci cum ordine ad species, quem realiter non habet, nihil aliud est, quàm cognitionem à parte rei terminari tali modo ad objectum: ergo denominatio cogniti aliter ac est in se, non est ens rationis.

8 Neque ex eò, quòd animal sit realiter cognitum potest inferri, quòd ipsum cognosci, & attingi sit aliquid reale in obiecto. Quià ad illud primum satis est, quod animal sit materia circà quam versatur talis cognitio: & hoc verificatur à parte rei. Ad secundùm autem requirebatur esse materiam in qua, & subjectum ipsius cognitionis; quod tamen illi non conuenit Ex quo fit, quod prius denominetur objectum cognitum aliter, ac est in se, quam quod resultet ens rationis in objecto. Quandò enim animal cognoscitur cum ordine ad inferiora, licet sit, & denominetur genus à relatione rationis; nihilominùs neque est, neque denominatur cognitum à relatione; sed à cognitione reali, qua intellectus illud, cum tali ordine, attingit.

9 Dicendum est secundò, essentiam entis rationis consistere in entitate ficta ad modum formæ intrinsecæ objecta denominante: v. g. quandò intellectus cognoscit animal cum ordine ad inferiora, resultat ex huiusmodi cognitione ordo in animali, qui cùm illi non conueniat à parte rei; sed provt objicitur intellectui, est ens rationis. Docent hanc conclusionem Philosoph. 6. *Metaph. text.* 8, & D.Thom. *opusc.* 52. *cap.* 1. vbi ait: *Tunc effici ens rationis, quandò intellectus nititur apprehendere, quod non est, & ideò fingit illud, ac si ens esset.* Quos sequuntur communiter Dialectici. Probatur conclusio ex dictis: quoniam ens rationis nequit consistere in aliqua denominatione extrinseca prouenìente à forma reali: ergo consistit in forma intrinseca ficta ab intellectu. Patet consequentia: nàm aliàs ens rationis esset impossibile.

Deindè suadetur conclusio: nàm secundæ intentiones Logicales, quæ sunt relationes rationis, necessariò expostulant aliquod esse fictum, distinctum à denominatione extrinseca cogniti: ergo idem dicendum est de aliis entibus rationis. Consequentia constat à paritate, & antecedens ostenditur: quià denominatio extrinseca cogniti, solùm importat ordinem ad formam realem, à qua sumitur, scilicet ad cognitionem: imò potius est ipsa forma relata ad objectum: at secunda intentio, vel relatio rationis est ordo objecti cogniti, non quidem ad cognitionem; sed ad suum correlatiuum v. g. animalis ad hominem, vel equum: ergo tales relationes petunt esse fictum distinctum à denominatione extrinseca, & tali esse ficto, & quasi intrinseco consistere debent.

Ex hucusque dictis colligi potest definitio entis rationis, cuius essentiam sic describunt Commentator 6. *Metaph. Comment.* 3. *ens rationis est, quod solùm habet esse obiectiuè in intellectu*, & D. Th. 1. *p. q.* 16. *ad* 2. *Ens rationis est, quod cùm non sit in rerum natura, accipitur, vt ens in ratione.* Vndè vlterius sequitur, quòd cùm denominatio extrinseca nihil ponat in re denominata, si ab intellectu apprehendatur, vt aliquid in ea existens, accipiet esse objectiue in intellectu, ac proindè omnis denominatio extrinseca est fundamentaliter ens rationis.

Res-

§. II.

Respondetur argumentis contrarijs.

10 ALiqui (de quorum numero videntur Durandus, & Soto) opinantur denominationes extrinsecas, & præcipuè eas, quæ proueniunt ab intellectu cognoscente objectum aliter, ac est in se, esse formaliter entia rationis. Quæ sententia suadetur primò: quia Deus denominatur in tempore creator à sola relatione rationis: siquidem hoc nomen creator importat relationem ad creaturas, quæ nequit esse realis: sed denominatione extrinseca: ergo hæc est ens rationis.

Respondetur, negando majorem: Deus enim non dicitur creator à relatione, quam in eo apprehendimus; sed à relatione creaturarum, quæ ad ipsum terminatur, ante omnem operationem intellectus. Et ideò nomen creator non significat prò formali relationem rationis ad creaturas, sed substantiam Dei, quatenùs terminat realiter relationem creaturarum ad se. Præterquam quod Deus dicitur potissimè creator ab actu, quo produxit creaturas.

11 Secundò arguitur: quià denominatio extrinseca cogniti solùm habet esse objectiuè in intellectu: ergo est ens rationis. Probatur antecedens: nàm esse cognitum solùm est intrà intellectum: sed non habet esse subjectiuè, aut effectiuè in eo: ergo tantùm objectiuè.

Respondetur, negando antecedens: quià esse cognitum potiùs est subjectiuè in intellectu, cum sit ipsa cognitio attingens objectum, & in intellectu recepta. Vndè per actum, à quo objectum denominatur cognitum, adhuc non attingitur illud esse cognitum: ac proindè neque habet esse objectiuè in intellectu; sed requiritur nouus actus attingens esse cognitum, vt aliquid existens in objecto. Et tunc denominatio accipit esse objectiuè, & fit ens rationis.

12 Tertiò tandem; quia ens rationis est, cuius totum esse est objici intellectui, & ab illo attingi; sed denominatio extrinseca cogniti aliter ac est in se, est huiusmodi; siquidem est ipsa passiua attingentia objecti ab intellectu, & objectum provt sic nihil aliud habet, quam objici; ergo ad minus talis denominatio est ens rationis.

Respondetur, essentiam entis rationis non consistere in objici, vel cognosci passiuè, sed in esse ficto, quod per cognitionem resultat, vt suprà diximus. Vnde quando dicitur, quod ens rationis est, cuius totum esse est objici, sensus non est formalis; sed causalis. Denotatur enim, quod licèt objici, & attingi sint à parte rei; præstant nihilominùs causam, & occasionem essendi enti rationis; quatenùs ex eo, quod res cognoscantur aliter ac sunt in se, resultat in illis quoddam esse fictum; in quo, & non in passiua attingentia objecti, consistit essentia entis rationis.

QVÆSTIO III.

Per quam potentiam, & actum fiat ens rationis?

NOn examinamus, quæ sit causa finalis entis rationis; supponimus enim, vel esse vtilitatem, quæ intellectui prouenit ex illorum formatione; cùm plura deseruiant ad res melius cognoscendas; vel esse delectationem, quam in formandis illis pro libito capimus. Et ideò solùm procedit difficultas de causa efficiente entis rationis, quam etiam supponimus non posse propriè, & rigorosè influere in illud juxtà *suprà* dicta *q.* 1.

§. I.

Resoluitur principalis difficultas.

13 DIcendum est primò, solum intellectum posse producere ens rationis. Assertio ista desumitur ex Philosoph. 6. *Metaph. text.* 8. *D.* Th. 1. *p. q.* 3. *art.* 4. *ad* 2. & defenditur communiter à Doctoribus. Quam, vt ratione efficaci, probemus, priùs animaduertendum est, quòd cùm intellectus sit potentia spiritualis, & nulli organo affixa, potest optimè suprà se ipsum reflectere. Quod præstat non solùm, quandò distincto actu reflectitur suprà suos actus eos cognoscendo; quæ est reflexio propria; verùm etiàm in singulis actibus; quatenùs per eosdem aduertit ad suum cognoscere, & effectum cognitionis. Ad eum planè modum, quo in quolibet actu voluntatis datur proportionalis modus reflexionis, in quantum dùm eligit medium, eligit se eligere, & vtitur se ipsa ad eligendum. Hæc autem reflexio nullatenùs conuenit sensibus; cùm sint potentiæ organo affixæ. Et ratio à priori huius differentiæ est; quòd objectum intellectus est ens in communi, cuius latitudo comprehendit ipsum intellectum, & actus eius; ac proindè potest intellectus se, & suos actus attingere, tàm reflexione propria, quàm minùs rigorosa. Cæterùm objectum cuiuslibet sensus est determinata species entis realis, sub qua non continetur, neque ipse sensus, neque actus, vel effectus illius, vt constat in colore, qui est objectum visus, & sub quo visus, & actus eius non comprehenduntur. Quapropter visus attingens colores nullatenùs videt se, aut proprios actus; sed omni prorsùs reflexione caret.

His suppositis, probatur conclusio ratione: quià ens rationis solùm potest produci à potentia potente reflectere suprà suos actus, & effectus, illos cognoscendo: sed hoc soli intellectui conuenit: ergo solus intellectus efficit ens rationis. Consequentia est legitima, & minor patet ex prænotatis: major autem sic probatur: nàm ens rationis solùm habet esse, quandò cognoscitur, siquidem esse eius est esse objectiuum: ergo respectu eiusdem actus simul est effectus, & objectum: sed hoc fieri nequit nisi talis actus sit reflexus aliquo modo, & aduertat ad effectum: ergo ens rationis solum potest fieri à potentia reflexiua.

14 Deindè probatur conclusio alia ratione: quæ vt melius percipiatur, notandum est, quod duobus modis potest explicari, quàliter ens rationis cognoscatur. Primò dicendo, quod ex specie impressa, & expressa entis realis fit alia tertia species, quæ per se primò repræsentet ens rationis, siuè esse fictum, cum habitudine tamen ad ens reale. Secundò, si dicamus, quòd ens rationis cognoscitur per speciem entis realis, quæ primariò repræsentet ens reale, & secundariò ens rationis: ad eum modum, quo Deus cognoscitur per species creaturarum, & priuatio per speciem formæ. Et vterque modus dicendi est probabilis in via D. Tho. Videatur Sanchez *lib.* 1. *Logica qu.* 19. *concl.* 6.

Hinc iterùm probatur assertio: quia ens rationis solùm potest cognosci; ac proindè fieri ab illa potentia, cuius species repræsentauerint primariò, vel secundariò esse fictum: sed nullius sensus species valent repræsentare vllo modo esse fictum: ergo nulla potentia præter intellectum potest efficere ens rationis. Probatur minor: quia nulla species potest repræsentare suæ potentiæ ali-

quid,

quid, quod sit extrà objectum adæquatum illius: sed esse fictum est extrà objectum adæquatum cuiuscumque sensus: ergo nulla species sensus potest repræsentare esse fictum. Probatur minor; nàm objectum sensus est determinata aliqua species entis realis, & aliquid realiter sensibile; & ideò licèt ex speciebus montis, & auri formetur tertia species repræsentatiua montis aurei; illa tamen non pertingit ad repræsentandum aliquod esse fictum; aliàs limites proprij objecti egrederetur; Objectum autem intellectus est ens in tota sua latitudine, sub quo, tàm ens verum, quàm ens fictum continetur; & ideò species illius possunt repræsentare esse fictum sub similitudine entis realis.

15 Licèt in ijs rationibus voluntatis expressè non meminerimus; ex illis tamen facilè colligi potest, quod sit inepta ad formandum entia rationis; & insuper hoc ostenditur specialiter. Quia esse entis rationis est esse purè objectiuum; ergo sola illa potentia potest producere ens rationis, quæ, objectis à se attactis, esse objectiuum communicat; sed voluntas nequit causare aliquod esse obiectiuum; ergo neque efficere ens rationis. Minor probatur explicando discrimen inter intellectum, & voluntatem; nàm ille trahit ad se res; ista verò fertur ad ipsas, vt docet D. Th. 1. p. q. 16. art. 1. Ex quo fit, quod intellectus communicet rebus cognitis aliquod esse, per quod constituantur intra ipsum, & sic causat esse obiectiuum. At voluntas, cùm potiùs exeat à se, non attingit obiecta secundùm aliquod esse obiectiuum; ac proindè neque illud efformat; sed tendit ad res secundùm bonitatem, quam habent in se ipsis.

§. II.

Explicatur per quos actus resultet ens rationis?

16 Dicendum est secundò, per quemlibet actum intellectus posse fieri ens rationis. Conclusio est communis, & suadetur discurrendo per singulas operationes: nàm ens rationis tunc fit, quandò id, quod non est, concipitur, ac si esset: sed per primam operationem intellectus apprehendimus priuationes, & negationes ad modum entis realis, etiàm secluso judicio, & discursu: ergo per primam operationem intellectus fit ens rationis, quod amplius constabit *disp. 3. q. 6.* vbi ostendemus vniuersalitatem, & similes intentiones resultare per hanc operationem.

De secunda etiàm operatione idem probatur: quià relatio prædicati ad subjectum est relatio rationis: sed hæc resultat ex iudicio, quod est secunda intellectus operatio: ergo &c. Maior constat: quià prædicatum, vt tale, dicit relationem, siuè habitudinem formæ respectu subiecti: at prædicatum multoties à parte rei non habet rationem formæ: ergo talis relatio non est realis, sed rationis. Minor autem primi Syllogismi suadetur: quià prædicatum, vt distinguitur à prædicabili, & dicit actum eius, non datur antè iudicium. Tùm quià per apprehensionem non cognoscitur animal, vt actu prædicatum; sed vt prædicabile. Tùm etiam, quià non datur prædicatum absque prædicatione: sed prædicatio pertinet ad secundam operationem: ergo relatio, quæ resultat in animali, ex eo, quod fiat forma, & prædicatum respectu hominis, non producitur per apprehensionem; sed per iudicium, quod prædicabilia reddit prædicata.

Idem argumentum potest applicari tertiæ operationi intellectus, scilicet, discursui: nàm licèt antecedens, vt illativum, & consequens, vt inferibile possint attingi per apprehensionem, vel iudicium; antecedens tamen, vt actu inferens, & consequens, vt actu illatum cognosci nequeunt, nisi per discursum: ergo quamuis relatio inter antecedens, vt illativum, & consequens, vt inferibile resultet per alias operationes; relatio tamen inter antecedens, vt inferens, & consequens, vt illatum solùm per discursum producitur. Nulla igitur est operatio intellectus, quæ non efformet aliqua entia rationis.

17 Neque refert, si obiicias, quod relatio, quam dicit prædicatum ad subiectum, & consequens ad antecedens est quid simplex, & incomplexum: ergo potest cognosci per apprehensionem: ac proindè per illam, & non per alias operationes fient hæc entia rationis. ¶ Nàm respondetur, tales relationes posse considerari quasi in abstracto, & in actu signato: & sic sunt quid incomplexum, & valent cognosci per apprehensionem. Vel possunt considerari, quasi in concreto, & sub exercitio referendi: & hac ratione sunt quid complexum, & nequeunt cognosci, nisi per iudicium, & discursum.

Ex dictis in hac quæstione infertur, quod ad actum, quo cognoscitur, & fit ens rationis præcedit semper aliqua cognitio entis realis: cùm illud cognoscatur, & fiat ad instar istius. Et ideò si actus reflexus sumatur pro eo, qui quomodolibet supponit alium: sic omne ens rationis per actum reflexum fit. Ceterùm, hæc acceptio actus reflexi impropria est: nàm ille actus est propriè reflexus, qui vel versatur circà ipsam cognitionem, vel attingit obiectum secundum quod cognitum est: & ideò

18 Dicendum est tertiò, ens rationis non semper fieri per actum propriè reflexum; sed resultare posse per actum propriè directum. Diximus quod *ens rationis non semper fit per actum propriè reflexum*: quià non negamus, quòd aliqua entia rationis, vt sunt secundę intentiones Logicales, petant fieri per actum propriè reflexum; sed asserimus id non exposci generaliter ab omnibus. Quod sic ostenditur: nàm plures relationes rationis non fundantur suprà denominationem extrinsecam cogniti; sed immediatè suprà entitatem realem obiecti, vt relatio creationis, & similes. Non enim fundat Deus relationem creationis, quià cognitus; sed quià est omnipotens, & produxit creaturas; ergo huiusmodi relationes non resultant ex cognitione, quæ terminetur ad objectum secundùm id, quod habet quatenùs cognitum est; ac proindè neque fiunt per actum propriè reflexum. Obserua tamen, quod ad cuiuslibet entis rationis resultantiam requiritur actus virtualiter reflexus, iuxtà ea, quæ *suprà* diximus *num.* 13.

§. III.

Satisfit argumentis contrà primam conclusionem.

19 Scotus *in* 1. *dist.* 45. *quæst. vnica*, asserit voluntatem, & imaginatiuam facere entia rationis; quod alij extendunt ad alios sensus. Et probatur hæc sententia primò ratione Scoti; nàm potentia ordinans vnum ad aliud, ad quod à parte rei non ordinatur, causat ordinem rationis; siquidem talis ordo neque est purum nihil, neque ens reale; sed voluntas sæpe ordinat vnum ad aliud, sicut ad finem, ad quod à parte rei non ordinatur, vt cum peruersè ordinat Deum ad creaturas; ergo causat ordinem, siue relationem rationis.

Confirmatur; quià sicut intellectus attingit non ens, ac si esset ens, cognoscendo v. g. priuationem ad modum entis, ità voluntas attingit id, quod non est bonum, ac si bonum esset, amando v. g. obiectum peccaminosum; sed intellectus attingens non ens ad modum entis facit ens rationis; ergo etiam voluntas attingens bonum

appa-

apparens, illud efficiet.

Respondetur ex D. Th. 1. 2. qu. 17. art 1. quod ordinare vnum ad aliud non est opus voluntatis, sed intellectus; quià ordinare est proprium sapientis, vt dicitur primò Metaphysicæ. Et ideò omnis ordo, qui reperitur in rebus naturalibus à ratione descendit; cùm opus naturæ sit opus intelligentiæ: & similiter quidquid ordinis est in actibus voluntatis, deriuatur à consilio, & intellectu. Cuius signum est, quod si intellectus proponit bonum absquè ordinatione, voluntas eodem modo fertur in illud: neque potest ad aliud ordinare. Vndè si aliquod ens rationis in prædicta ordinatione interuenit, illud non à voluntate; sed ab intellectu producitur.

Ad confirmationem respondetur, quod licèt voluntas aliquandò terminetur ad bonum apparens: eius tamèn apparentem bonitatem, siuè quod ibi fictum, & apparens est, non producit; sed fictum, & productum per intellectum præsupponit. Nàm voluntas solùm habet attingere id, quod sibi ab intellectu proponitur: & ideò ex apprehensione intellectus, & non ex actu voluntatis causatur ens rationis.

20 Secundò arguitur: nàm sensus operantur circà sensibile in communi: sed sensibile in communi non datur à parte rei: ergo solùm habet esse obiectiuè in sensibus, quod est proprium entis rationis & consequenter ens rationis fiet à sensibus. Probatur maior: quià sensus non specificantur ab isto, vel illo sensibili particulari, & inadæquato, sed ab obiecto adæquato, quod est sensibile in communi: v. g. visus non specificatur ab ista albedine, vel ab illa nigredine, sed à colore vt sic: at sensus operantur circa obiectum, à quo specificantur: ergo, &c.

Respondetur, sensum in hoc distingui ab intellectu, quod obiectum istius est vniuersale; illus verò quid singulare, vt dicemus in libris de Anima. Quapropter intellectus potest cognoscere vniuersale non cognitis singularibus: at sensus non attingunt sensibile vt sic, sed particulare sensibile: nunquàm enim videmus colorem communem, sed colorem singularem. Dicitur tamen visum (& idem est de aliis sensibus) specificari à colore in communi; non quià vnico, & singulari actu attingat colorem communem, & vniuersalem; sed quià omnia obiecta, quæ per singulas visiones attingit, conueniunt in ratione communi coloris: & ideò eam assignamus prò obiecto adæquato. Quod explicuit Caiet. 1. p. q. 80 a. 2. dicens obiectum sensus esse vniuersale aduerbialiter; intellectus verò vniuersale nominaliter. Nàm licèt visus v. g. non attingat colorem vniuersalem; attingit tamen colorem vniuersaliter, hoc est attingit omnes colores, nullo excepto. Sed ex hoc minimè infertur, quod faciat ens rationis, vt consideranti constabit.

21 Tertiò arguitur: nàm imaginatiua, seù phantasia hominis potest ex duabus rebus tertiam aliam componere: v. g. ex monte, & auro valet fingere montem aureum: sed tunc cognoscit illud esse fictum, ac si verè esset ens reale: ergo facit ens rationis. Maior patet in somniis, & traditur à D. Thom. 1. p. qu. 12. art. 9. ad 2. vbi ait: quod *Aliquæ potentiæ cognoscitiuæ sunt, quæ speciebus primò conceptis alias formare possunt: sicut imaginatio ex præconceptis speciebus montis, & auri format speciem montis aurei.*

Respondetur: quod phantasia hominis potest dupliciter considerari. Primò, vt continetur intrà limites potentiæ sensitiuæ, & est communis homini, & brutis: secundò prout radicatur in essentia hominis, & subordinatur intellectui. Et phantasiæ primo modo acceptæ omninò neganda est formatio entis rationis; licèt admittamus, quod possit producere tertiam speciem repræsentantem montem aureum. Cuius ratio est: quià imaginatiua sic sumpta est affixa organo, & habet pro obiecto determinatam speciem entis realis: ac proindè non pertingit ad cognoscendum illud esse fictum montis aurei.

Nec refert, si objicias: quod illud aggregatum est prò formali quid fictum; sed phantasia attingit illud, ac si esset verum ens reale: ergo causat ibi aliquod esse fictum; ac proindè facit ens rationis.

Respondetur enim, quod imaginatio in illo monte aureo, solùm percipit id, quod est verè sensibile, & reale, nimirùm figuram montis, & colorem auri: quæ quia absque expressa distinctione attingit, ideò sibi videtur attingere per modum vnius compositi, & aggregati. Nunquam tamen cognoscit illud, quod ibi est fictum, vel (vt melius dicamus) esset fictum, si ab intellectu cognosceretur, nempè vnionem, siuè identificationem illarum partium. Cuius signum est, quod phantasia, secundùm se sumpta, non percipit se decipi in formatione talis chimæræ, quod tamen percipit intellectus.

22 Si autem loquamur de imaginatiua secundùm quod est propria hominis, & coniungitur intellectui, potest esse maior difficultas, vtrum producat entia rationis? Et ratio dubitandi augetur in cogitatiua, & reminiscentia: quibus, quià magis coniunguntur intellectui, & ab eo participant aliquam realem virtutem, concedunt Philosophi, quod possint iudicare & discurrere circà singularia, licet imperfectè. De quo videatur Bañez. 1. p. *quæstione septuagesima octaua, articulo quarto*, dub. 2. Cùm ergò iudicium, & discursus importent intentiones subiecti, & prædicati, antecedentis, & consequentis; quæ formaliter acceptæ sunt entia rationis; planè sequi videtur, formationem entis rationis in sensibus concedendam fore.

Sed nihilominùs respondendum est negatiuè: quia licèt virtus inferior per coniunctionem ad superiorem eleuetur ad operandum extra suam sphæram: attamèn, ratione talis influentiæ, solùm potest producere effectus aliquos imperfectos causæ superioris; non verò perfectiores: vt patet in corporibus cœlestibus, quæ, licèt per coniunctionem ad intelligentiam motricem, participent aliquam virtutem, vi cuius producant aliqua viuentia imperfecta, & quorum generatio est facilis: nequeunt tamen animalia perfecta producere. Cognitio autem esse ficti, quod est formale in syllogismo, vel propositione, est intellectui valdè difficilis: propter quod Logica, quæ versatur circà ens rationis, dicitur scientiarum difficillima, vt docet D. Thom. *opusc.* 20. *quæst.* 6. *art.* 1. *ad* 3. Et ideò licèt sensus interni hominis, ex influxu intellectus, possint attingere in discursu, & iudicio id, quod reale, & materiale est; nequeunt tamen eleuari ad cognoscendum illud esse fictum, quod se habet, vt forma propositionis, & syllogismi. Quià illud primum est facilius; secundum verò, ipsi etiam intellectui, est valdè difficile. Maximè, cùm sensus non possit eleuari ad cognoscendum ens reale in communi, per cuius remotionem, & exclusionem, cognoscitur esse fictum. Ex quibus patet ad rationem dubitandi.

Solent aliqui disputare in præsenti, vtrum intellectus diuinus, & angelicus faciant entia rationis. Sed quià hæc quæstio pendet ex principiis Theologicis: ideò omittitur à nobis. Consulat, qui voluerit Nazarium 1. p. q. 14. a. 9. Nauarrete controuersia 49. & alios.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Quotuplex sit ens rationis?

§. I.

Praelibantur nonnulla ad decisionem difficultatis.

23 SVpposita notitia essentiæ entis rationis, ad illius diuisionem, & multiplicitatem explicandam accedimus. Prò cuius luce obseruandum est, formationem entium rationis ex triplici capite oriri. Primò ex fœcunditate intellectus, qui prò libito ex veris entibus ficta componit, coniungendo ea, quæ in re coniungi nequeunt, vt quandò fingit chimæram. Quod genus entis rationis, sicùt omni caret fundamento, ità neque doctrinale est, neque scientiis potest deseruire: & ideò illud omittimus.

Secundò, ex imperfectione, & debilitate intellectus, qui interdùm non potest cognoscere res, vt sunt in se; & ideò aliquandò, non valens vnico conceptu obiectum comprehendere, distinguit in eo plura, quæ in re non distinguuntur; sæpè etiam comparat obiecta ad alia, ad quæ non ordinantur à parte rei. Et hoc pacto formantur relationes rationis, quarum proindè fundamentum est ens positiuum cognitum cum ordine ad aliud.

Tertiò prouenit formatio entis rationis ex latitudine cognitionis intellectiuæ, quæ se etiam extendit ad non entia. Nam cùm obiectum intellectus sit ens, cuius limites transilire non potest; quantumcumque nitatur apprehendere non entia; semper illa cognoscit ad modum entis, ac proindè facit illa entia rationis. Quæ consequenter habent prò fundamento ipsum non ens. Licèt enim commune sit omnibus entibus rationis, quod non existat à parte rei illud esse fictum: in quo consistunt, tamen non in omnibus ipsum non ens, vel carentia est fundamentum proximum, seù id, quod concipitur: vt patet in genereitate, quæ non resultat ex apprehensione non entis; sed ex eo, quod animal v.g. concipiatur cum ordine ad species, *quem* non dicit à parte rei. Et per hoc distinguitur hoc genus à præcedenti; nàm illius fundamentum est ens conceptum *cum ordine*; istius verò est non ens apprehensum ad modum entis.

Porrò hoc non ens diuiditur in negationem, & priuationem; & rursùs negatio potest tripliciter sumi. Primò latissimè pro quocumque non esse, absquè determinatione, vel connotatione subiecti, vt *non homo, non sedens*; & similes termini infiniti. Secundò, minus latè, prò carentia formæ in subiecto, abstrahendo tamen ab eo, quod sit aptum, vel ineptum ad talem formam. Quo pacto comprehendit negationes, & priuationes propriè dictas. Tertiò denique sumitur negatio propriè, & strictè prò carentia formæ in subiecto inepto ad eam habendam; vt carentia rationis in equo, & visus in lapide. Et carentia sic accepta opponitur priuationi propriè dictæ, quæ est carentia formæ in subiecto apto, seù quando, & vbi subiectum natum est habere illam, vt tenebræ in aëre, & cæcitas in cane post nonum diem.

Denique notandum est, quod negatio, & priuatio, si sumantur pro ipsa carentia, sunt à parte rei: non quia habeant à parte rei aliquam entitatem; sed quia verè, & sine consideratione intellectus sunt remotiones entitatis, & formæ. De quo videantur Caiet. 1. *part. qu.* 48. *art.* 2. Et Ferrara 3. *contra gentes cap.* 19. Et in hac acceptione negatio, & priuatio formaliter neque sunt entia realia, neque entia rationis; sed non entia realia, & fundamentaliter entia rationis. Nam possunt ab intellectu concipi per modum entis, & tunc id, quod à parte rei est non ens, fit ens in anima: & hoc modo sumuntur in præsenti.

§. II.

Resoluitur difficultas.

25 DIcendum est ergo, ens rationis habens fundamentum, diuidi adæquatè in negationem, & relationem. Sumitur hic negatio in secunda acceptione, vt comprehendit negationes, & priuationes. Assertio sic intellecta est expressa D. Thom. *q.* 21. de veritate *art.* 1. vbi ait: *Id, quod est rationis tantum, non potest esse nisi duplex, scilicet negatio, vel relatio.* Et probatur: nam vel proximum fundamentum entis rationis, est aliquod non ens, vel est aliquod ens positiuum: si primum, ens rationis indè resultans erit negatio communiter dicta, quæ iterum diuiditur in negationem, & priuationem: si secundum, vel cognoscitur tale ens sicut est à parte rei, & sic nullum fit ens rationis: vel cognoscitur cum ordine ad id, ad quod à parte rei non ordinatur, & sic resultat relatio rationis: ergo ens rationis cum fundamento in re diuiditur adæquatè in negationem, & relationem.

Explicatur exemplo denominationis extrinsecæ: nam si intellectus illud esse visum, quod nihil est in pariete viso, apprehendat vt aliquid in eo existens, ens rationis indè resultans non est relatio; sed negatio: siquidem non ens concipitur ad modum entis absoluti existentis in pariete. Si autem nitatur cognoscere parietem, vt actu terminat visionem, tunc concipit illum cum ordine ad potentiam visiuam; & consequenter causat relationem rationis. Nam licèt à parte rei potentia respiciat obiectum; obiectum tamen non respicit potentiam.

26 Sed obijcies primò: nam ipsæ priuationes, & negationes non fiunt entia rationis sine habitudine ad aliud: tùm quia priuatio, alicuius formæ est priuatio, & idem est de negatione: tùm quia omnia entia rationis dicunt ordinem ad intellectum, cùm illorum esse sit cognosci: ergo omnia sunt relationes rationis: ac proindè malè assignatur prædicta diuisio.

Respondetur; habitudinem, quam priuatio, & negatio dicunt ad formam, & subiectum; & quam omne ens rationis dicit ad intellectum, solùm esse relationem transcendentalem, & secundum dici. Quia per illam non dicuntur esse alicuius, sicut puri termini; sed sicut subiecti, vel formæ, vel principij. Et hæc non tollit, quod priuatio, & negatio constituant genus entis rationis distinctum à relatione, quæ intra limites entis rationis est relatio secundum esse, & prædicamentalis. Quibus adde, quod si intellectus ordinem transcendentalem imbibitum in negatione, & priuatione apprehendat ad modum relationis prædicamentalis, efficiet proculdubiò relationem rationis secundum esse.

Obijcies secundò: quia præter chimæras, & alia entia rationis, quæ fingimus ad instar substantiæ, possumus formare in alijs prædicamentis entia rationis cum fundamento in re: vt cum concipimus spatium imaginarium ad modum cuiusdam extensionis, & inane illud, quod apprehendimus supra empyreum per modum loci illud continentis, & denominationem visi in re denominata ad instar cuiusdam passionis, & sic de alijs prædicamentis: ergo præter negationes, quæ ad modum qualitatis, & relationes rationis, quæ ad modum

dum relationis realis concipiuntur, alia entia rationis possunt formari instar cæterorum prædicamentorum: ac proindè proposita diuisio est insufficiens.

Respondetur, hæc, & similia entia rationis sufficienter reduci ad negationem, & relationem. Nam si spatium imaginarium concipiatur intra latera corporis vacui, est vera priuatio iuxta definitionem Philosophi 4. *Physicorum*: *Vacuum est locus priuatus corpore*. Si autem apprehendatur extrà omne continens, vt illud inane, quod concipitur extra vltimum cœlum; est pura negatio. Si verò vacuum comparetur ad aliud corpus per modum contenti, vel continentis: tunc fit relatio rationis. Et idem est de denominatione extrinseca, iuxta supradicta.

Sed vt omnia, quæ ad notitiam entis rationis spectant, explicata maneant, quantùm permittit Dialecticum institutum: obseruandum superest, quod ens rationis est transcendens respectu suorum inferiorum. Nam cùm illius differentiæ non sint purum nihil, nequè ens reale, necesse est, vt sint entia rationis; ac proindè, quod huius ratio imbibatur in illis: quod est proprium transcendentis. Ex quo vlterius sequitur, non dari vnum supremum genus entis rationis; quia genus abstrahit à differentijs. Possumus tamen (relicto ente rationis chimærico) duo quasi suprema illius genera constituere; nimirùm negationem, & relationem.

Negatio communiter sumpta diuiditur in priuationem, & negationem propriè dictas. Quæ rursus sub diuiduntur secundùm diuisionem formarum, quarum sunt carentiæ; & sic diuagantur per omnia prædicamenta. Et quia istarum maior notitia est parui momenti, & aliena à proprio instituto; à nobis omittitur in præsenti.

Secundùm genus, scilicet relatio rationis (quæ magis accedit ad negotium Dialecticum) potest ità circunscribi: *Est ens rationis, ex aliqua intellectus comparatione, resultans*. Nam relatio rationis nequit concipi absque intellectu plura comparante: & nomine comparationis intelligitur quælibet cognitio rei cum ordine ad aliam. In quas verò species genus istud diuidatur, dicemus sequenti quæstione.

QVÆSTIO V.

Quid sit secunda intentio Logicalis, & quæ eius proprietates, & species?

18 QVæ in hac disputatione tradidimus eò tendunt, vt natura secundarum intentionum, quæ sunt obiectum Logicæ, deprehendatur. Sed priùs quam eas in speciali explicemus; de illis in generali, quæ necessaria fuerint, breuitèr prælibabimus.

Ad cuius lucem, sciendum est primò, quòd intentio in sua communi significatione importat tendentiam in aliud. Alitèr tamen vsurpatur à Theologis, & Philosophis: aliter à Dialecticis: nàm apud illos significat actum voluntatis circà finem, & ipsum finem: vt cùm dicimus; mea intentio in prædicando est salus animarum; sed apud istos importat attentionem quandam, iuxtà illud; pluribus intentus minor est ad singula sensus. Et in hoc sensu nomen intentionis tribuitur actibus intellectus, cuius est proprium attendere. Cæterùm quià nomen actuum non rarò accommodatur eorum obiectis: ideò Dialectici nomen intentionis prò obiecto cognitionis frequenter vsurpant: sed, distinctionis gratia, actus appellant intentionem formalem, & eorum obiecta intentionem obiectiuam.

Vtraque autem diuiditur in primam, & secundam: eò quod intellectus potest dupliciter attingere obiecta. Primò cognoscendo ea secundùm id, quod habent à parte rei; vt quandò cognoscimus hominem esse animal: & tunc actus cognoscens dicitur prima intentio formalis; & obiectum cognitum prima intentio obiectiua; & nomina sic significantia res appellantur termini primæ intentionis: vt *homo*, *animal*. Secundò, attingendo res non secundùm id, quod habent à parte rei, sed secundùm id, quod illis conuenit per operationem intellectus; vt quandò cognoscimus animal esse genus; & tùnc actus dicitur secunda intentio formalis; obiectum verò secunda intentio obiectiua; & nomina significantia res secundùm tale esse, sunt termini secundæ intentionis, vt *genus*, *species*. Quæ licèt ita sint; vsu tamen factum est, vt prima, & secunda intentio absolutè prolatæ vsurpentur frequentiùs prò obiectiuis.

Vndè apparet, solam secundam intentionem obiectiuam esse ens rationis: vtramque verò formalem, cum sit actus intellectus, esse ens reale: & similiter primam intentionem obiectiuam. Et ratio istius vltimæ partis est: nàm ad cognitionem cuiuslibet entis rationis, præsupponitur aliqua cognitiò entis realis, vt supra diximus *n.* 14. ergo intentio obiectiua, quæ absolutè est prima, debet esse ens reale. Contingit tamen, vnam secundam intentionem materialiter sumptam ab alia denominari; vt cum vniuersale dicitur genus ad quinque vniuersalia. Et tunc prior secundùm quid dicitur prima intentio, scilicet comparatione posterioris superuenientis: proptet quod etiam superueniens non appellatur tertia, vel quarta intentio; quia prior, quæ denominatur ab ea, licèt reuera sit secunda, induit tamen modum primæ intentionis.

Sciendum est secundò; dari plures relationes rationis præter eas, quas Logica considerat. Nàm pronomen, participium, declinatio, & alia circà quæ versatur Grammatica; exordium, epilogus, & cætera, quæ considerat Rhetorica, important prò formali relationes rationis, quæ tamen sub obiecto Logicæ non continentur. Et ideò videndum est, in quo distinguantur à relationibus Logicalibus.

Prò quo nota, quod in relatione reali concurrunt plura; scilicet fundamentum, ratio fundandi, & terminus: vt in patre paternitas est ipsa relatio; substantia patris est fundamentum, generatio est ratio fundandi; & terminus est filius. Ità in relatione rationis v. g. Dei ad creaturas, substantia diuina est fundamentum; omnipotentia, vel productio creaturarum est ratio fundandi; terminus sunt ipsæ creaturæ; cognitio verò nostri intellectus se habet vt conditio sine qua non: nam si illa non esset, omnipotentia non intelligeretur fundare relationem.

Cum igitur specificatio, & distinctio relationum realium sumatur à ratione fundandi; consequens est, vt diuisio relationum rationis à ratione fundandi etiam petenda sit. Nam aliæ fundantur ab intellectu immediatè supra ens reale, vt constat in relatione creatoris ad creaturas, & similibus. Aliæ verò sunt immaterialiores, quarum proindè ratio fundandi non est aliqua entitas; sed denominatio extrinseca, præcipuè quæ sumitur à voluntate imponente significationem vocibus, & ab intellectu cognoscente: quales sunt relationes pertinentes ad Grammaticam, Rhetoricam, & Dialecticam. Nàm in Grammatica declinationes nominum, & coniugationes verborum fundantur suprà voces deputatas ad significandum: ac proindè ratio fundandi non est nuda entitas vocum: sed denominatio extrinseca à voluntate imponente. Similiter in Rhetorica exordium, tropus, & aliæ relationes præsupponunt, tùm impositionem vocum, cùm ipsam congruitatem, quam intendit Grammati-

matica. Hęc enim ordinat voces in forma orationis, quam deindè Rhetorica exornat, & reddit pulchram. Per quod istæ artes, & earum obiecta distinguuntur.

Denique in Logica genereitas, (& idem intellige de alijs intentionibus Logicalibus) non fundatur supra realem entitatem animalis, v. g. quatenus est realis perfectio; sed quatenus cognita est. Animal quippè non est immediatè capax genereitatis, quia est viuens sensibile; sed ex eo, quod sit cognitum sinè speciebus, vt infra ostendemus *disp. 3. q. 6.* Nàm cum huiusmodi intentiones fiant per actum reflexum, debent fundari suprà cognitionem passiuam obiecti, seù denominationem extrinsecam cogniti: vt docet D. Thom. *de potentia quæst. 7. art. 11. & alijs locis.*

30 Ex quibus plura possumus inferre. Quoniam hinc apparet primò, quarè intentiones Logicales sint veritatis ostensiuæ; quod non habent relationes Grammaticæ, & Rhetoricæ. Cùm enim relationibus Logicalibus ratio fundandi sit denominatio cogniti: non solùm ipsæ relationes, verùm etiam ipsa ratio fundandi est intra intellectum, quod non conuenit alijs relationibus. Quapropter relationum Logicalium notitia, & non aliarum, iuvat per se ad cognoscendum modum operandi intellectus. Vndè cùm propria veritas reperiatur in intellectu, & ab eo deriuetur ad res; ideò relationes Logicales, quæ notificant modum operandi intellectus, appellantur meritò veritatis ostensiuæ.

Infertur secundò, solas relationes Logicales appellari propriè secundas intentiones. Nàm secunda intentio, est quasi secunda attentio rei: & ideò illa relatio est propriè secunda intentio, quæ fundatur supra rem, vt prius cognitam, vel quatenus terminauit primam attentionem; quod proprium est intentionum Logicalium. Quo non obstante, nomen secundæ intentionis extenditur ad omnia entia rationis, eò quod supponunt cognitionem entis realis. Sed hæc acceptio est impropria.

31 Infertur tertiò, qualiter possit vtcumque ordinari arbor relationum rationis (omnes enim comprehendere rigorosa, & essentiali diuisione, est ferè impossibile.) Ergo relatio rationis diuiditur primò in eam, cuius ratio fundandi est ens reale, & in eam cuius ratio fundandi est denominatio extrinseca. Sub primo genere continentur relatio creatoris, & similes, quæ non pertinent per se ad aliquam facultatem. Sub secundo continentur eæ quæ possunt esse obiectum alicuius artis, vel scientiæ. Quod genus rursus diuiditur in eas, quarum ratio fundandi est denominatio extrinseca à voluntate imponente significationem; & in illas, quæ habent, pro ratione fundandi denominationem extrinsecam cogniti. Relationes prioris generis pertinent ad Grammaticam, & Rhetoricam; & ideò eas omittimus. Relationes autem secundi generis, sunt propriè secundæ intentiones, & obiectum Logicæ.


Secunda verò intentio Logicalis diuiditur, prima diuisione, in tria genera, iuxtà numerum operationum intellectus, à quibus res denominantur cognitæ. Nam quædam intentiones dirigunt apprehensionem, aliæ iudicium; aliæ verò discursum. Secundùm quam diuisionem *suprà disp. 1. num. 44.* diuisimus Logicam in tres partes.

Primum genus continet intentiones subijcibilis, quæ scilicet consequuntur apprehensionem rei, vt subijcitur alteri; & intentiones prædicabilis, quæ resultant ex apprehensione rei, vt de alia prædicatur. Et quia cuilibet prædicabili correspondet proprium subijcibile, diuisio subijcibilis sufficienter colligetur ex diuisione prædicabilis. Hoc autem subdiuiditur in prædicabile de vno tantum, vt indiuiduum, & in prædicabile de pluribus, vt vniuersale. Sub primo membro etiam continentur prædicata æqualia, vt cum differentia prædicatur de specie. Ad secundum verò pertinent reductiuè analogia, & similes intentiones; & directè genus, species, differentia, proprium, & accidens. Eæ enim sunt species infimæ, in quas vniuersale adæquatè diuiditur, vt infra ostendemus.

Secundum genus intentionum, earum videlicet, quæ dirigunt iudicium, appellatur nomine incomplexo propositio; quæ diuiditur essentialiter in affirmatiuam, & negatiuam, vt diximus *lib. 2. Summularum, cap. 3.* Quæ sunt species infimæ; nam aliæ diuisiones propositionis non sunt vniuocæ, vt ibidem animaduertimus.


Tertium genus, quod nomine incomplexo dicitur argumentatio diuiditur in syllogismum, & inductionem. Ex quibus inductio diuiditur in ascensum, & descensum; & syllogismus in tres figuras, & vna quęque in suos modos. Qui etiam sunt species infimę syllogismi sumpti ex parte secundę intentionis; alię enim diuisiones sunt accidentis in subiecta. Videantur quę diximus *lib. 3. Summularum.*

In fine huius quęstionis animaduertendum est, quod licèt ad significanda entia rationis sępè vsi fuerimus nominibus concretis, qualia sunt propositio, syllogismus &c. hoc tamen est ob defectum nominum abstractorum. Ad hoc enim vt coordinatio harum intentionum sit exacta, & essentialis, debent sumi in abstracto, quo pacto significant solùm formam rationis; sicut de accidentibus realibus proportionabiliter dicemus in antepręedicamentis.



DISPVTATIONES
AD PRÆDICABILIA PORPHYRII.

PROOEMIVM.



VM doctrina tradita ab Aristotele in prædicamentis obscura, & difficilis appareret Crisaorio Patritio Romano: eius precibus inductus est Porphyrius Phœnicius (cuius vitam, & mores referunt in præsenti, Recentiores ex Volaterrano) vt de vniuersalibus, genere scilicet, specie, differentia, proprio, & accidenti tractatum ederet: qui inscribitur Isagoge, seu introductio: Illius namquè notitia, & instructione, facilis, ad doctrinam prædicamentorum percipiendam, aditus patefit: Cùm enim prædicamentum sit series, vel coordinatio vniuersalium, seu prædicabilium secundùm debitam subiectionem, & prædicationem; nequit non prædicabilium notitia ad prædicamentorum perfectam cognitionem comparandam maximè conducere. Propter quod communiter Auctores prædicamentorum doctrinæ, istam de quinque vniuersalibus, quasi introductoriam, præmittunt. Quorum vestigia, & nos sequentes, quæstiones aliquas excitabimus de vniuersali in communi, à quibus Porphyrius abstinuit. Quoniam notitia vniuersalis in communi, quam ipse tradere recusauit, ad species vniuersalis perfectè dignoscendas omninò necessaria est. Textum tamen Porphyrij non adducemus, nequè notis illustrabimus: cùm, vt consulamus breuitati, tùm quià in progressu disputationum; quod expositione dignum fuerit, intactum non relinquemus, & quidquid discussione indiget, ad examen euocabimus.

DISPVTATIO III.

De Essentia Vniuersalis.

1 VT auferatur confusio, quam nomen Vniuersalis potest afferre, notandum est, quod vniuersale diuiditur in complexum, & in incomplexum. Vniuersale complexum idem est, ac propositio vniuersalis: & in hoc sensu omnis propositio signo vniuersali, affecta appellatur vniuersale. De quo non agimus in præsenti.

Vniuersale incomplexum, seù voce simplici significatum est, quod taliter est vnum, vt dicat ordinem ad plura; & ideò prò diuersitate habitudinis, sunt diuersa vniuersalia. Nàm primò potest aliquid dicere ordinem ad plura, vt eorum causa: & hoc est *vniuersale in causando*, vt Deus. Secundò, vt exemplar, vel similitudo eorum, & appellatur *vniuersale in repræsentando*: quo pacto se habent idea, & species intelligibilis. Tertiò, vt signum eorum, & dicitur *vniuersale in significando*: cuiusmodi sunt termini communes.

Quartò deniquè potest vnum respicere plura, vt existens in illis, ex quo oritur, quod prædicetur de illis: vt animal, & aliæ naturæ communes, quæ existunt in suis inferioribus, & de illis prædicantur. Et hoc appellatur *vniuersale in essendo*, vel *prædicando*, estquè propriè vniuersale: quià non includit singularitatem, à quo deficiunt cætera vniuersalia. Nàm quod causat, vel repræsentat, vel significat plura, est entitatiuè singulare. Et ideò, aliis relictis, solùm agimus de vniuersali in essendo, vel prædicando, quod est vniuersale Logicum, & sub obiecto Logicæ continetur. Comparantur autem vniuersale in essendo, & prædicando sicut essentia, & passio: nàm ad esse in multis, sequitur prædicari de illis, vt infrà latius ostendemus.

Et quia accidentia nequeunt perfectè cognosci absquè habitudine ad proprium subiectum; vniuersale autem, ex parte formæ, est accidens rationis: ideò ad perfectam eius notitiam debemus prius inuestigare subiectum illius. Prò cuius luce sit.

QVÆ-

QVÆSTIO I.

Vtrum à parte rei dentur naturæ, quæ possint vniuersales denominari.

2 AD decisionem huius difficultatis notandum est, quod actus intellectus consueuerunt appellari partus, vel conceptus mentis; quià modus intelligendi fit per conceptionem obiecti, ex cuius influxu paritur notitia. Vndè nomen conceptus etiàm attribuitur obiectis, seù rebus, quæ intelliguntur: sed distinctionis gratia, actus dicuntur conceptus formales; obiecta autem conceptus obiectiui. Et quià intellectus noster potest attingere vnam formalitatem obiecti præscindendo ab alijs, & formare de vnaquaque distinctum conceptum formalem: fit indè, tòt esse in quolibet obiecto conceptus obiectiuos, quòt fuerint gradus, & rationes; quarum quælibet potest, per diuersum conceptum formalem, attingi. Nàm conceptus obiectiuus non significat res naturaliter sumptas, & secundùm omne id, quod habent à parte rei, sed secundùm illam formalitatem, & perfectionem, quæ cognoscitur per conceptum formalem. Quare si in Petro v. g. præter singularitatem, dantur gradus, & perfectiones, quæ possint sinè illa attingi; manifestum erit, quod conceptus obiectiuus non semper est ratio indiuidualis; sed aliquid commune, quod consequenter poterit denominari vniuersale: & hoc inquirimus in præsenti.

§. I.

Communis sententiâ defenditur.

3 DIcendum est primò, dari à parte rei gradus, & naturas, quæ possint denominari vniuersales. Hæc conclusio est communis inter Philosophos contrà Cratylum, Heraclitum, & Nominales, quam docet D. Th. *de ente, & essentia, cap. 4. & opusc. 55. & 56.* Desumiturquè ex Aristot. 1. *Perherm. cap. 5.* vbi ait: *Rerum alia sunt vniuersales, alia particulares: & lib. 1. Poster. cap. 2.* docet: vniuersalia esse notiora singularibus, & illa intellectu; ista verò sensu cognosci. Vbi non loquitur de vocibus vniuersalibus, siquidem istæ sensu percipiuntur, vt constat: ergo loquitur de rebus, quæ per voces significantur.

Probatur ratione primò; quià scientiæ reales, quales sunt Philosophia, & Astrologia, agunt de rebus: at non de singularibus, quæ mutationi, & contingentiæ subiectæ sunt, sed dè vniuersalibus, quæ variationi non subsunt: ergo dantur res, & conceptus obiectiui, qui possunt denominari vniuersales. Maior est certa: nàm Philosophia definiens, quod homo constat corpore, & anima; non definit vocem *Homo*; & Astrologia demonstrans terram esse rotundam, id non probat de voce *Terra*. Vtimur tamen vocibus vice rerum, quià ipsas res adducere non possumus.

Secundò probatur: nàm prædicationes, in quibus genus prædicatur de speciebus, & species de indiuiduis, vt *Petrus est homo, & homo est animal* sunt veræ, & necessariæ: sed huiusmodi propositiones nequeunt esse veræ, nisi illarum prædicatum sit aliqua natura, vel gradus communis in subiectis, de quibus dicitur: ergo verè dantur naturæ communes vniuersales. Probatur minor: quià si prædicatum illarum propositionum non esset aliquis gradus vniuersalis, sed aliqua vox communis, vel conceptus formalis, vel singularia hominis, & animalis, tales propositiones essent falsæ: quia ista v. g. *Petrus est homo*, redderet hunc sensum: Petrus est vox homo, vel Petrus est conceptus formalis hominis, vel Petrus est omnia singularia naturæ humanæ; quæ sunt falsa, vt per se constat: ergo nisi prædicatum illarum propositionum sit aliqua natura communis, nequeunt esse veræ; ac proindè debent omninò admitti gradus, & naturæ communes.

4 Dicendum est secundò, naturas vniuersales non existere à parte rei separatas à singularibus. Hanc etiàm assertionem docent communiter Philosophi, quam ex professo probat Aristot. contrà Platonem pluribus in locis, & præcipuè 7. *Metaph. text.* 51. De quo videri potest D. Thom. *ibi lect.* 14.

Probatur ratione primò: quià repugnat verè prædicari de aliquo id, quod in eo non est; sed existit extrà ipsum: nàm prædicatio petit aliquam identitatem intèr prædicatum, & subiectum; sed de quolibet indiuiduo naturæ humanæ verè prædicatur, quod sit homo: ergo conceptus communis naturæ humanæ existit in singularibus. Vndè inconsequenter processit Plato, asserens ideas, vel naturas communes esse de essentia singularium, & nihilominus esse ab eis realiter separatas.

Secundò probatur; quoniam si natura communis existeret separata à singularibus, esset, & non esset vniuersalis: quod implicat contradictionem. Esset quidem, vt supponitur; & non esset, quià existeret realiter. Existere enim, & subsistere est proprium suppositi singularis, non verò naturæ communis, vt docet D. Thom. *quæst. 9. de potentia, art. 5. ad 13.*

§ II.

Referuntur aduersæ opiniones.

5 COntrà primam conclusionem est duplex opinio. Prima Heracliti, & Cratyli, qui teste Aristotele 1. *Metaph. cap. 6. & lib. 4. cap. 5.* negabant existere naturas vniuersales; & consequenter nullam scientiam admittebant. Quorum fundamentum adducit D. Th. 4. *Metaph. lect.* 12. & est huiusmodi: quoniam de re, quæ mutatur, in quantum mutatur, nihil potest verè affirmari: quod enim mutatur de albo in nigrum, nequè est album, nequè nigrum; sed omnes res sunt in continua mutatione: ergo nihil de eis verè affirmatur; ac proindè nulla est scientia.

Respondetur ex Arist. 4. *Metaph.* maiorem esse falsam: nam dato, quod de pariete, dum mutatur de albedine in nigredinem, non possit affirmari esse album, aut nigrum: potest tamen verè affirmari oppositum, nimirùm nequè esse album, nequè esse nigrum; sed mutari: atque ideò iàm erit determinata veritas; de qua possit esse scientia. Deindè, minor non est vera vniuersaliter: quia licèt res sint in continuo motu ad quantitatem, vel qualitatem; non tamen ad esse substantiale. Quibus addimus, naturas vniuersales esse mutabiles quòad existentiam, & exercitium standi sub illa; secùs autem quod ad prędicata essentialia, secundùm quę eodem modo se habent. Quoniam essentiæ rerum sunt immutabiles, & perpetuæ, vt ostendemus *disp. sequenti*.

6 Secunda opinio negat cum præcedenti, dari à parte rei naturas, quæ possint denominari vniuersales; asserit tamen dari voces, & conceptus formales, quibus tamen ex parte obiecti non correspondet aliquid commune, sed plura singularia: de quibus, quià nequit esse scientia, consequenter statuerunt solas voces, & conceptus formales esse scientiarum obiectum. Hæc tribuitur

buitur Ochamo *in 1. dist. 2. quæst. 7.* & alijs Nominalibus.

Probatur primò auctoritate Philosophi *cap. de substantia*, vbi ait substantias secundas, siuè vniuersales *significare quale quid*: significare autem conuenit vocibus; ergo sentit voces, & non res esse vniuersales. Deindè *lib. 1. de Anima. textu* 8. inquit; *Animal autem vniuersale, aut nihil est, aut posterius: similiter autem, & si quid commune aliud prædicatur*. Quasi diceret, animal vniuersale nihil esse in rebus; esse tamen in vocibus, quæ impositæ sunt ad significandum, & rebus posteriores sunt; ergo ex mente Aristot. non dantur naturę vniuersales; sed solùm voces communes.

Respondetur, Philosophum in prima auctoritate loqui de nominibus significantibus substantias secundas; non verò de ipsis substantiis; vt constat ex eius verbis. ¶ In secundo testimonio docet modum, quo animal fit vniuersale, asserens nihil esse à speciebus separatum, vt Plato fingebat; esse tamen in eisdem, vt quid posterius; quià nimirum fit ab intellectu per abstractionem ab illis; vt *infrà* declarabimus.

Deindè arguunt ratione; nam quidquid est à parte rei est singulare; ergo nulla natura est à parte rei, quę possit dici vniuersalis. Probatur consequentia; quia vniuersale, & singulare opponuntur.

Respondetur, naturas vniuersales esse à parte rei identificatas cum singularibus, & per eorum existentiam existere. Ex quo solum infertur non dari vniuersale separatum, quod opponitur singulari. Cum quo tamen simul stat, dari conceptus vniuersales, & communes; singularizatos tamen, & à parte rei ab indiuiduis non pręcisos.

7. Aduersùs secundam assertionem sentit, Plato concedens naturas vniuersales, & affirmans eas esse à parte rei à singularibus separatas; quas naturas separatas appellabat ideas. Et probatur hęc positio primò; quia scientię versantur circa vniuersalia, perpetua, & inuariabilia; at si naturę vniuersales existerent in singularibus, non essent inuariabiles, & perpetuę; sed potiùs cum eisdem singularibus orirentur, & interirent; ergo naturę vniuersales existunt à parte rei separatę à singularibus.

Respondetur, scientias versari circà naturas vniuersales, & perpetuas, quià abstrahunt ab existentia illarum, & considerant obiecta secundùm essentiam. Hęc enim propositio; *Omnis homo est animal* esset eodem modo vera, licet nullus homo existeret. Vndè naturæ vniuersales dicuntur perpetuæ, non quia cum singularibus non oriantur, & pereant; sed quia id habent ratione singularium, & non ratione sui. Et ideò secundùm se consideratæ sunt perpetuæ negatiuè, vt *disput. seq.* dicemus.

Secundò probatur: quià vnumquodq; debet produci à suo simili: sed, vt constat experientia sensus, ignis aliquandò generatur à non igne, & alia plura à non similibus: ergo ponendæ sunt naturæ extrà singularia subsistentes, per quarum influxum, & impressionem vnumquodque producatur à suo simili.

Respondetur inter causam efficientem, & effectum non semper dari similitudinem formalem, & vniuocam: sed sufficere virtualem, vt inter Deum, & creaturas, & inter solem, & plantas. Si autèm sermo fit de causa exemplari, verum quidem est effectum produci ex influxu formæ similis, vel cui potiùs effectus assimilatur. Cæterùm hujusmodi formæ sunt ideæ diuinæ; non verò naturæ extra Deum, & singularia existentes, vt existimauit Plato. Videatur Angelic. Doctor, *1. part. quæst. 84. artic. 1. & opusc.* 55.

QVÆSTIO II.

An detur à parte rei vnitas formalis in natura?

ID, ratione cuius natura denominatur vniuersalis; non potest esse vnitas numerica; sed formalis: & ideò inuestigamus in præsenti, an talis vnitas reperiatur à parte rei. Sed ad difficultatis enodationem aliqua prælibare oportet.

§. I.

Obseruantur nonnulla.

8 PRimò sciendum est, naturam, quæ est materia apta vniuersalis, non debere esse singularem essentialiter: nàm hoc ipso repugnat fieri vniuersalem; siquidem vniuersale, & singulare opponuntur. Et ideò natura diuina nequit denominari vniuersalis: quià est actus purissimus, & essentialiter singularis. Vndè istæ prædicationes, *Pater est Deus, Filius est Deus*, &c. non sunt alicuius prædicabilis. Quid verò de naturis angelicis dicendum sit, constabit *disp. 6. q. 3.*

Secundò supponendum est, vnitatem propriam vniuersalis debere esse talem simpliciter: qualem non habent entia per accidens, vt aceruus, & alia composita ex rebus completis, vel diuersorum prædicamentorum nequè æquiuoca, vt canis: nequè analoga, vt sanum: nequè concreta accidentalia, vt album, & dulce, quatenùs dicunt aggregatum ex subiecto, & accidenti. Nàm hæc omnia, cùm sint plura simpliciter, excluduntur à linea vniuersalis, quod est vnum simpliciter in multis.

Deindè obseruandum est ex Aristot. *5. Metaphys. cap. 6. & lib. 1. cap. 1.* quod: *Vnum est ens indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio*: siue vnum dicat in recto, & formaliter carentiam diuisionis, siue solùm in obliquo. Et quià carentiæ multiplicantur iuxtà multiplicitatem formarum, quas remouent, tot debent esse vnitates, quot sunt diuisiones. Diuisio autem, vt probat Caiet. *cap. 4.* de ente, & essentia *quæst. 6.* est duplex: alia materialis, vel numerica, quæ sumitur à principijs indiuiduantibus, & materialibus: qua ratione, distinguuntur indiuidua eiusdem speciei, vt Petrus, & Paulus. Alia est diuisio formalis, quæ causatur per principia formalia, siue differentias essentiales: quo pacto distinguuntur species cuiuscumque generis, vt homo, & leo.

9 Inter has autem distinctiones hoc intercedit discrimen, quod numerica est minima distinctio realis, & in ea non datur latitudo; distinctio verò formalis maior est, quam numerica. Quæcumque enim formaliter distinguuntur, etiàm distinguuntur numericè; sed non è contra. Porrò distinctio formalis habet latitudinem, & eò est maior, quo causatur per principia magis vniuersalia. Sicut maior est distinctio inter hominem, & lapidem, quià causatur per differentiam genericam, scilicet, sensibile; quàm inter hominem, & leonem, quoniam oritur à rationalitate, quæ est differentia infima, seu specifica.

Ex ijs sequitur vnitatem esse duplicem; materialem scilicèt, & formalem. Vnitas materialis est carentia distinctionis materialis, vel entitas carens diuisione materiali. Vnitas autem formalis est carentia diuisionis formalis, vel entitas carens diuisione formali. Prior est maxi-

maxima vnitas, & consistit in indiuisibili, quià excludit omnem diuisionem. Posterior verò admittit latitudinem, & eò est minor, quò causatur per principium magis commune: & eò maior, quò oritur à principio particulari. Verbi gratia, vnitas numerica, qua Petrus est hoc indiuiduum: est maxima vnitas, cùm nullam diuisionem admittat; vnitas verò, qua est vnus homo in specie, est minor præcedenti: quia ex vi huius vnionis, non excluditur, quod sit hic, vel alter homo; vnitas autem, qua est vnum animal, est adhùc minor præcedentibus, quià ex vi illius non excluditur, quod sit hoc animal, scilicèt homo, vel aliud, nempè equus; & idem est de alijs gradibus superioribus.

His prænotatis vnum in præsenti supponimus, & aliud in dubium vocamus. Supponimus enim vnitatem numericam dari à parte rei; siquidèm quodlibet indiuiduum à parte rei est ens indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, vltima diuisione; & per consequens est vnum numero. Dubitamus autem vtrum natura humana v. g. præter vnitatem numericam, quam habet in Petro, & Paulo, habeat etiam vnitatem formalem. Et modò non inquirimus, an vnitas formalis, & numerica distinguantur à parte rei: hoc enim continet distinctam, & specialem difficultatem infrà perpendendam.

§. II.

Defenditur communis sententia.

10 Dicendum est, dari à parte rei vnitatem formalem in natura. Hæc conclusio est communis inter discipulos D. Thomæ, & Scoti, quos refert, & sequitur Suarez 7. *Metaph. sect.* 1. Colligiturquè manifeste ex Philosopho 5. *Metaph. textu.* 11. vbi inquit: *Vniuersaliter enim quæcumque non habent diuisionem, in quantum non habent, sic vnum dicuntur; vt si in quantum homo non habet diuisionem, vnus homo; si verò in quantum animal, vnum animal.* Idem docet D. Thom. *opusc.* 42, *capit.* 7.

Probatur assertio ratione; quià vnitas formalis est carentia diuisionis formalis; sed hæc carentia datur à parte rei; ergo & vnitas formalis. Probatur minor nam ideò Petrus habet à parte rei carentiam diuisionis numericæ; quià non est diuisus in plures materias, vel indiuidua; sed nequè est diuisus in plures essentias, vel formas; ergo habet à parte rei carentiam diuisionis formalis.

Confirmatur primò; quià à parte rei non solùm datur distinctio materialis, siuè numerica; sed etiam formalis; nàm sicut Petrus distinguitur numericè à Paulo, ità distinguitur formalitèr ab equo; ergo in Petro non solùm datur vnitas numerica, sed etiàm formalis. Probatur consequentia; quià Petrus nequit ab alio essentialiter distingui per vnitatem numericam, vel materialem: nàm distinctio essentialis, & formalis non potest sumi à materia; sed à forma tanquàm à prima radice; ergo distinctio formalis Petri ab equo, est per vnitatem formalem. Maximè, quoniam carentiæ regulantur per formas oppositas; ergo si præter distinctionem numericam, datur distinctio formalis; paritèr præter vnitatem numericam, vnitas formalis debet admitti.

Confirmatur secundò; nàm à parte rei Petrus, & Paulus habent relationem similitudinis, & identitatis in natura humana; sed hæc relatio debet fundari in vnitate formali; ergo habent a parte rei vnitatem formalem. Probatur minor; quià Petrus, & Paulus in vnitatibus numericis sunt dissimiles, & diuersi, ergo similitudo, quam habent, fundatur in vnitate formali, & non in numerica.

11 Nec refert, si cum aliquibus Modernis, oppositum sentientibus, opponas, primò; nàm secundùm Arist. 5. *Metaphys. text.* 7. solum datur triplex vnitas, scilicet, numerica, specifica, & generica; sed istæ duæ finguntur per intellectum; ergo solùm vnitas numerica est à parte rei.

Respondetur enim, vnitatem specificam, & genericam posse sumi, vel omninò formalitèr; & hoc pacto sunt per intellectum. Vel fundamentalitèr, & sic dantur à parte rei, & non distinguuntur ab vnitate formali. Hæc namquè præbet fundamentum ad genereitatem, & speceitatem; & ideò fundamentaliter est generica, vel specifica.

12 Obijcies secundò; quia vnitas est passio entis; sed non datur nisi duplex ens, reale scilicet, & rationis; ergo non est nisi duplex vnitas, nempè, realis, & rationis; at omnis vnitas realis est numerica, & singularis; ergo non datur à parte rei vnitas formalis. Probatur minor subsumpta; quià omnia, quæ existunt in indiuiduis, sunt singularizata; ergo licèt Petrus verbi gratia sit vnus homo, & vnum animal; tamen nihil horum est realiter commune, sed singulare; ac proindè omnis vnitas realis erit numerica, & indiuidualis.

Respondetur, concedendo omnia, quæ existunt in Petro, esse à parte rei singularizata, & nihil dari realitèr commune. Sed hinc solum sequitur, quod vnitas formalis sit realiter coniuncta cum vnitate numerica, & quod non sit realiter communis omnibus indiuiduis. Cum quo tamen optimè stat, dari non solùm vnitatem numericam; sed & formalem; quià sicut entitas Petri continet principia materialia, à quibus sumitur vnitas numerica, ità continet principia specifica, à quibus sumitur vnitas, & differentia essentialis. Nàm quemadmodùm illa entitas non est diuisa in diuersa indiuidua, & ideò importat vnitatem numericam; ità nequè est diuisa in plures essentias; ac proindè habet vnitatem formalem, & essentialem; licèt tàm principia vtriusque vnitatis, quàm vnitates ipsæ non distinguantur realiter inter se.

13 Tertiò obijcies: quià omnes rationes, & conceptus reales, quos intellectus distinguit in Petro, non efficiunt à parte rei plura entia; ergo non faciunt plura vna; ergo vnitas realis non sequitur rationes formales, etiam reales, sed entitatem singularem; atque ideò omnis vnitas realis est numerica. ¶ Confirmatur; quià vnitas realis in actu est passio entis realis in actu: sed ens reale in actu tantum est singulare, ergo omnis vnitas realis sequitur singularitatem, eritquè proindè indiuidualis.

Respondetur, quòd sicut omnes rationes, quæ in aliquo ente distinguuntur per intellectum, constituunt à parte rei vnum ens: ità vnitas numerica, & formalis efficiunt vnam vnitatem realem, quæ est passio entis realis. Vndè in vna vnitate reali, & vnitas formalis, & indiuidualis inueniuntur: quemadmodùm vna entitas realis complectitur principia, & differentias essentiales, & numericas. ¶ Per quod soluitur confirmatio: nàm licèt vnitas in actu sequatur entitatem in actu; non infertur, quod solùm sequatur singularitatem: quoniàm in ente in actu, præter singularitatem, repetiuntur actu aliæ rationes formales, à quibus potest vnitas formalis oriri.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Vtrum à parte rei detur in natura vnitas formalis, quæ sit communis suis inferioribus?

14 VNitas naturæ dupliciter potest esse communis: primò, negatiuè, quandò nimirum natura non est appropriata alicui supposito: quoniam commune negatiuè idem est, ac non singulare. Secundò, positiuè, scilicèt, cum natura, indiuisa manens, secundùm aliquam rationem reperitur in pluribus. Et hæc diuiditur in numericam, specificam, & genericam. Tùnc vnitas numerica naturæ est communis positiue, quandò eadem numero natura communicatur pluribus suppositis. Quod est proprium naturæ diuinæ, & supponimus nulli naturæ creatæ conuenire. Tùnc verò natura habet vnitatem specificam; vel genericam positiuè communem, quandò indiuisa manens, secundùm gradum specificum, vel genericum, inuenitur in pluribus realiter distinctis, absquè eò, quod in illis realitèr multiplicetur. Et de hac inquirimus, an detur à parte rei in natura?

Cùm autem vnitas dicat entitatem, & negationem (siue ratio formalis constitutiua vnitatis sit negatio, siue entitas cum negatione) possumus loqui, vel de entitate reali, quam importat vnitas formalis hominis v. g. & est ipsa humana natura; vel de negatione, seù de indiuisione, quæ talem naturam consequitur. Præcipua tamen difficultas non est de negatione, an scilicèt in natura humana detur vna indiuisio formalis, quæ sit eadem in omnibus indiuiduis; sed de entitate, seù gradu: vtrum v. g. gradus specificus hominis sit communis positiuè suis inferioribus. Et in hoc sensu discutiemus præcipuè difficultatem; licèt etiam dicemus nonnulla de negatione, vt quæstio plenè absoluatur.

§. I.

Explicatur vnitas diuersis assertionibus.

15 DIcendum est primò, entitatem vnitatis formalis, quam natura habet à parte rei, non esse positiuè communem, aut quid realitèr vnum, & indiuisum in indiuiduis; sed tòt dari in natura vnitates formales, quòt sunt illius singularia. Assertio est communis inter Thomistas contra Scotum. Quam etiam tenent D. August. Damasc. Basil. & Boëtius, vt videre est apud Masium *libr. 2. de Vniuersal. quæst. 3. conclus.* 8. Illamquè docet D. Th. pluribus in locis, præcipuè *opuscul. 55. & 1. part. quæst. 85. art. 2. ad 2. & capit. 4. de ente, & essentia.*

Probatur primò ratione desumpta ex D. Th. quià si natura humana v. g. haberet à parte rei vnitatem positiuè communem suis indiuiduis, talis vnitas conueniret naturæ humanæ secundùm se, & essentialitèr: sed hoc est falsum; ergo non habet à parte rei vnitatem formalem positiuè communem. Major declaratur, & probatur: etenim natura humana potest considerari, vt contracta realiter ad sua indiuidua, vel abstracta per intellectum ab eis, vel secundùm se; quo pacto solùm dicit prædicata essentialia, præscindendo à statu contractionis realis, & abstractionis per intellectum. Sed vnitas formalis, quæ sit à parte rei positiuè communis, non conuenit naturæ per intellectum, vt patet ex ipsis terminis, nequè per realem contractionem ad indiuidua, quia natura prout sic, est singularis; ergo, si datur, conuenit naturæ secundum se; ac proindè erit essentia, vel propria passio naturæ. Quòd autem hoc sit absurdum, sic ostenditur; quià prædicata conuenientia naturæ secundùm se, sequuntur illam in omni statu; sed natura humana in statu contractionis v. g. ad hæcceitatem Petri, non est positiuè communis; sed potius positiuè contracta, & singularis; ergo natura secundùm se sumpta non habet vnitatem positiuè communem.

Confirmatur; nàm prædicata realia conuenientia naturæ secundum se prædicantur etiam de indiuiduis illius; sed vnitas formalis positiuè communis non prædicatur de indiuiduis v. g. naturæ humanæ: absurdum quippè est dicere, quòd Petrus habeat vnitatem positiuè communem; ergo huiusmodi vnitas non competit naturæ secundùm se.

16 Secundò probatur conclusio, quoniam vnitas formalis naturæ identificatur realiter cum vnitatibus numericis; sed impossibile est in creaturis, quod ex iis, quæ identificantur, vnum multiplicetur realiter, alio pariter non multiplicato: ergo vnitas formalis plurificatur realiter ad multiplicationem vnitatis numericæ; sed ista multiplicatur realiter secundùm numerum indiuiduorum naturæ; ergo tot sunt in natura vnitates formales, quot sunt illius indiuidua.

Confirmatur primò; quià vnitas formalis quoad entitatem est ipsa natura: ergo multiplicata natura in indiuiduis, debet eius vnitas multiplicari. ¶ Confirmatur secundò; nam passiones multiplicantur, multiplicata essentia: atqui vnitas est passio entis: ergo multiplicata essentia multiplicatur vnitas: ergo sicut alia est natura Petri, & alia Pauli: ità erit alia vnitas Petri, & alia Pauli.

Si autem inquiras, an sicut in quolibet indiuiduo dantur vnitas formalis, & numerica: dentur etiàm plures vnitates formales pro diuersitate graduum essentialium? Respondetur affirmatiuè, vt patet ex dictis *quæst. præcedenti*. Nàm sicut Petrus v. g. constituitur in esse hominis per rationale; sic etiam constituitur in esse animalis per sensibile, & in esse viuentis per animatum. Et sicut caret diuisione formali specifica per rationale, ità caret diuisione formali generica per sensibile, & sic de alijs: ergo habet vnitates formales pro numero graduum essentialium. Cæterùm sicut omnes gradus essentiales sunt velut partes vnius integræ essentiæ; sic ex omnibus vnitatibus formalibus integratur vna vnitas formalis completa. Et quià vnitas numerica sumitur à differentia indiuiduali, quæ est extrà totam essentiam: magis distinguitur à qualibet vnitate formali, quam ipsæ formales distinguuntur inter se.

17 Dicendum est secundò, naturam à parte rei, & prout est in statu contractionis non esse communem negatiuè: consideratam verò secundum se, habere vnitatem negatiuè communem; vel, quod idem est, non petere esse singularem, sed indifferenter se habere ad singularia. Conclusio quoad primam partem facilè suadetur: nàm quælibet natura à parte rei, & in statu contractionis est positiuè singularis, vt constat ex modò dictis: ergo non est communis negatiuè. Patet consequentia: quoniam commune negatiuè idem est, ac non singulare. ¶ Secunda verò pars sic probatur: sicut homo ex suis prædicatis essentialibus, neque est albus, nequè niger: sed vtrumque accidit illi: ità natura secundùm se, nequè est singularis, nequè vniuersalis; sed vtrumque accidit illi, vt docet D. Thom, *cap. 4. de ente, & essentia* his verbis: *Si quæratur, vtrum ista natura possit dici vna, vel plures, neutrum concedendum est:*

est: quia vtrumque est extra intellectum humanitatis, & vtrumque potest sibi accidere: ergo natura secundùm se est negatiuè communis, id est, secundùm se non est singularis.

Dices; natura secundùm se est communis negatiuè; ergo secundùm se est non singularis; ac proindè non poterit fieri singularis, quod est absurdum. ¶ Respondetur negando consequentiam: nam prima propositio in re est negatiua, & æquiualet huic; *Natura secundùm se non est singularis*, quæ est verissima; cùm singularitas non sit prædicatum essentiale naturæ creatæ. Ex qua non rectè infertur: *Ergo natura secundùm se est non singularis*: quoniam committitur fallacia à negatiua de prædicato finito ad affirmatiuam de prædicato infinito: sicut in ijs: *Homo secundùm se non est albus: ergo secundùm se est non albus*.

18 Vltimò dicendum est, loquendo de vnitate quantum ad carentiam diuisionis, quòd non est à parte rei in natura vna carentia, vel indiuisio; sed tòt sunt negationes diuisionis, quòt indiuidua. Assertio ista manifestè deducitur ex præcedentibus, & sic ostenditur. Multiplicato realitèr subiecto multiplicantur accidentia illius: quoniam accidentia indiuiduantur per subiecta; sed carentia diuisionis se habet per modum accidentis respectu entitatis, quam vnitas formalis importat: ergo cùm hujusmodi entitas realitèr multiplicetur in inferioribus, necessè est carentiam eodem modo diuidi, & multiplicari.

Sed ad perfectiùs intelligenda ea, quæ in his assertionibus diximus, obserua, quòd licèt à parte rei non detur vnitas formalis positiuè communis pluribus indiuiduis; attamèn omnia indiuidua alicuius naturæ habent à parte rei conformitatem, & similitudinem in natura. Non quià in omnibus detur vna entitas, vel vnitas; sed quià natura vnius indiuidui conformis est naturæ alterius in prædicatis essentialibus. Sicut duo homines maximè in facie conformes dicuntur habere eandem faciem: quià facies eorum sunt inter se valdè similes; licèt realiter eandem faciem non habeant. Similitudo enim est velut quædam identitas. Et in hoc sensu veteres Thomistæ concedunt naturæ realem vnitatem conformitatis.

§. II.

Proponitur contraria opinio.

19 PRo opposita sententia asserente vnitatem formalem, naturæ vniuersalis esse à parte rei positiuè communem suis inferioribus refertur Scotus 7. *Metaph. q. 13. & in 2. dist. 3. q. 1.* Quem sequuntur Antonius Andreas, Monlorius, & alij eius discipuli apud Masium, *sect. 2. de Vniuers. quæst. 3.* Et probatur hæc opinio ratione primò: quià à parte rei Petrus, & Paulus sunt vnum formaliter in natura humana: ergo hæc à parte rei est vna in illis; & consequenter habet vnitatem illis positiuè communem. Patet consequentia: nàm quandò aliqua duo realiter distincta sunt vnum in aliqua ratione, talis ratio est vna in illis.

Respondetur, Petrum, & Paulum dici à parte rei vnum formalitèr in natura humana, quià habent conformitatem in illa; non verò per vnam, & eandem entitatem sibi realitèr communem. Vel dicuntur vnum formalitèr; quià licèt vnitas formalis vnius distinguatur realitèr ab vnitate formali alterius: distinctio tamen inter eos non est formalis, cùm non oriatur à principijs essentialibus; sicut distinctio inter duas formas, v.g. inter duas animas non est formalis; sed materialis. Et sic Petrus, & Paulus sunt vnum formalitèr; id est, non distinguuntur formalitèr: tametsi non habeant realiter eandem vnitatem formalem.

Secundò arguitur: nàm inter Petrum, & Paulum est relatio realis similitudinis, siuè identitatis in natura humana: sed huiusmodi relatio fundatur in vnitate formali: ergo est in illis vnitas formalis positiuè communis, & realiter immultiplicata.

Respondetur negando consequentiam: nàm ex præmissis potius sequitur oppositum. Ad relationem quippè realem requiritur distinctio realis, non solùm inter fundamentum, & terminum; verùm etiàm inter rationes fundandi, & terminandi, vt infra dicemus agentes de relatione. Propterea similitudo inter personas diuinas ratione essentiæ non est relatio realis, sed rationis, vt docet D. Thom. 1. *p. q. 28. art. 4. ad 4.* quia, licèt personæ realiter distinguantur, ratio tamen fundandi, & terminandi, nempè diuina essentia est realiter vna in eis.

20 Tertiò arguitur; natura humana, quæ est in Petro, & Paulo, est definibilis vnica definitione: ergo habet aliquam vnitatem formalem in eis realiter immultiplicatam: nihil enim potest definiri, nisi sit realitèr vnum ex Aristot. 4. *Metaph. textu* 10. At hæc vnitas debet esse realis: nàm à parte rei, & non ab intellectu habet res, quòd sit definibilis: ergo &c.

Respondetur, naturam à parte rei habere, quòd sit definibilis remotè, ad quod sufficit vnitas conformitatis, quam habent omnia indiuidua alicuius naturæ. Cæterùm intellectus, prius quam definiat naturam, concipit illam absque singularibus: & ideò præter conformitatem illam realem, datur in natura per intellectum vnitas formalis rationis, vel saltem aliqua denominatio extrinseca; per quam natura constituitur in esse proximè definibilis.

Vltimò probatur; quia quantumuis natura specifica diuidatur per differentias numericas, manet semper indiuisa formalitèr: siquidem vnitates numericæ nequeunt inducere formalem distinctionem: ergo natura est vna formaliter, & conseruat hanc vnitatem formalem in omnibus indiuiduis.

Respondetur, naturam specificam contractam per indiuidua manere in eis vnam formaliter, & indiuisam, non vnica vnitate formali: sed pluribus, & inter se realitèr distinctis. Licet enim differentiæ numericæ non conferant naturæ distinctionem formalem: benè tamen distinctionem realem materialem. Quod sufficit ad hoc, vt vnitas formalis non sit realiter positiuè communis; sed in inferioribus multiplicetur realiter. Vndè fit, quòd natura habeat a parte rei plures vnitates formales, non formaliter inter se distinctas; sed tantum materialiter, vt diximus in solutione ad primum argumentum.

QVÆSTIO IV.

Quomodo in eodem indiuiduo distinguantur vnitas formalis, & numerica?

NOn possumus præsentem difficultatem enucleare, nisi prius examinemus, an præter distinctionem realem, & rationis detur distinctio media? Sed ad vtriusque intelligentiam opus est distinctionis naturam, & differentias prælibare.

§. I.

§. I.

Præmittitur multiplex modus distinctionis.

21 Distinctio ergo in communi est separatio, siue alietas vnius ab alio, & diuiditur in distinctionem realem, & rationis. Distinctio realis est, quæ versatur inter ea, quorum vnum à parte rei non est aliud. Distinctio autem rationis dicitur ea, quæ versatur inter ea, quæ à parte rei sunt vnum, & ab intellectu concipiuntur, vt plura. Et quidem si intellectus ad formandum huiusmodi distinctionem, inueniat fundamentum in rebus intellectis, dicitur distinctio rationis ratiocinatæ; qualis est illa, quæ datur inter gradus superiores, & inferiores eiusdem essentiæ, vt inter animal, & rationale. Si autem absque vllo fundamento à rebus præstito intellectus confingat distinctionem, appellatur rationis ratiocinantis: vt quandò apprehendimus distinctionem, vel identitatem eiusdem ad se ipsum.

Distinctio realis subdiuiditur in negatiuam, & positiuam. Illa est, quæ versatur inter ens, & non ens: vt inter Petrum, & cæcitatem: vel inter duo non entia, vt inter cæcitatem, & surditatem. Et appellatur realis, non quià extrema, sint aliquid reale: sed quia de illis verificatur à parte rei propositio negatiua, iuxtà ea quæ diximus *disp. 2. num. 24.* Distinctio realis positiua est, quæ à parte rei versatur inter duo entia: subdiuiditurque in distinctionem realem entitatiuam, siue rei à re, & distinctionem realem modalem. Prior est, quæ datur inter duas res, vel entitates simpliciter, & absolutè dictas, vt inter Petrum, & Paulum, & inter hominem, & equum. Posterior est, quæ versatur inter rem, & modum, vel inter duos modos, vt inter naturam, & subsistentiam, & inter subsistentiam, & vnionem.

Deindè distinctio realis diuiditur in accidentalem, & essentialem. Illa est, quæ causatur per principia accidentalia: qualis versatur inter hominem album, & nigrum. Ad quam reducitur distinctio numerica: quia licet causetur per aliquid substantiale: est tamen extra essentiam. Distinctio essentialis est, quæ oritur à principijs essentialibus specificis, vel genericis; & ideò subdiuiditur in specificam, & genericam, quarum notitia ex supra dictis facilè constat.

Deniquè distinctio realis alia est includentis, & inclusi, quo pacto totum distinguitur à qualiber parte, vt corpus à brachio: alia excludentis, & exclusi, qua ratione distinguuntur eiusdem corporis partes, & quælibet extrema, quorum vnum est extrà conceptum alterius.

Has omnes distinctiones communitèr admittunt Doctores. Dubitant autem; vtrum detur distinctio media, quæ sit minor distinctione reali, & maior, quam distinctio rationis. Pro cuius luce obseruandum est, quòd distinctio realis potest sumi dupliciter. Primò pro distinctione reali entitariua, & rei a re: & hac ratione distinctio modalis est media inter distinctionem realem, & rationis, vt consideranti cõstabit. Secundò, & frequentius distinctio realis sumitur pro distinctione ante intellectum, siuè detur inter modos, siuè inter res. Et in hoc sensu potest dubitari, an præter distinctionem realem in tota sua latitudine, & distinctionem rationis, detur alia distinctio media.

§. II.

Eligitur commune placitum.

22 Dicendum est primò, distinctionem mediam inter realem, & rationis esse impossibilem. Hæc assertio est communis inter Philosophos, pro qua videantur Soncinas 7. *Metaph. q. 36.* & Sotus *quæst. 3. vniuersalium*. Fundamentum est: quoniam distinctio realis est distinctio, & non ab intellectu; & distinctio rationis est distinctio, & ab intellectu; sed inter distinctionem non ab intellectu, & distinctionem ab intellectu impossibile est dare medium: siquidem esse, & non esse ab intellectu opponuntur contradictoriè: ergo inter distinctionem realem, & distinctionem rationis impossibilis est distinctio media.

Confirmatur: quià distinctio consequitur rationem entis; sed implicat dari ens medium inter ens reale, & rationis, & quod non sit, vel reale, vel rationis: ergo etiàm repugnat dari distinctionem aliquam, quæ sub distinctione reali, vel rationis non comprehendatur.

Sed obijcies in fauorem Scoti, cui opposita opinio communitèr tribuitur: nàm quæ distinguuntur definitione, distinguuntur actualitèr, & ex natura rei; siquidem definitio explicat rei naturam: sed plura distinguuntur definitione, quæ non distinguuntur realitèr, vt constat in actione, & passione, relatione, & fundamento; ergo datur distinctio ex natura rei, quæ neque est realis, neque rationis. ¶ Respondetur, maiorem esse veram, si definitio conueniat rei, prout est à parte rei; si verò illi conueniat secundùm quòd intellectus eam sic, vel sic, apprehendit, falsam esse. Modus enim significandi, & definiendi sequitur immediatè modum concipiendi: & ideò non infertur aliqua distingui ex natura sua, ex eo, quod habeant diuersas definitiones: sed solùm conuincitur distingui per nostros conceptus. Et ad instantias adductas in obiectione suis locis constabit.

23 Dicendum est secundò, vnitatem formalem, & numericam sumptas quo ad entitatem non distingui realitèr, sed solùm distinctione rationis ratiocinatæ: quæ, vt diximus, tantum est fundamentalis à parte rei, & fit actualis, & formalis per intellectum. Ita D.Thom. *cap. 3.* de ente, & essentia, & alibi passim; quem sequuntur omnes Thomistæ aduersus Scotum, & eius discipulos.

Probatur assertio quò ad primam partem: quià indiuiduum non addit supra naturam specificam aliquid, quod à parte rei; vel ab ea distinguatur: ergo vnitas formalis consequens naturam; & vnitas numerica consequens differentiam indiuidualem sumptæ secundum entitatem non distinguuntur realitèr. Consequentia patet, & probatur antecedens: quià si illud, quod indiuiduum addit supra naturam specificam, distingueretur realitèr ab ea; natura haberet à parte rei vnitatem positiuè communem pluribus indiuiduis; sed hoc est falsum, vt constat ex dictis quæstione præcedenti; ergo &c. Probatur sequela: quoniam natura realitèr distincta à singularitate haberet à parte rei vnitatem, qua constitueretur in esse vnius, vt sic possit à singularitate distingui: nam res prius est vna, & indiuisa in se, quam diuisa ab alijs: sed talis vnitas esset realitèr vna, & communis; siquidem natura intra se ipsam nihil habet, per quod possit realitèr plurificari; ergo si natura realitèr distingueretur à singularitate, vnitas eius esset positiuè communis, & realiter indiuisa.

Vndè apparet veritas conclusionis quò ad secundam partem: nam si distinctio inter vnitatem formalem, & numericam non est realis, necessarium est, quòd sit rationis:

tionis; siquidem distinctio media est impossibilis. Ad illius autem formationem ipsæ vnitates præstant fundamentum intellectui: cùm vnitas formalis sumatur a forma, sicut à prima radice; & vnitas numerica à materia signata quantitate. Restat ergo hanc distinctionem esse rationis ratiocinatæ, siuè cum fundamento in re.

24 Dicendum est tertiò, negationem, quam dicit vnitas formalis, distingui realitèr negatiuè à negatione, quam importat vnitas numerica. Ita Caietanus de ente, & essentia *cap. 4. quæst. 6. in fine*. Probatur assertio; quoniam distinctio formalis, & numerica distinguuntur specie: nam prior est essentialis, posterior verò quasi accidentalis; cùm omnes gradus essentiales supponat: ergo negatio distinctionis formalis, & negatio distinctionis numericæ distinguuntur specie: carentiæ enim regulantur per formas oppositas. Sed quæ distinguuntur specie, distinguuntur etiàm numero, & realitèr; ergo datur distinctio realis negatiua inter negationes, quas vnitas formalis, & numerica important.

§. III.

Satisfit argumentis Scoti.

25 Contraria opinio asserens, vnitatem numericam, & formalem distingui actualitèr, ex natura rei in eodem indiuiduo desumitur ex Scoto *in 1. dist. 2. qu. 7. & 2. d. 3. q. 1.* quem sequuntur eius discipuli. Et probatur primò: quia relatio identitatis in natura, quam Petrus dicit ad Paulum, fundatur in vnitate formali, & non in vnitate numerica: & è contrà relatio diuersitatis indiuidualis inter illos, fundatur in vnitate numerica, & non in vnitate formali: ergo istæ vnitates distinguuntur inter se distinctione actuali, & ex natura rei.

Respondetur negando consequentiam; nam licèt in eadem entitate nequeant dari à parte rei relationes solo numero diuersæ, vt dicemus capite de relatione; possunt tamen fundari in illa relationes specie distinctæ. Eadem enim quantitas bicubita est realiter æqualis alteri bicubitæ, & realiter inæqualis tricubitæ. Quod idem contingit in identitate, & diuersitate inter Petrum, & Paulum secundùm diuersas rationes.

Secundò arguitur: quoniam non potest, intelligi additio ante intellectum sine actuali distinctione: sed indiuiduum ante intellectum addit aliquid reale suprà naturam specificam, ratione cuius habet negationem diuisionis materialis: ergo illud additum distinguitur actualitèr, & ante intellectum à natura specifica: atqui ad illud additum sequitur vnitas numerica, sicut ad naturam vnitas formalis: ergo istæ vnitates distinguuntur actualitèr ex natura rei.

Respondetur, quòd licèt vnitas numerica sumatur radicaliter à principio realiter distincto ab eo, ex quò oritur vnitas formalis: ipsa tamen in se, & formaliter accepta non distinguitur realiter à natura: sed est ipsa natura facta hæc per habitudinem ad radicem indiuiduationis. Vndè propriè loquendo per differentiam numericam non additur realiter naturæ, si ly *realitèr* applicetur additioni: quià licet vnitas numerica sit aliquid reale: additio tamen illius ad naturam non est realis actualis, sed virtualis. Quemadmodum iustitia diuina addit aliquid reale supra misericordiam, scilicet, se ipsam: sed quià additio non est realis actualis: sed solùm virtualis: ideò prædicta attributa non distinguuntur ante intellectum. Dicimus tamen differentiam indiuidualem addere supra naturam, quia quodlibet augmentum, etiam rationis, apprehendimus ad instar augmenti quantitatis: vbi propriè inuenitur additio.

QVÆSTIO V.

An vniuersale formaliter sumptum detur à parte rei.

HActenus loquuti sumus de vniuersali materialitèr accepto, siuè ex parte naturæ, quæ denominatur vniuersalis; superest, vt agamus de illo formaliter sumpto, siuè de ipsa vniuersalitate, per quam formaliter constituitur. Et quia vniuersale sic consideratum dicit & vnitatem, & aptitudinem positiuam ad essendum in pluribus: idcircò examinandum est, an prædicta vnitas, & aptitudo conueniat naturæ à parte rei, an verò per operationem intellectus.

§. I.

Resoluitur difficultas duabus assertionibus.

26 DIcendum est primò, vnitatem propriam vniuersalis formalitèr accepti non conuenire naturæ à parte rei; sed per operationem intellectus: ac proindè non dari à parte rei vniuersale formaliter sumptum. Hæc conclusio est communiter recepta, & eam tradit D. Thom. *cap. 4. de ente, & essentia.* Quem sequuntur eius discipuli, & alij plures. Probatur primò ex Philosopho *1. de Anima, cap. 1.* vbi ait: *Animal autem vniuersale, aut nihil est, aut posterius: similiter autem, & si quid commune alind prædicatur.* Quorum verborum sensus est; quòd animal nihil est à speciebus separatum, vt fingebat Plato; est tamen, vt quid posterius, id est, in eis ab intellectu fundatum, & ex earum similitudine desumptum, vt interpretantur Auerr. Alex. Themist. B. Albertus, & alij.

Probatur ratione: quia vnitas propria vniuersalis debet esse positiue communis pluribus: sed hæc non conuenit naturæ à parte rei: ergo tribuitur illi per operationem intellectus. Probatur minor: nam in primis natura non habet hanc vnitatem in statu contractionis; siquidem prout sic positiue contrahitur, & fit singularis; sed neque considerata secundùm se illam importat; cùm solùm dicat prædicata essentialia, & præscindat ab esse vniuersalem, vel singularem: ergo vnitas positiue communis non conuenit naturæ à parte rei.

Confirmatur; nam in hac prædicatione: *homo est vniuersalis*, prædicatum est pro formali ens rationis: ergo vniuersalitas non datur à parte rei. Probatur antecedens; quoniam illud prædicatum nequit esse substantia, cùm conueniat etiam accidentibus; neque est accidens reale, cùm non contineatur in aliquo determinato prædicamento: ergo tale prædicatum est pro formali accidens rationis, quod intellectus attribuit tàm substantiæ, quàm accidenti reali.

27 Dicendum est secundò, aptitudinem ad essendum in pluribus, quàm vniuersale formaliter sumptum importat non conuenire naturæ à parte rei, sed per operationem intellectus. Conclusio recipitur communitèr contra Scotum. Videatur Suarez *6. Metaph. sect. 6.*

Probatur ratione: Quoniam aptitudo propria vniuersalis est positiua indifferentia, & habitudo naturæ simplicitèr vnius ad plura, sicut ad inferiora: sed hæc non conuenit à parte rei naturæ, quæ denominatur vniuersalis: ergo solùm est relatio, siuè habitudo rationis conueniens

ueniens naturæ per intellectum. Probatur, & declaratur minor: quia vel natura consideratur existens à parte rei, & contracta per singularia, & hoc pacto iam determinatè est singularis, & non remanet indifferens ad plura. Vel consideratur secundùm se, & hac ratione, licèt non habeat repugnantiam ad essendum in pluribus indiuiduis, nihilominus non dicit positiuam habitudinem ad illa; sed negatiuè se habet, vt sit vna, vel plures. Nàm in hoc statu solùm dicit prædicata essentialia, ad quorum classem minimè spectat huiusmodi habitudo: alias sequeretur naturam importare illam etiam in statu contractionis, quod est absurdum. Vel denique natura consideratur in statu possibilitatis: & sic adsummum dicit habitudinem ad singularitatem vagè sumptam, idest, ad hanc, vel ad illam; sed non petit essentialitèr ad plura inferiora descendere. Restat igitur, quòd habitudo positiua ad plura inferiora non conueniat naturæ à parte rei.

Dices: natura possibilis non petit essentialiter hanc singularitatem, aliàs esset essentialiter singularis: ergo est indifferens ad plura indiuidua: ac proindè ex se, & non per intellectum dicet habitudinem ad plura. ¶ Confirmatur, quia natura existens, si præscindatur existentia, non est determinata: ergo est indifferens: ac proindè habebit aptitudinem ad essendum in pluribus.

Respondetur, naturam tàm existentem, quàm possibilem secundùm se sumptas, & præscindendo ab existentia solùm esse indifferentes negatiue: quatenus nequè petunt, nequè illis repugnat contrahi potius per hanc singularitatem, quam per illam. Cęterùm ex se non dicunt habitudinem positiuam ad plura indiuidua: nam hic ordo indebitus est naturę possibili; & naturæ existenti repugnat. Vndè, cùm in illo consistat aptitudo propria vniuersalis, sequitur hanc non conuenire realiter naturę, sed ex beneficio intellectus: & consequenter non dari à parte rei vniuersale formaliter sumptum.

§. II.

Solvuntur argumenta contraria.

28 Nihilominùs opinionem oppositam vtrique assertioni defendit Scotus 7. *Metaph. quæst.* 18. quem sequuntur Valles, Monlorius, & alij. Et probatur primò ex Aristot. 1. *Periher. cap.* 4. vbi inquit: *Rerum aliæ sunt vniuersales, aliæ particulares*: ergo sentit dari à parte rei naturas vniuersales, sicut & particulares. ¶ Et confirmatur: nam vniuersale, & particulare non sunt correlatiua: sed à parte rei datur particulare: ergo, & vniuersale.

Respondetur primò ex D. Thom. *ibidem lect.* 10. Philosophum diuidere res, non absolutè; sed vt nominibus significantur: & quia significare conuenit vocibus, media conceptione intellectus: ideò hęc diuisio non competit obiectis prout sunt in se; sed quatenùs referuntur ad intellectum. Vndè Aristot. definit vniuersale, & particulare per actum animę; scilicet per prędicare de vno solo, vel de pluribus. ¶ Secundò respondetur, auctoritatem procedere de vniuersali fundamentaliter sumpto, secus autem de vniuersali formaliter accepto.

Ad confirmationem dicimus vniuersale, & particulare, si realiter, & entitatiue sumantur, nullo modo esse correlatiua; quia non distinguuntur. Si verò singulare consideretur formaliter, prout subijcitur vniuersali: tunc sunt propriè correlatiua, sed neutrum datur à parte rei.

Arguitur secundò; quia obiectum formaliter sumptum, & in esse obiecti precedit potentiam: sed obiectum proprium intellectus est vniuersale: ergo vniuersale formaliter sumptum, & consequenter vniuersalitas sunt ante intellectum.

Respondetur, quòd obiectum intellectus sumptum formaliter in esse obiecti, solùm est vniuersale fundamentaliter: quoniam non constituitur per eandem formam in esse obiecti, & in esse vniuersalis; & ideò stat bene esse formaliter obiectum, & solùm fundamentaliter vniuersale. Quod *infra* magis explicabitur.

Arguitur tertiò; quia vniuersale nequit constitui in esse talis per formam singularem, cùm dicant rationes oppositas: sed quodlibet ens rationis productum ab intellectu est entitatiue singulare; siquidem à causa singulari producitur, ergo non potest constituere vniuersale.

Respondetur, quòd sicut species intelligibilis repręsentans naturam humanam est singularis in essendo, & vniuersalis in repręsentando; ita secunda intentio constitutiua vniuersalis, nempè, vniuersalitas, licèt sit singularis entitatiue, potest esse forma constitutiua vniuersalis. Ad quod non requiritur esse vniuersalem vt *quod*; sed satis est, quod sit vniuersalis vt *quo*. Ad eum sane modum, quo albedo, licèt non sit alba vt *quod*; est tamen proprijssimè forma constitutiua albi; quia est alba vt *quo*: & sicut, si albedo esset alba, vt *quod* non posset constituere album; ita si vniuersalitas esset vniuersalis, vt *quod*, nequaquam illud constitueret.

§. III.

Consectaria doctrinæ hucusque traditæ.

29 Ex dictis infertur, primò: formam constitutiuam vniuersalis, quæ incomplexè dicitur vniuersalitas, non esse negationem, vel priuationem; sed relationem rationis. Quod admittunt communiter DD. Et meritò, quoniam vniuersale non resultat ex eo, quòd intellectus apprehendat non ens ad modum entis; sed quià naturam positiuam concipit cùm ordine ad sua inferiora: ergo vniuersalitas non est negatio, aut priuatio; sed relatio.

Secundò infertur definitionem vniuersalis, quam in principio huius disputationis tradidimus, scilicèt, *vnum aptum ad essendum in pluribus*, esse optimam. Nàm, vt infra declarabimus, in definitione accidentis significati in concreto, debet poni subiectum loco generis, & ratio constitutiua accidentis loco differentiæ. Quod in hac definitione obseruatur: quià loco generis ponitur natura simpliciter vna, quæ est subiectum vniuersalitatis; & propria forma constitutiua vniuersalis, scilicèt ordo ad plura inferiora gerit vices differentiæ.

Vndè infertur tertiò, quidditatiuam definitionem *vniuersalitatis* esse istam: *Vniuersalitas est relatio rationis ad essendum in multis naturæ vnius*. Et ratio est; quià in definitione accidentis significati in abstracto, ponitur loco generis id, quod in definitione concreti gerit vices differentiæ; & loco differentiæ ponitur proprium accidentis subiectum, quod habet rationem generis in definitione concreti, vt patet in his definitionibus: *Simus est nasus curuus*: *Simitas est curuitas nasi* (cuius doctrinæ rationem suo loco expendemus) seu hæc omnia obseruantur in prædicta definitione vniuersalitatis, vt constat: ergo est exacta.

Ex quibus tandem apparet artificium, quo Aristoteles vsus est definiendo vniuersale in concreto: nam subiectum, seu naturam denominatam, significatam per relatiuum *quod* perpetuò collocat loco generis: vt patet 1. *Periher. cap.* 5. *Vniuersale dico, quod de pluribus aptum est prædicari*. 2. *Poster. cap. vltimo. Vniuersale est*,

est, quod est vnum præter multa, quodquè in omnibus illis vnum inest. Et idem reperit in alijs locis. Quem modum definiendi imitatus est Porphyrius in suis definitionibus: & nos obseruare debemus, vt sequamur rectam artem definiendi accidentia, siue realia, siue rationis. In omnibus enim collocandum est subiectum, loco quidem generis, si definiantur in concreto; loco verò differentiæ, quandò definiuntur in abstracto.

QVÆSTIO VI.

Per quem actum intellectus resultet vniuersalitas?

CONstat ex dictis, vniuersalitatem esse relationem rationis, quam supponimus non produci per aliquem sensum; sed solùm per intellectum. Sed quia intellectus est duplex, agens scilicet, & possibilis; & rursùs intellectus possibilis plures sunt actus: idcircò examinandum est, per quam potentiam, & actum istud ens rationis resultet? Ad cuius lucem,

§. I.

Obseruantur aliqua ad difficultatem enodandam.

30 PRimò animaduertendum est, quòd quià nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu, prior est operatio sensus, quam intellectus. Fit autem sensatio per hoc, quod sensus v. g. internus fœcundatus per speciem repræsentatiuam obiecti producit in se speciem expressam repræsentantem obiectum, in qua illud cognoscit. Et species huiusmodi à sensibus internis productæ communitèr appellantur phantasmata.

Cæterùm, cùm obiectum sensus sit quid singulare, intellectus autem vniuersale, vt ait Phil. 1. *Phys.* 5. fit species omnes sensus solùm repræsentare singulare, & cum conditionibus singularibus v. g. Petrum cum hac figura, & colore. Ex quo rursùs sequitur, obiectum, provt sic repræsentatum non posse adhuc percipi ab intellectu, cùm nondum sit vniuersale. Et ideò debet prius ab indiuidualibus conditionibus denudari, vt fiat proximè intelligibile. Ad quod ponitur intellectus agens, cuius proprium est illuminare phantasmata; vt sic species, quæ directè repræsentabat Petrum, repræsentet directè solùm naturam humanam. Et hæc separatio naturæ à conditionibus indiuidualibus dicitur abstractio intellectus agentis.

Deindè intellectus possibilis informatus specie per intellectum agentem producta, producit in se verbum, seu speciem expressam, in qua rerum naturas agnoscit: idquè sequenti ordine. Primò apprehendit rei vniuersalis quidditatem, quin eam alicui inferiori attribuat, vel ab eo remoueat; sed ab vtroque præscindit: & proptereà hæc cognitio appellatur abstractio præcisiua, & pertinet ad primam operationem intellectus. Deindè cognoscit prædictam naturam per ordinem ad inferiora, à quibus potest participari: & quia hoc nequit fieri sine extremorum comparatione, vocatur hæc cognitio comparatiua: & subdiuiditur in simplicem, & compositam. Simplex est, qua per simplicem apprehensionem cognoscimus naturam in ordine ad singularia, quin de hac comparatione aliquod judicium proferamus. Composita verò est cognitio, qua naturam attribuimus singularibus media actuali prædicatione; & sic pertinet ad secundam operationem intellectus.

31 Ex ijs, quatuor colliguntur operationes, nempè abstractio intellectus agentis, abstractio præcisiua intellectus possibilis, comparatio simplex eiusdem intellectus, & deniquè comparatio composita: de quibus procedit præsens difficultas. Nam de alijs operationibus intellectus possibilis, qualis est discursus; receptum communitèr est apud omnes, quòd à nulla illarum vniuersalitas producatur.

Prætereà obseruandum est, vniuersale in repræsentando esse illud, quod æqualitèr est imago plurium, quæ in illo repræsentantur. Quo pacto species intelligibilis naturæ humanæ dicitur vniuersalis: quià repræsentat id, in quo singularia hominis conformantur. Et hoc vniuersale non semel appellat D. Thom. absolutè vniuersale, *vt cap. 4. de Ente & essent. & opusc. 55. & 56.* De quo tamen non procedit præsens difficultas; sed de natura affecta secunda intentione vniuersalitatis: & inquiritur, per quam operationem communicetur illi ea forma rationis, per quam constituitur vniuersalis in essendo, & prædicando.

§. II.

D. Thomæ sententia elucidatur.

32 DIcendum est relationem rationis constitutiuam vniuersalis Logici, quæque nomine incomplexo dicitur vniuersalitas, produci per comparationem simplicem intellectus possibilis. Hanc assertionem satis insinuat D. Th. 1. *p. qu.* 18. *art.* 1. *& in* 1. *dist.* 2. *q.* 1. *art.* 3. Quem sequuntur communitèr eius Discipuli, & alij plures, quos refert, & sequitur Gallego *controuersia* 1.

Probatur ratione primò: quià vniuersalitas non fit per abstractionem intellectus agentis, neque per abstractionem præcisiuam intellectus possibilis, neque per comparationem compositam: ergo solùm resultat per comparationem simplicem. Consequentia patet ex prænotatis; & probatur antecedens quoad omnes partes. Et prima quidem est euidens: nam ens rationis solùm fit à potentia illud cognoscente: sed intellectus agens non est potentia cognoscitiua, vt supponimus ex libris de Anima: ergo vniuersalitas non fit per operationem intellectus agentis.

Secunda autem pars sic ostenditur: tùm quia vniuersalitas, cùm sit ens rationis, resultat per operationem attingentem obiectum alitèr, ac est in se; sed per abstractionem præcisiuam non cognoscitur obiectum aliter, ac est in se; ergo vniuersalitas non fit per abstractionem præcisiuam. Probatur minor; nam abstractio præcisiua consistit in eo, quòd intellectus attingat quidditatem naturæ, negatiuè se habendo circa singularia, id est, non cognoscendo singularia: sed per hoc non cognoscitur obiectum aliter ac est in se, neque aliquid fingitur: vt patet in eo, qui cognoscit colorem pomi, nihil cogitans de sapore illius; ergo per abstractionem præcisiuam non cognoscitur obiectum aliter, ac est in se. § Tum etiàm: quià cognitio productiua vniuersalitatis, & aliarum secundarum intentionum debet esse reflexa, & attingere obiectum, vt prius cognitum: ergo vniuersalitas non producitur per abstractionem præcisiuam. Patet consequentia; quoniam abstractio præcisiua est prima operatio intellectus possibilis, non supponens aliam, suprà quam possit reflecti. Antecedens autem constat ex supradictis *disp.* 2. *quæst.* 5. *nu.* 29. & traditur expressè à D. Th. *opuscul.* 48. *cap.* 2. vbi ait: *Quia intellectus reflectitur suprà seipsum, & suprà ea, quæ in eo sunt, siue subiectiuè*

siue obiectiuè: considerat iterùm hominem à se intellectum sine conditionibus materiæ, & videt, quod talis natura cum tali abstractione intellecta potest attribui huic, & illi indiuiduo; & ideò format intentionem de tali natura, & hanc vocat vniuersale, seu prædicabile.

Tertia deniquè pars facilè probatur: nam vt constat ex definitionibus Aristot. *quæst. præcedenti* relatis, vniuersale constituitur per aptitudinem ad essendum in multis, vel vt prædicetur de illis; ergo actualis prædicatio non facit vniuersalia, seu prædicabilia: sed illa supponit, & facit actu prædicata: at comparatio composita est actualis prædicatio naturæ de suis inferioribus: ergo vniuersalitas non resultat in natura per comparationem compositam.

33 Secundò probatur conclusio ratione à priori: quia relatio rationis, cùm sit ordo vnius ad aliud, debet produci per cognitionem comparatiuam, qua intellectus vnum cum alio conferat: sed vniuersalitas est relatio rationis, vt patet ex dictis; ergo non producitur per abstractionem; sed per comparationem: at non fit per comparationem compositam; siquidem hæc non facit naturam prædicabilem, sed prædicatam; ergo resultat per comparationem simplicem, hoc est, per apprehensionem, qua natura cognoscitur cum habitudine ad inferiora, vt potens in illis esse, & de illis prædicari.

§. II.

Diluuntur argumenta contraria.

34 Aduersùs veritatem modò stabilitam triplex militat sententia. Prima asserit, vniuersalitatem resultare per abstractionem intellectus agentis: cui opinioni subscribunt Soto *quæst. 2. vniuersal.* & alij. Probatur primò authoritate D. Thom. *Opusc. 55.* vbi ait: *Eadem natura, quæ singularis erat, efficitur postea vniuersalis per actionem intellectus depurantis ipsam à conditionibus, quæ sunt hic, & nunc.* Quod etiam docet 1. *p. quæst.* 85. *art.* 1. *ad* 1. Sed actio depurans, naturam à conditionibus, cum quibus existit à parte rei, est propria intellectus agentis; ergo ex mente D. Thom. vniuersalitas resultat per abstractionem illius.

Vt huic authoritati, & alijs argumentis perspicuè satisfiat; animaduertendum est, quod vniuersale est duplex; aliud in repræsentando, & aliud in essendo. Primum est species intelligibilis repræsentans naturam abstractam à singularibus, & dicens transcendentalem ordinem imaginis, vel signi ad naturam communem, quam repræsentat. Vniuersale autem in essendo est vnum aptum esse in multis: & hoc iterùm diuiditur. Nàm aliud est tale solùm negatiuè, & consistit in natura abstracta à singularibus: & hoc solet appellari vniuersale Metaphysicum: quià importat naturam negatiuè communem, & vniuersalem. Omnes enim scientiæ attingunt suum obiectum sub hac negatiua communitate, seu præcisione ab indiuiduis. Dicitur tamen peculiari titulo vniuersale Metaphysicum: vel quià sumit denominationem à digniori scientia: vel quià obiectum Metaphysicæ, scilicet ens transcendit obiecta aliarum scientiarum.

Natura autem sic abstracta, antequam cognoscatur, solùm est vniuersale Logicum fundamentalitèr, & in potentia remota: quandò verò attingitur per abstractionem præcisiuam intellectus possibilis, fit fundamentum proximum vniuersalitatis, & sic est vniuersale fundamentalitèr, & in potentia proxima. Nàm denominatio extrinseca cognitæ, vt abstractæ ab inferioribus, est ratio fundandi relationem rationis ad indiuidua. Vbi verò intellectus naturam sic abstractam, & cognitam apprehendit cum ordine ad inferiora, vt aptam ad essendum in illis; resultat statim in natura relatio rationis, quæ est formalitèr vniuersalitas, & constituit vniuersale Logicum, de quo agimus in præsenti.

Hinc ad authoritatem oppositam respondetur; Angelicum Doctorem solùm intendere, quòd per actionem intellectus agentis producitur vniuersale in repræsentando; quod nihil aliud est, quàm species abstracta à phantasmatibus, vt constat ex modò præmissis. Et natura, quæ in illa specie relucet, solùm est vniuersalis Metaphysicè, & negatiuè; minimè verò Logicè; nisi solùm fundamentalitèr, & in potentia remota.

35 Probatur secundò hæc sententia ratione; nàm intelligibile in actu est vniuersale in actu, cùm obiectum intellectus debeat esse vniuersale: sed natura fit intelligibilis in actu per abstractionem intellectus agentis; ergo per eandem fit vniuersalis in actu.

Confirmatur primò; quia natura abstracta per intellectum agentem habet in intellectu eas conditiones, quas haberet vniuersale Platonicum: ergo est formalitèr vniuersalis. ¶ Confirmatur secundò: nam fieri vniuersale est fieri indifferens: sed natura per abstractionem à singularibus fit indifferens ad ea: ergo fit vniuersalis. ¶ Confirmatur tertiò: quia natura per contractionem ad principia indiuidualia fit singularis; ergo fit vniuersalis per abstractionem ab illis.

Respondetur intelligibile in actu, quod est obiectum proportionatum nostri intellectus, non esse necessariò vniuersale Logicum, cuius forma est relatio rationis ad inferiora naturæ: sed esse vniuersale Metaphysicum, & fundamentalitèr, nimirùm naturam præcisam à singularibus, & negatiuè communem. Vndè stat benè obiectum intellectus, quatenùs formalitèr obiectum est, & intelligibile in actu, esse solummodò fundamentalitèr vniuersale. Sicut licèt obiectum sensus debeat esse singulare, non tamen importat in esse obiecti relationem rationis ad vniuersale, sed naturam, quæ potest fundare illam relationem.

Ad primam confirmationem negatur antecedens; quià natura separata iuxtà opinionem Platonis respiceret positiuè, & vniformiter indiuidua: & sic esset formalitèr vniuersalis. At natura abstracta per intellectum agentem non respicit inferiora: cùm talis ordo sit rationis, qui nequit à potentia non cognoscitiua produci. ¶ Ad secundam respondetur, tunc naturam fieri formalitèr vniuersalem, quandò fit positiuè communis, & indifferens; quod non habet per abstractionem à singularibus, sed per relationem ad illa. ¶ Ad tertiam respondetur, naturam non fieri singularem logicè per realem contractionem ad indiuidua; sed per relationem rationis ad speciem. Et similitèr per abstractionem à singularibus non fit vniuersalis formalitèr, vsquedum referatur ad indiuidua. Quod ex vi actionis intellectus agentis solùm habet fundamentalitèr, & remotè; vltimò autem consequitur per comparationem simplicem intellectus possibilis.

36 Secunda sententia asserit, vniuersalitatem fieri per abstractionem præcisiuam intellectus possibilis. Ita Durandus *in* 1. *d.* 3. *qu.* 2. & alij: quibus fauere videtur D. Thom. 1. *p. q.* 85. *ar.* 2. *ad* 2. vbi docet intentionem vniuersalitatis consequi ad abstractionem intellectus possibilis; *sed quòd humanitas* (inquit) *apprehendatur sine indiuidualibus conditionibus, quod est ipsum abstrahi, ad quod sequitur intentio vniuersalis, accidit humanitati secundùm quod percipitur ab intellectu, in quo est similitudo naturæ speciei, & non indiuidualium principiorum.*

Sed facilè est ex supradictis huic authoritati occurrere: quoniàm illius sensus est, ad abstractionem intelle-

ctus agentis sequi intentionem vniuersalis, eo modo, quo relationes consequuntur fundamentum. Abstractio enim præcisiua disponit vltimò naturam, vt per subsequentem comparationem fiat vniuersalis formalitèr. Et sic vniuersalitas non fit immediatè per abstractionem; sed mediante comparatione simplici.

Deindè suadetur hæc opinio ratione: quià tunc natura fit formaliter vniuersalis, quandò primò cognoscitur, vt subiectum aptum, cui tribuatur vniuersalitas: sed natura abstracta per intellectum agentem est subiectum aptum vniuersalitatis, & cognoscitur primò, vt talis per abstractionem præcisiuam intellectus possibilis: ergo per hanc fit vniuersalis formalitèr. § Confirmatur; quià per abstractionem præcisiuam non accipit natura, quòd sit fundamentum vniuersalitatis: ergo recipit ipsam vniuersalitatem. Probatur antecedens; quià natura abstracta per intellectum agentem est formaliter vna, & indiuisa: ergo est proximè apta vt attribuatur pluribus: ac proindè non accipit esse fundamentum vniuersalitatis per abstractionem præcisiuam intellectus possibilis.

Respondetur, quòd natura per actionem intellectus agentis non fit fundamentum proximum vniuersalitatis; nàm ratio fundandi hanc, & similes intentiones debet esse denominatio cogniti, quam intellectus agens nequit impertiri, & consequenter per abstractionem præcisiuam intellectus possibilis non attingitur natura, vt fundamentum proximum vniuersalitatis: sed solùm secundùm prædicata essentialia, quæ habet à parte rei. Constituit igitur hæc cognitio naturam proximè aptam, vt fiat formalitèr vniuersalis per subsequentem comparationem. Per quod satis constat ad confirmationem; nàm illa vnitas, quam intellectus agens communicat naturæ, solùm est vnitas negatiua: vltra quam requiritur, quòd natura cognoscatur, vt vna formalitèr, & comparatiuè ad inferiora.

37 Tertia sententia asserit, vniuersalitatem resultare per comparationem compositam. Pro qua referuntur aliqui antiqui, quorum fundamentum est: quià vniuersalitas est relatio rationis, qua natura respicit sua inferiora, vt subiecta, in quibus est: ergo fit per comparationem, qua natura tribuitur multis: sed ad hoc requiritur, quòd intellectus exprimat coniunctionem cum illis importatam per verbum *est*: ad quòd vt patet, necessaria est actualis prædicatio: ergo, &c.

Respondetur, vniuersalitatem non conuenire naturæ prout actu est in multis: sed quatenùs apta est esse in illis: & ideò non fit per operationem, qua actu tribuitur multis: sed qua apprehenditur cum ordine ad multà. Ad quod non requiritur comparatio composita seu iudicium, vt constat ex dictis.

DISPVTATIO IV.

De Passionibus vniuersalis.

SICVT aliæ res habent suas passiones; quas de illis scientiæ demonstrant: ità & vniuersale suis gaudet proprietatibus, quarum notitia ad Logicam pertinet. Duæ autèm sunt principaliores, nimirùm esse perpetuum, & esse prædicabile. Quarum prima conuenit vniuersali ex parte materiæ: ipsa quippè natura vniuersalis dicitur, & est perpetua. Secunda autem conuenit vniuersali ex parte formæ: nàm ipsa intentio vniuersalitatis est radix, & ratio, quare natura prædicetur de inferioribus. Cùm ergo essentiam vniuersalis, tàm ex parte materiæ, quàm formæ disputatione præcedenti explicuerimus: rectus ordo postulat, vt de passionibus, quæ illi ex vtraque parte correspondent, in præsenti disseramus.

QVÆSTIO I.

Qualitèr conueniat perpetuitas naturis vniuersalibus.

1 DVplex est perpetuitas: alia positiua, quæ importat principium, ratione cuius potest res durare sine termino: alia negatiua, quæ dicit carentiam principij determinantis rem ad existendum in hoc tempore, potiùs quàm in alio. Supponimus ergo vniuersalia esse aliquo modo perpetua: quià scientiæ agunt de rebus perpetuis, & inuariabilibus, vt ait Aristot. 1. *Post. cap.* 4. Quæ res sunt naturæ vniuersales: nàm de particularibus non datur scientia. Difficultas autem est de modo, quo naturæ vniuersales importat perpetuitatem. Ad cuius lucem obseruandum est ex D. Thom. *in* 1. *dist.* 33. *art.* 1. quod *esse* dicitur triplicitèr; aliud est *esse* essentiæ, quod explicatur per definitionem: aliud *esse* existentiæ, quod est actus essentiæ: aliud *esse*, quod significat veritatem propositionis, secundùm quod *est* dicitur copula. De perpetuitate igitur vniuersalis, quoad hoc vltimum *esse* agemus quæstione sequenti: præsenti autèm videndum est, quo pacto vniuersalia vendicent sibi perpetuitatem essentiæ, & existentiæ.

§. I.

Resoluitur difficultas.

2 DIcendum est primò vniuersalia non esse positiuè perpetua quoad *esse* existentiæ habitæ extra Deum. Hæc assertio est communis inter Catholicos contra Platonem, & probatur: quià omnis existentia est producta à Deo, sicut à primo efficiente, iuxtà illud Ioan-

Ioannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil:* sed Deus ab æterno nullam creaturam produxit, vt constat *Gen.* 1. Ergo vniuersalia non habuerunt existentiam ab æterno; ac proindè non sunt perpetua positiuè quoad esse existentiæ. ¶ Confirmatur: quia vniuersalia, vt constat ex supradictis, sunt in singularibus: sed singularia non habent existentiam perpetuam: ergo neque vniuersalia. Vndè infertur, quòd si perirent omnia indiuidua alicuius naturæ, talis natura nullatenùs maneret existens: quià, vt docet Aristot. *cap. de substantia. Destructis primis substantijs impossibilè est aliquid aliorum remanere.*

3 Dicendum est secundò, vniuersalia secundùm suam essentiam non esse perpetua positiuè; ità vt ab æterno fuerint aliquid extra Deum; sed cum singularibus produci, & corrumpi. Sic docet D. Thom. *quæst.* 3. *de potentia art.* 5. *ad* 2. his verbis: *Quidditas creati, antequam esse habeat, nihil est, nisi fortè in intellectu creantis; vbi non est creatura; sed creatrix natura.* Angelicum Doctorem sequuntur omnes eius discipuli, & communitèr Doctores.

Probatur ratione: quia repugnat vniuersalia habere extrà Deum realem essentiam, & non habere realem existentiam: sed naturæ vniuersales non habuerunt ab æterno existentiam extrà Deum: ergo neque essentiam. Probatur maior: nam repugnat essentiam vniuersalium esse extrà Deum, nisi ex vi alicuius actionis diuinæ: siquidem non sunt entia à se, sed ab alio: sed omnis actio productiua terminatur ad rei singularis existentiam: ergo impossibile est, quòd vniuersalia habeant ab æterno essentiam extra Deum, & quòd careant existentia.

Confirmatur: nam si essentiæ rerum habuissent ab æterno aliquod esse reale extra Deum, nihil posset in tempore produci per propriam creationem; hoc autem est absurdum; ergo &c. Probatur sequela; nam creatio est productio totius entis secundùm omnem eius realitatem: sed si essentiæ præcessissent ab æterno, in aliquo esse reali extrà Deum, iam effectus non producerentur secundùm essentiam; sed secundùm existentiam; ergo non possent in tempore terminare veram creationem.

4 Dicendum est tertiò vniuersalia secundùm essentiam esse perpetua negatiuè. Ita D. Thom. 1. *p. q.* 16. *art* 7. *ad* 2. quem sequuntur communiter Doctores. Probatur assertio ratione: quia illud est negatiue perpetuum, quod de se nullum habet principium, à quo corrumpatur: sed vniuersalia secundùm suam essentiam nullum habent principium corruptionis: ergo sunt perpetua negatiue. Probatur minor: nam generatio, & corruptio sunt in singularibus: sed vniuersalia secundùm suam essentiam à singularibus præscindunt: ergo secundùm suam essentiam non important principium corruptionis.

Confirmatur, & explicatur primò: quia sicut vniuersalia secundum suam essentiam nullum determinant locum: ita nullum sibi determinant tempus: sed ex eo, quod nullum sibi vendicant locum, dicuntur negatiue immensa: ergo quia nullum sibi tempus determinant, sed indifferenter se habent ad omnes illius differentias, debent dici, & esse perpetua negatiue.

Confirmatur secundò exemplo materiæ primæ, quo vtitur D. Thom. *loco citato*: quoniam materia prima secundum se est vna negatiuè propter remotionem omnium formarum distinguentium, per quas trahitur ad istam, vel illam speciem: sed vniuersalia secundum se non habent determinationem ad hoc, vel illud tempus: ergo sunt perpetua negatiue.

Cæterum sicut vnitas negatiua, quam materia habet ex se non tollit, quin positiue plurificetur per formas, & tot habeat vnitates positiuas, quot habet formas; ità perpetuitas negatiua vniuersalium non impedit quin verè, & realiter generentur, & corrumpantur ad corruptionem singularium. Quod docent Aristot. 1. *Poster. cap.* 9. & D. Thom. *ibidem.* Corruptis tamen singularibus, potest dici, quòd vniuersalia manent tripliciter. Primò in virtute suarum causarum. Secundò in ideis diuinis. Tertiò in speciebus intelligibilibus, quæ illa repræsentant intellectui angelico, vel humano.

§. II.

Satisfit argumentis contrà secundam assertionem.

5 Aduersus secundam conclusionem. §. *præcedenti* stabilitam sentiunt aliqui antiqui, asserentes rerum essentias esse positiue perpetuas; eo quod ab æterno habeant extra Deum realitatem essentiæ, quàm vocant entitatem diminutam. Cui opinioni suffragari videtur Scotus. *in* 1. *dist.* 35. *qu. vnica*: & probatur primò: nam ea, quæ continentur in prædicamento, sunt aliquid extra Deum: sed naturæ vniuersales, priusquam existant, continentur in prædicamento: rosa enim siue existat, siue non, pertinet ad prædicamentum substantiæ: ergo vniuersalia semper sunt aliquid extra Deum: non realitate existentiæ: ergo essentiæ.

Respondetur essentias vniuersalium, priusquam existant, non posse actu, & realiter contineri in prædicamentis; siquidem actu in se sunt nihil. Dicuntur tamen esse in prædicamento potestatiue; quia ex suo conceptu obiectiuo dicunt entitatem à Deo producibilem, quæ ad aliquod prædicamentum debet pertinere. Maximè cùm essentiæ non collocentur in prædicamentis ratione suæ entitatis, vt exercitæ, vel ratione modi essendi, quem habent in se, aut in sua causa; sed repræsentatiue, ratione prædicatorum essentialium, quatenus a modo essendi præscindunt.

6 Probatur secundò; quia quæ sunt vnum, & idem habent eandem entitatem; sed natura vniuersalis est eadem, antequam existat, & postquam sortitur existentiam: eadem enim semper est essentia rosæ v. g. ergo natura vniuersalis, priusquam existat, habet eandem entitatem, quà gaudet post existentiam: sed postquam existit, habet entitatem essentiæ extra Deum: ergo illam habet etiam, priusquam existat.

Respondetur ea, quæ sunt vnum, & idem positiue, habere eandem entitatem, vt animal, & rationale, quandò existunt in Petro: ea autem, quæ solùm negatiue sunt vnum; opus non est, vt eandem entitatem importent. Vndè, quia natura vniuersalis, antequam existat, & postquam existit, solum est vna negatiue (siquidem ante existentiam est nihil in se, & post existentiam est aliquid; sed nihil, & aliquid non possunt esse positiue vnum) ideo non sortitur eandem entitatem. Dicit nihilominus obiectiue eadem prædicata essentialia, quoniam hæc abstrahunt a modo essendi; & ita sunt perpetua negatiue.

7 Probatur tertiò; quia ab æterno est uerum dicere; *Homo est animal*: ergo ab æterno dantur *homo*, & *animal*; non quoad realitatem existentiæ: ergo secundum realitatem essentiæ; & consequenter essentiæ vniuersalium ab æterno sunt aliquid extra Deum.

Respondetur entitatem, in qua fundatur veritas illius propositionis, non esse entitatem creatam hominis, & animalis: sed exemplaria diuina, in quibus repræsentantur homo, atque animal, & quæ prout sic ab ipso Deo non distinguuntur. Cæterum ad perfectiorem argu-

reenti enodationem, & huius solutionis intelligentiam sit.

QVÆSTIO II.

An propositiones vniuersales sint æternæ veritatis?

8 VEritas, vt sumitur ex D. Thom. 1. *p. qu.* 16. *art.* 1. *&* 2. diuiditur in transcendentalem, & formalem. Veritas transcendentalis est adæquatio rei cum intellectu: ità vt veritas prius sit in intellectu, & ab eo deriuetur ad res: quo pacto dicitur verum aurum, quod habet conformitatem cum idea auri existente in intellectu diuino. Veritas formalis consistit in adæquatione intellectus cum obiecto, quandò, scilicèt, aliquid affirmatur, vel negatur conformitèr ad res significatas. Et in hac veritate formali duo possunt considerari: nimirum illud, quod se habet vt formale, & illud quod requiritur vt fundamentum. Primum consistit in cognitione, & enuntiatione connexionis inter prædicatum, & subiectum; & ideò repetitur formalitèr in intellectu: secundùm autem est ipsa connexio, & vnio illarum rerum; inter quas fit enuntiatio, quod proindè se se tenet ex parte obiecti, & ipsarum rerum.

Huiusmodi autem identitas, & vnio inter prædicatum, & subiectum (quæ meritò dici potest veritas fundamentalis) diuiditur in positiuam, & negatiuam. Tunc aliqua habent identitatem positiuam, quandò important eandem realitatem, & entitatem, vt animal, & rationale in Petro, dùm existit. Tunc autem est identitas negatiua inter aliqua, quandò nulla est diuersitas inter illa. Et ideò tandiù erit inter ea identitas negatiua, quandiù non fuerit diuersitas: est enim hæc identitas carentia diuersitatis.

In præsenti ergo duo supponimus vt certa: primum est, veritatem fundamentalem sumptam pro identitate positiua inter extrema propositionum vniuersalium non fuisse ab æterno. Et ratio, suppositis, quæ diximus *quæst. præcedenti*, est perspicua: quoniam illa extrema non fuerunt ab æterno positiuè: ergo nullam potuerunt habere inter se vnitatem positiuam. Secundùm est, veritatem fundamentalem acceptam pro identitate negatiua inter subiectum, & prædicatum illarum propositionum esse perpetuam. Cuius ratio est: quia identitas negatiua nihil aliud est, quam carentia diuersitatis: sed inter extrema huius propositionis v. g. *homo est rationalis*, non fuit ab æterno, neque potuit esse diuersitas: ergo fuit, identitas negatiua. Difficultas autem est vtrum propositiones vniuersales, & necessariæ habuerint ab æterno veritatem propriam, & formalem supra explicatam.

§. I.

Elucidatur vera sententia.

9 DIcendum est, propositiones vniuersales necessarias habere perpetuam, & actualem veritatem formalem, siuè res existant, siuè non: ac proindè vniuersalia quò ad istam veritatem formalem fuisse ab æterno. Ita Aristot. 1. *Post. cap.* 9. & D. Thom. 1. *p. quæst.* 10. *art.* 3. *ad* 3. Quos sequuntur communiter Doctores: videatur Masius *sect.* 2. *de vniuersalibus: quæst.* 9. vbi D. August. Anselm, & Porph. adducit in fauorem huius sententiæ.

Probatur ratione: quoniam formalis veritas propositionis non est in ipsis rebus; sed in intellectu cognoscente connexionem inter prædicatum, & subiectum: sed diuinus intellectus cognouit ab æterno necessariam connexionem inter extrema istarum propositionum v. g. *homo est rationalis: albedo est qualitas*, & similium: ergo ipsæ habuerunt ab æterno formalem veritatem. Maior constat ex dictis, & minor suadetur: nam huiusmodi propositiones sunt enuntiabilia necessaria: ergo diuinus intellectus non potuit manere suspensus circà illa; sed ea ab æterno cognouit.

Confirmatur primò: nàm istæ propositiones sunt in materia necessaria: ergo nequeunt habere veritatem suspensam, & indeterminatam: ergo fuerunt ab æterno veræ, vel falsæ. Si primum, habetur intentum: si secundum, ergo verum fuit ab æterno tales propositiones esse falsas.

Confirmatur secundò: quoniam ex duabus contradictorijs in materia naturali vna debet esse actu, & determinatè vera: sed huiusmodi sunt eæ propositiones, *homo est animal, homo non est animal*: ergo ab æterno altera fuit actu, & determinatè vera: ac proindè vniuersalia sunt perpetua, & æterna quantum ad veritatem formalem.

§. II.

Conuelluntur argumenta contraria.

10 OPpositam nihilominùs sententiam asserentem propositiones vniuersales, & necessarias non habuisse ab æterno veritatem in actu, sed solùm in potentia defendunt D. Bonauentura, Okam, & alij, quibus subscripsit Zumel, 1. *p. quæst.* 10. *art.* 3. *quæst. vnica, conclusione*, 2. Fundamentum illorum est: quia propositio nequit esse actu vera, nisi obiectum illius actu sit: nàm ab eo, quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa, vt ait Aristot. *in Postpræd.* at naturæ vniuersales neque quoad essentiam, neque quoad existentiam sunt ab æterno actu; sed solùm in potentia: ergo propositio, quæ versatur circa illas, non est actu vera ab æterno, sed solùm potestate.

Confirmatur primò: nàm vt propositio sit actu vera, debet dari actu vnio, & connexio inter prædicatum, & subiectum: sed ab æterno inter hominem, & animal non fuit vnio in actu, siquidem non fuerunt ab æterno homo, & animal: ergo hæc propositio, *homo est animal*, non fuit actu vera ab æterno.

Confirmatur secundò quia in propositione verbum debet esse indicatiui modi, & temporis præsentis: sed quod significat cum tempore, nequit significare ab æterno; ergo nulla propositio habuit veritatem actu æternam.

Respondetur, veritatem illarum propositionum non regulari penès id, quod illarum obiectum importat in se ipso; sed secundum ea, quæ dicit ex suo conceptu obiectiuo, & quod in ideis diuinis repræsentatur. Quoniam in propositionibus necessarijs verbum *est* non significat cum tempore; sed abstrahit ab omni differentia temporis, vt est commune pròloquium Dialecticorum. Vndè ad hoc, quòd ista propositio, *homo est animal*, sit vera ab æterno, non requiritur, quod ab æterno homo, & animal fuerint aliquid in se ipsis, vel quod, inter hæc extrema intercessesit vnitas, & identitas positiua; sed sufficiens fuit identitas negatiua extremorum, & quod eorum essentia repræsentaretur diuino intellectui. Nam hoc ipso Deus non potuit manere suspensus; sed necessariò cognouit hominem esse animal: Per quod satis constat ad vtramque confirmationem.

11 Arguitur secundò; quia hæc propositio, *homo est* viuens,

viuens, est essentialis, & tamen non est æternæ veritatis: ergo &c. Probatur minor. Tùm quia ad vitam hominis requiritur vnio animæ ad corpus, quæ non fuit ab æterno. Tùm quia homo aliquandò est mortuus: ergo non semper est viuens; ac proindè veritas illius propositionis non est perpetua.

Respondetur negando minorem; ad cuius primam probationem dicendum est, quòd licèt ab æterno non fuerit vnio positiua inter animam, & corpus; fuit tamen vnio negatiua: quia neque homo fuit aliquandò non viuens, neque datur homo absque vnione inter animam, & corpus. Et hoc sufficit ad veritatem prædictæ propositionis: quia non dependet ab eo, quod res est in se; sed ab eo, quod, dicit secundùm se, prout ab omni modo essendi præscindit. ¶ Ad secundam probationem respondetur cadauer illud, in quod resoluitur homo, abusiuè, & impropriè appellari hominem: propriè enim loquendo nunquàm homo est mortuus: quia desinit esse homo, quandò moritur.

12 Tertiò probatur: quoniam hæc propositio, *Christus est homo*, est essentialis, cum Christus verè sit indiuiduum naturæ humanæ: & tamen non habet veritatem æternam: ergo &c. Probatur minor: quia, vt docent Theologi cum D. Th. 3. *p.q.* 50. *art.* 4. Christus in triduo mortis eius, non fuit homo; ergo prædicta propositio in illo triduo fuit falsa.

Respondetur, quòd in triduo mortis Christi non fuit Christus, in quantum Christus significat hunc hominem: quia defecit vnio inter animam, & corpus illius, licèt Verbum manserit vnitum seorsim animæ, & seorsim corpori. Vndè hæc propositio, *Christus est homo*, semper est vera: quia nunquam est Christus, quin sit homo. Quandò autem Theologi asserunt, Christum in triduo non fuisse hominem, non intendunt, quod in illo triduo fuerit Christus; sed docent ad veritatem mortis eius necessarium fuisse, quòd desierit vnio inter animam, & corpus, & consequenter, quòd desierit esse homo. Quod minimè aduersatur nostræ assertioni.

QVÆSTIO III.

Quid, & quotuplex sit prædicatio?

EXplicata prima passione vniuersalis, quæ conuenit illi ratione naturæ, restat, vt explicemus prædicabilitatem illi conuenientem ratione formæ. Et quia prædicabilitas est aptitudo naturæ, vt prædicetur de pluribus, ad perfectam illius notitiam oportet explicare naturam, & species prædicationis. Cùm autem prædicationes fiant nominibus concretis, & abstractis: aliqua de ijs ad principalis difficultatis decisionem prælibanda sunt.

§. I.

Prænotantur nonnulla circa concreta, & abstracta.

13 PRimò statuendum est, concreta accidentium eandem rem significare, ac eorum abstracta. Quæ est expressa doctrina Philosophi *cap.* de substantia, vbi ait: *Nomen albi, nisi qualitatem nihil significat.* Quod etiam tradit D. Tho. 7. *Metaph. lect.* 1. & admittunt communiter Doctores. Suadetur breuiter: nàm hæc prædicatio, *homo est albus*, est accidentalis, & in materia contingenti: ergo res significata per prædicatum potest esse, & abesse à subiecto: sed quod sic potest adesse, & abesse solùm est qualitas, & non subiectum; ergo sola qualitas, & non subiectum significatur per nomen *album*.

Confirmatur: quia si subiectum esset pars significati nominis concreti, iam concretum accidentale esset ex parte rei significatæ ens per accidens; siquidem importaret res diuersorum prædicamentorum; nimirum, accidens, & substantiam: sed hoc est absurdum: Ergo &c. Probatur minor: quoniam Aristoteles, & communiter Philosophi definiunt concreta accidentium; & docent artem definiendi illa: Constat autem entia per accidens non posse definiri, cùm non importent vnam essentiam, sed plures: Ergo concreta accidentalia non sunt entia per accidens; sed eandem rem significant, ac illorum abstracta.

Cæterùm quamuis abstractum, & concretum in re, significata conueniant; differunt tamen in modo significandi. Abstractum enim significat formam ad modum per se stantis; & quasi subiecto non inhæreret, neque per ordinem ad illud acciperet entitatem. Nàm significatio conuenit vocibus mediante conceptione intellectus: hic autem, cùm præcisiuus sit, potest seorsim intelligere ea, quæ in re sunt coniuncta. Et ideò licèt accidens inhæreat subiecto, potest apprehendi per se, & ita significari. Vndè ait D. Thom. *opusc.* 42. *cap.* 19. quòd, *Quia illud, quod per se accipitur ab alio separatum, videtur per se existens; ideò designatur nomine abstracto, quod significat remotionem eius ab alio. Et hoc modo abstracta accidentium significant formas, quæ quidem inhærent; sed non significant eas per modum inhærentium.* At nomen concretum significat eandem formam, vt alteri innitentem; ac proindè significat illam concernendo subiectum. Quapropter concretum accidentale dicitur connotatiuum; quia ex modo significandi connotat subiectum, in quo est forma, quam significat.

14 Ex quo discrimine, quod est præcipuum inter concreta, & abstracta accidentium, alia tria principalia infert Angelicus Doctor, *opusc.* 69. *lect.* 2. Primum est, quòd abstracta per se ipsa sunt talia, vt albedo; sed concreta sunt talia per abstracta, vt album est album per albedinem. ¶ Secundum est abstracta significare formas puras, & cum præcisione ab alijs accidentibus, cum quibus communicant in eodem subiecto; concreta verò significant formas sine illa præcisione. Cuius differentiæ ratio est; quia illud, quod abstractè consideratur, significatur vt constitutiuum alterius, & *quo* aliud est tale; *albedo* enim significat id, quo subiectum est album; sed nihil est album nisi per id præcisè, quod pertinet ad rationem albedinis: ergo huiusmodi abstracta significant formam cum præcisione ab alijs. Concretum verò ex modo significandi, importat subiectum, vt *album* id, quod habet albedinem; sed ex eo, quod subiectum habeat albedinem, non prohibetur habere alias qualitates; ergo concreta significant formam absque præcisione ab alijs. Vndè oritur, quòd abstracta diuersarum specierum non prædicentur adinuicem, licèt sint in eodem subiecto; hæc enim est falsa, *albedo est dulcedo*; concreta verò possunt de se mutuò prædicari, sicut *album est dulce*. ¶ Tertium discrimen est, quòd abstracta sumantur, vt partes, concreta autem, vt tota. Licèt enim significent eandem rem; abstractum tamen significat, *vt quo* aliquid est; concretum verò, *vt quod* habet formam; & ideò ex modo significandi abstractum sumit vt pars formalis concreti; & concretum sicut quoddam compositum ex subiecto, & accidenti. Vndè fit, quòd abstractum non prædicetur de concreto; quoniam pars nequit prædicari de toto. De quo iterùm agemus.

§. II.

§. II.

Resolutio dubij.

15 PRædicatio ergo, seu propositio est oratio enuntiatiua, in qua scilicèt prædicatum attribuitur subiecto; & diuiditur in identicam, disparatam, & mediam. Identica est in qua idem prædicatur de se ipso; disparata est, in qua prædicatum nullam habet connexionem, cum subiecto; media verò in qua prædicatum, & subiectum habent inter se connexionem, licèt non omnimodam identitatem.

Relictis autem prædicatione identica, & disparata; media rursùs diuiditur in directam, & indirectam. Directa est, cuius subiectum habet à parte rei rationem materiæ, & prædicatum rationem formæ. Indirecta verò est, in qua contingit oppositum: Vndè hæ propositiones *homo est animal, & homo est risibilis* sunt directæ, & earum conuertentes indirectæ. Nàm cùm modus prædicandi sequatur modum essendi, vt sumitur ex Aristotele 5. *Metaphysic. textu.* 14. & forma sit in subiecto, & non è contra: consequens est, illam prædicationem esse directam, in qua ponitur vt subiectum id, quod verè est subiectum; & vt forma id, quod verè est forma; & è conuerso in prædicatione indirecta.

Et quia superius habet rationem formæ respectu inferioris: intelligitur enim quasi contrahi, & recipi in inferiori, vt animal se habet ad hominem: idcircò quoties superiùs prædicatur de inferiori, talis prædicatio est directa: *vt homo est animal*. Oppositum autem contingit, quandò inferiùs prædicatur de superiori; tunc enim licèt prædicatum in se sit forma, prædicatio est indirecta, *vt si dicas: animal est rationale*. Vt ergo propositio sit directa, requiritur, & sufficit, quòd prædicatum sit superiùs respectu subiecti, vel saltèm æquale habens rationem formæ: vt in hac prædicatione, *homo est risibilis*.

Deniquè prædicatio directa, & formalis diuiditur in essentialem, & accidentalem. Essentialis est, in qua prædicatum est de essentia subiecti: accidentalis verò, in qua prædicatum accidit subiecto, siuè sit entitatiuè substantia, siuè accidens.

16 Ex dictis sequitur primò, hanc propositionem: *Hoc animal est homo* esse directam, si designetur aliquis homo singularis; & disparatam, si designetur equus; vel indiuiduum alterius naturæ. Cuius ratio est: quia propositionem esse directam, vel indirectam, regulandum est penès suppositum, seu id, pro quo subiectum supponit: quia in nominibus maximè attenditur ad modum significandi: sed designato Petro ly *hoc animal* supponit pro Petro; & designato Bucephalo supponit pro quodam equo; licèt animal ex se solam animalitatem significet: ergo in primo casu est directa, & disparata in secundo.

Dices: hæc prædicatio indefinita, *animal est homo*, est indirecta: ergo etiam eius singularis, scilicèt, *hoc animal est homo*. ¶ Respondetur negando consequentiam: nàm in prima propositione ly *animal* non solùm significat gradum superiorem ad hominem; sed etiàm supponit pro illo: quod non contingit in secunda, vt explicatum est.

17 Infertur secundò, propositiones, in quibus diuersa accidentia de se inuicem in concreto prædicantur, esse directas; cùm tamen eædem, si fiant in abstracto, sint disparatæ. Istæ enim sunt directæ, *album est dulce: dulce est album*; istæ verò disparatæ, *albedo est dulcedo: dulcedo est albedo*. Ratio est, quia prædicatum significatur vt forma: subiectum autem, vt materia: cùm ergo concretum accidentale significet formam, & ex modo significandi supponat pro subiecto: quandò in huiusmodi propositionibus ponitur à parte subiecti, non solùm supponit pro subiecto (quod habet ex se) sed talem suppositionem exercet propter situm propositionis. Quandò verò ponitur à parte prædicati, licèt non amittat suppositionem, impeditur tamen ab exercitio illius ex situ propositionis, & magis attenditur in eo res significata, scilicet, forma. Vndè cùm illa propositio sit directa, in qua forma prædicatur de subiecto; sequitur prædictas prædicationes esse directas: siquidem in illis concretum positum à parte subiecti stat pro supposito; collocatum verò à parte prædicati importat formam. Qua etiàm ratione post incarnationem Verbi hæ sunt directæ, *homo est Deus: Deus est homo*: quoniam vtraque natura diuina, & humana sunt in eodem supposito, pro quo subiectum supponit.

Colligitur tertiò, solam prædicationem directam esse propriè, & absolutè prædicationem, & ad scientias pertinere: vt docet Porphyr. *capit. de specie*, his verbis: *Nàm aut paria de paribus, aut maiora de minoribus prædicentur, oportet; minora vero de maioribus non oportet.* Propter quod aliæ prædicationes *identicæ, disparatæ, & indirectæ*, à prædicabilibus excluduntur: ad quæ solùm pertinent prædicationes formales, & directę. A quibus similitèr excluditur prędicatio, in qua definitio, prędicatur de definito: quia licèt essentia significata per definitionem sit ens per se; tamen, vt significatur nomine complexo, deficit à simplicitate prędicabilium.

QVÆSTIO IV.

Quomodo prædicationes fiant in nominibus primæ intentionis?

NOmina, quibus exerceri possunt predicationes, alia sunt primę intentionis, & alia secundę, quę explicuimus *disput.* 2. *num.* 28. Ex quibus, quędam sunt abstracta, quędam verò concreta: alia substantialia, vt *homo, humanitas*: alia accidentalia, vt *album albedo*. In hac ergo quęstione explicabimus qualitèr verificentur prędicationes in nominibus primę intentionis, de aliis in sequenti acturi. Et quatuor sunt combinationes, de quibus dubitari potest; an scilicèt concreta prędicentur de concretis: an abstracta de abstractis: an abstracta de concretis: & an concreta de abstractis. Quę omnia hac quęstione complectimur, illud in primis supponentes, quod hęc difficultas procedit de propositionibus affirmatiuis: negatiuę enim nequeunt per se ad aliquod prędicabile pertinere.

§. I.

An concreta prædicentur de concretis.

18 DIcendum est primò, propositiones, in quibus concreta de concretis prędicantur, siuè sint accidentalia, siuè substantialia, esse veras, vt *homo est animal, album est coloratum: homo est albus*, & similes. Assertio est D. Thom. *de ente, & essentia, cap.* 5. & communitèr admittitur. Probatur breuitèr: nam, vt *suprà* diximus, concretum significat formam cum aliis permixtam, & sumitur vt totum: ergo ex modo significandi non præscindit ab ijs, quę reperiuntur in eodem subiecto: at *homo*; *animal, album, & coloratum* sunt

in eodem supposito: ergo possunt de se ad inuicem prędicari.

Dices, prędicatum debet continere subiectum: sed animal, & coloratum non dicunt, quidquid est in homine, vel albo: ergo nequeunt de illis prędicari. Probatur minor: nàm homo addit supra animal humanitatem, & album suprà coloratum differentiam constitutiuam albedinis. ¶ Confirmatur; quia pars nequit prędicari de toto: sed animal est pars hominis, & coloratum albi: ergo non possunt prędicari de illis.

Respondetur, quod animal (& idem est de colorato) potest considerari, vt pars actualis, & vt totum potentiale. Primo modo componit metaphysicè hominem, ac proindè non est superiùs ad illum, nequè de illo prædicatur. Secundo modo est superiùs ad hominem, equum, & alias species; continet namquè confusè, & in potentia omnes earum differentias: vndè non est pars, sed totum; & sic prædicatur de inferioribus. Per quod satis constat ad confirmationem.

§. II.

An abstracta prædicentur de abstractis.

19 VT certum supponimus, prædicationes inter abstracta accidentium, quorum vnum est de essentia alterius, esse veras, & formales, vt *albedo est color; color est qualitas*. Nàm accidentia significata in abstracto sunt entia per se, & ponuntur in prædicamento, habentquè genera, & species, vt posteà dicemus.

Eadem certitudine statuendum est, prædicationes inter abstracta substantialia, in quibus prædicatum non est de essentia subiecti, esse omninò falsas, vt *rationalitas est animalitas, & animalitas est rationalitas*. Ratio est: quia quandò prædicatum non est de essentia subiecti; prædicatio est accidentalis: vt autem propositio accidentalis sit vera, requiritur, quòd prædicatum significetur adiectiuè, seu per modum alteri adiacentis: quod non conuenit abstractis: siquidem significantur ad modum per se stantis: ergo quoties abstractum positum ex parte prædicati non est de essentia abstracti positi ex parte subiecti, prædicatio est omninò falsa.

Sed difficultas est, an sint veræ prædicationes, quæ fiunt inter abstracta substantialia, quorum vnum est de essentia alterius, quo pacto se habet animalitas ad humanitatem; & ita inquirimus, vtrum sicut istæ prædicationes sunt veræ, *homo est animal, animal est corpus*; ita etiàm istæ sint veræ, & admittendæ, *humanitas est animalitas, animalitas est corporeitas*. Et procedit difficultas in sensu formali; non in sensu identico: quia euidens est, eandem rem esse realitèr humanitatem, & animalitatem.

20 Ad decisionem huius difficultatis obseruandum est, abstractionem esse in duplici differentia: aliam vniuersalem, vel totalem; aliam verò formalem. Abstractio totalis est, qua vniuersale abstrahit à particulari, & totum potentiale ab inferioribus, quæ continet in potentia, vt animal ab homine, & equo. Formalis est, qua forma abstrahitur à materia, vel ab eo, quod habet rationem materiæ, vt accidens à subiecto. Et quia forma habet rationem partis respectu compositi, quod constituit; indè fit, rem abstractam abstractione formali, solùm dicere provt sic ordinem ad concretum, à quo abstrahit; non vero ad inferiora, si quæ habet alias. Nomina autem dicuntur abstracta ab hac abstractione formali, & non ab abstractione totali. Quod constat: tùm quia animal, & viuens abstrahunt abstractione totali à suis inferioribus: & tamen non sunt nomina abstracta, sed concreta. Tùm etiàm, quia à quolibet concreto quantumuis singulari formatur nomen abstractum, vt à Deo Deitas, & à Petro petreitas.

21 Dicendum est secundò, prædicationes istas, *humanitas est animalitas; animalitas est corporeitas*, & similes, in quibus prædicatum est de quidditate subiecti, esse veras, & admittendas absolutè. Hæc assertio est communior inter Thomistas, & probatur: quia, vt prædicatio sit vera, sufficit, quòd prædicatum contineat in potentia quidquid continet subiectum in actu: sed in hac propositione, *humanitas est animalitas*, prædicatum continet in potentia; quidquid continet subiectum in actu: ergo &c. Probatur minor; nàm si propter aliquam rationem animalitas non diceret in potentia, quidquid continet humanitas; maximè quia animalitas abstrahit ab abstractione formali: at hæc ratio est nulla: ergo &c. Probatur minor: quia hęc ratio dumtaxat probat, animalitatem reduplicatiuè, quatenùs abstrahit abstractione formali non prędicari de humanitate: cùm provt sic solùm comparetur ad suum concretum, scilicet animal, vt pars formalis illius. Minimè autem conuincit, quòd animalitas absolutè sumpta non prędicetur de illa: quia cum abstractione formali compatitur abstractio totalis, & vniuersalis ab inferioribus. Anima enim abstrahit formalitet ab animali, quod est concretum illius: vniuersalitèr autem ab anima vegetatiua, & sensitiua, de quibus proindè absolutè prędicatur.

Confirmatur: quia istę prędicationes, hęc *humanitas Christi est humanitas; hæc animalitas est animalitas* sunt absolutè verę; & communitèr admittuntur: ergo etiàm ista, *humanitas est animalitas*. Probatur consequentia: tùm quia humanitas est quędam animalitas. Tùm à paritate: quia sicùt humanitas addit animalitati principium specificum, ità hęc humanitas addit humanitati principium indiuiduale: sed hoc non obstante ista prędicatio, *hæc humanitas est humanitas*, est absolutè vera: ergo & ista *humanitas est animalitas*, & alię huiusmodi.

Obserua tamen, quòd sicut abstracta accidentium sunt entia per se, & ponuntur directè in prędicamentis, & propriè denominantur vniuersalia, & prędicabilia; illorum autem concretis totum hoc conuenit reductiuè. Ità è contrario, concreta substantialia sunt simplicitèr entia, & ponuntur per se in prædicamento, ac recipiunt simplicitèr intentiones vniuersalis, & prædicabilis, quod eorum abstractis solùm reductiuè competit. Vndè licèt illa propositio *humanitas est animalitas*: & similes sint absolutè veræ; tamen non pertinent directè, & per se ad prædicabilia.

22 Oppositum huius assertionis tuentur Scotus *in* 1. *d*. 2. *q*. 7. Nimph. 3. *Met*. *q*. 2. & alij, quorum opinio suadetur primò ex D. Thom *contra Gentes, cap*. 81. & alibi sæpè; vbi docet abstracta substantialia significare, vt partes, & cum præcisione aliorum: ergo vnum non potest prædicari de alio. Patet consequentia; quia jam animalitas esset genus, & quoddam totum. ¶ Confirmatur ex Auicenna, qui, vt refert D. Th. *de ente, & essentia, cap*. 3. dixit, quòd *Equinitas tantùm est equinitas*: ergo non est animalitas.

Respondetur, D. Thom. solùm docere huiusmodi abstracta esse partes, & sumi cum pręcisione respectu sui concreti, vel suppositi: id enim expostulat abstractio formalis, à qua denominantur abstracta. Cęterùm id non impedit, quòd respectu inferiorum possint aliquo modo induere rationem totius: licèt non sint genera, & species simplicitèr; sed reductiuè, vt constat ex dictis. ¶ Ad confirmationem respondetur, Auicennam solùm excludere ab equinitate prędicata, quę non conueniunt illi secundum se, qualia sunt esse vniuersalem, vel singularem; minimè vero prędicata generica, & essentia-

lia,

lia, vt est animalitas.

23 Secundò arguitur: quia ad veritatem prędicationis requiritur, quòd prędicatum importet saltem confusè, & in potentia quidquid subiectum dicit in actu: sed hoc non conuenit animalitati respectu humanitatis: ergo non potest prędicari de illa. Probatur minor: quia animalitas est nomen abstractum: sed omne abstractum habet rationem partis: & neque actu, neque potentia continet id, à quo abstrahitur: ergo animalitas non continet quidquid humanitas dicit in actu.

Respondetur, quòd abstractum ratione abstractionis formalis habet rationem partis, & prout sic nequit de suo concreto prędicari: cęterùm hinc non sequitur esse incapax abstractionis vniuersalis, vi cuius induat rationem totius respectu suorum inferiorum. Vndè licet animalitas non possit prędicari de animali; respectu cuius habet rationem partis; potest tamen prędicari de humanitate, & equinitate, in ordine ad quas sortitur conditionem totius; vt constat exemplo animę in fauorem nostrę assertionis adducto.

24 Arguitur tertiò; nàm animalitas est constitutiuum animalis, & humanitas constitutiuum hominis; sed constitutiuum hominis non est constitutiuum animalis: ergo humanitas non est animalitas. Probatur minor; quia homo, & animal sunt diuersa constituta, & concreta; ergo constitutiuum eorum non est idem.

Respondetur, animalitatem sumptam, vt constitutiuum animalis considerari reduplicatiue, vt abstractam abstractione formali; sub qua ratione respicit precisè suum concretum, scilicèt animal, & pręscindit ab humanitate. Cùm hoc tamen optimè cohęret, prędictam animalitatem absolutè sumptam habere rationem totius potentialis respectu suorum inferiorum: de quibus proindè possit verè prędicari. Sicut animal, vt est pars metaphysica hominis nequit prædicari de illo: benè tamen, vt induit rationem totius. Vndè ad argumentum concessa majori, & minori, distinguendum est consequens: & si ly *animalitas* sumitur formaliter sub ratione constitutiui, & partis, concedenda est consequentia; neganda verò est, si accipiatur absolutè.

§. III.

An concreta prædicentur de abstractis, & abstracta de concretis?

PRo huius difficultatis solutione obseruandum est, quòd cùm abstractum significetur, vt pars concreti; tunc propriè habet rationem abstracti, quandò concretum aliquid aliud præter ipsum includit: sicut homo præter humanitatem importat personalitatem, & album præter albedinem dicit subiectum. Quandò autem abstractum non est pars concreti, neque concretum aliquid præter abstractum includit: tunc, licèt ex modo significandi, abstractum significetur, vt ratio formalis, qua concretum est tale; nihilominùs ex parte rei significatæ habent omnimodam identitatem. Ex hoc pacto se habent abstracta, & concreta in diuinis, vt *Deus*, & *Deitas*, & in prædicatis transcendentibus, vt *ens*, & *entitas*. His suppositis.

25 Dicendum est tertiò, in prædicatis generalibus, & diuinis abstracta verè prædicari de concretis, & è contra; secùs autem in prædicatis particularibus creatis. Ità D. Thom. 1. p. q. 3. a. 3. & 1. 2. q. 55. a. 4. ad 1. estquè communis Doctorum consensus.

Probatur prima pars assertionis; quoniam ad veritatem prædicationis sufficit, & requiritur identitas inter prædicatum, & subiectum: sed idem est *Deitas*, & *Deus*, & similitèr idem est *ens*, quòd *entitas*; siquidem in his terminis concretum nihil superaddit abstracto; vt obseruauimus: ergo istæ prædicationes *Deus est Deitas*, *Deitas est Deus*, & *ens est entitas*, *entitas est ens*, & similes sunt veræ, & admittendæ absolutè.

Secunda verò pars sic ostenditur: nàm, vt prædicatio sit vera, requiritur adæquatio, & identitas inter prædicatum, & subiectum: quæ minime intercedit inter partem strictè dictam, & compositum: sed in prædicatis particularibus abstractum est rigorosa pars sui concreti; & propterea non sunt idem realitèr concretum, & abstractum: ergo in ijs non prædicatur de concreto, neque è contra. Vndè istæ prædicationes sunt falsæ: *humanitas est homo*, *albedo est album*.

26 Sed objicies: nàm hæ propositiones sunt veræ: *linea est quanta*, *superficies est quanta*, & illas concedunt Dialectici: ergo in prædicatis particularibus concreta prædicantur de abstractis.

Respondetur primò cum Masio, in ea prædicatione lineam sumi, vt concretum: cuius ratio est, quia linea habet rationem abstracti, quatenùs est mensura subiecti; gerit verò munus concreti, quatenùs est mensurabilis per aliam. In prædicta autem propositione non sumitur linea in ratione mensuræ, sed mensurabilis: vndè non sequitur, quòd concretum prædicetur de abstracto, cùm ibi linea sumatur in vi concreti.

Secundò respondetur ex D. Thom. *in 4. distinct. 12. quæstion. 1. articul. 1. quæstiuncula 3. ad 3.* quantitatem, quippè substantiæ propinquiorem, habere in prædicando, & subijciendo modum substantiæ, & accidentis: & propterea linea dicitur, & quantitas, & quanta. Quantum enim est, quod habet extensionem partium: habere autem partes extra partes conuenit quantitati ex se: vndè à se ipsa denominatur quanta. Quocirca ex hac instantia, non potest desumi argumentum ad alia prædicata particularia creata.

QVÆSTIO V.

Quomodò prædicationes fiant in nominibus secundæ intentionis?

27 SEcundæ intentiones possunt comparari, vel cum primis, vel inter se. Et si comparentur ad primas dicendum est, quòd sicut accidentia realia significata in abstracto non prædicantur de subiecto; non enim dicimus *Homo est albedo*; ità secundæ intentiones in abstracto significatę non prędicantur de primis: falsum enim est dicere: *Animal est genereitas*. Sed sicut accidentia realia in concreto verè prædicantur de substantia, vt *Homo est albus*; ità secundæ intentiones in concreto verè prędicantur de primis, vt *Animal est genus*.

Obserua tamen, (id quod suprà iam insinuauimus) abstracta substantialia, vt *humanitas*, *animalitas* non dici species, vel genera, nisi solùm secundùm quid, & per reductionem ad sua concreta, quibus istę intentiones simplicitèr conueniunt; & similitèr concreta accidentalia, vt *album*, *coloratum* non denominari genera, seu species, nisi secundùm quid, & per reductionem ad sua abstracta. Cuius ratio est; quia in recta linea prædicamentali (quæ est series prædicabilium) non ponuntur directè, nisi entia completa, & per se: abstracta autem substantialia non sunt entia completa, quia significantur, vt pars; concreta verò accidentalia, & si completa, non sunt entia per se; quia significantur adinstar rei compositæ ex diuersis prædicamentis: & ideò prædicabilitas simplicitèr,

pliciter, & per se non conuenit abstractis substantialibus, neque concretis accidentalibus; sed concretis substantiæ, & abstractis accidentium. Quæ est expressa doctrina D. Thom. *de ente & essentia*, *cap.* 4. & *capit.* 7.


28 Si autem comparatio fiat inter ipsas secundas intentiones, certum est secundam intentionem, quæ est de essentia alterius, posse optimè prædicari de illa, siuè prædicatio fiat inter abstracta, siuè inter concreta. Nàm sicut verè dicimus; *Albedo est color, album est coloratum*; ità verè affirmamus, *Genereitas est vniuersalitas, genus est vniuersale*. Neque in hoc est vlla difficultas, vel differentia inter hæc accidentia rationis, & accidentia realia.

Quandò autem plures secundæ intentiones, quarum vna non est de essentia alterius, insunt eidem subiecto; tunc erit vera prædicatio inter ipsas significatas in concreto, vt *subijcibile est prædicabile*; falsa autem si significentur in abstracto, vt *subijcibilitas est prædicabilitas*. Quoniam ad verificandam prædicationem inter concreta accidentalia, sufficit identitas subiecti, vt suprà diximus, agentes de accidentibus realibus. At abstractum non prædicatur verè de abstracto, nisi sit de essentia illius; quia ex modo significandi non prædicatur accidentaliter, & per modum adiacentis alteri, sed essentialiter, & per se.

Hic obserua, quòd sicut aliqua accidentia realia habent inter se repugnantiam, & nequeunt conuenire eidem subiecto, & propterea non possunt ad inuicem prædicari, neque in abstracto, neque in concreto; falsò enim dicimus, *Albedo est nigredo, & album est nigrum*. Ità etiàm dantur quædam secundę intentiones pugnantes inter se, & quæ non valent eandem naturam denominare; vndè inter illas falsa erit prędicatio, siuè in abstracto, siuè in concreto fiat, vt si dicas, *Genereitas est differentialeitas, & genus est differentia*.

29 Deniquè dicendum est, quòd licèt in iis intentionibus abstractum non prędicetur de concreto in prędicatis particularibus, sicut diximus de nominibus primę intentionis; potest tamen concretum prędicari de abstracto, in quo secundę intentiones distinguntur à primis. Ratio est; quia vna secunda intentio significata in abstracto potest esse fundamentum alterius, & sic induere conditionem primę respectu illius. Quidquid enim potest esse obiectum intellectus, potest esse subiectum alicuius secundę intentionis; quia nullum est obiectum, cui intellectus non valeat aliquam intentionem impertiri. Vndè quandò vna secunda intentio est capax denominationis alterius, potest hęc significata in concreto prędicari de illa sumpta in abstracto. Qua ratione, istę sunt verę, *vniuersalitas est genus, & genereitas est species vniuersalitatis*.

Sed obijcies; si vna secunda intentio potest esse fundamentum alterius; & hęc alterius, & sic de alijs, dabitur processus in infinitum, quod videtur inconueniens. ¶ Respondetur, talem processum non solùm non repugnare, sed esse necessarium in iis intentionibus. Istę enim consequuntur actus intellectus, in quibus concedendus est talis processus: nàm data qualibet intellectione potest intellectus eam actu reflexo intelligere, & hanc rursus alio actu, & sic in infinitum, Videatur D. Thom. 5. *Metaph. lect.* 12.



QVÆSTIO VI.

An vniuersalia sint tantùm quinque?

QVemadmodum Aristoteles omnes modos essendi reuocauit ad certas coordinationes, quas appellauit prędicamenta; ità Porphyrius omnes modos prędicandi reduxit ad quędam capita, quę vniuersalia, seu prędicabilia nuncupauit. Et licèt communi calculo receptum sit, ea esse tantùm quinque, videlicet, *genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens*: quia tamen in contrarium nonnulla sunt argumenta, ideò tritam sententiam ad examen euocamus. Ad cuius decisionem prǽmittendum est, quòd licèt in prę̨senti frequentius vtamur nominibus concretis, generis, speciei &c. quia hęc sunt magis vsitata: mens tamen prę̨cipuè ad illorum abstracta refertur, scilicet ad genereitatem; specieitatem &c. Vndè inquirendo quot sint vniuersalia, legitimus sensus est, quot sint vniuersalitates, seu intentiones constitutiuę vniuersalium.

§. I.

Elucidatur communis sententia.

30 DIcendum est, vniuersalia, seu prædicabilia esse tantùm quinque. Ita Porphyrius in præsenti, D. Thom. 1. *contra gentes*, *cap.* 31. & communitèr Doctores. Vt autem ratio huius assertionis melius percipiatur, supponendum est propriam, & essentialem rationem, cuiuslibet accidentis, siuè realis, siuè rationis sumi ex proprio, & adæquato subiecto, quod respicit, vt ostendemus disputatione sequenti. Propter quod cùm accidentia definiuntur in abstracto (quo pacto habent rigorosam definitionem) ponitur ipsum subiectum loco differentiæ. Vndè ad cognoscendas species alicuius accidentis generici, optima via erit inuestigare subiecta adæquata, & inter se diuersa intra illud genus. Tot enim erunt differentiæ diuisiuæ illius generis: & per consequens cognoscetur numerus specierum eius.

Hinc facilè probatur assertio: quia tòt sunt species vniuersalitatis, quòt sunt naturæ diuersæ in ratione subiecti vniuersalitatis: sed istæ sunt tantùm quinque: ergo. Probatur minor: quia natura simplicitèr vna, quæ est subiectum vniuersalitatis, vel est natura perfectibilis, quæ subijcitur *genereitati*: vel est natura perfectiua, quæ subijcitur *differentialeitati*: vel est natura perfecta, quæ subijcitur *specieitati*: vel est natura profluens ab essentia, quæ subijcitur *proprietati*: vel denique est natura extrinseca, & contingens, quæ subijcitur, *accidentaleitati*. Sed isti modi naturæ in ratione subiecti vniuersalitatis, sunt essentialitèr, & adæquatè inter se distincti: neque possunt alij excogitari: ergo naturæ diuersæ in ratione subiecti vniuersalitatis sunt tantùm quinque.

Minor quoad primam partem sic ostenditur: quoniam natura perfectibilis comparatur ad inferiora, vt quid potentiale, & per modum materiæ: natura perfectiua, vt actus, & forma: natura perfecta, vt tota essentia constituta ex potentia, & actu: natura profluens, vt quid necessariò coniunctum cum essentia. & tandem natura extrinseca, vel contingens comparatur ad inferiora, vt quid potens adesse, & abesse ab illorum essentia: ergo isti modi naturæ sunt essentialitèr, & adæquatè inter se diuersi.

Secunda verò pars sic probatur: quia natura vna, & com-

communis solùm potest comparari ad inferiora, vel vt illis essentialis, vel vt illis accidentalis. Si primum: vel habet rationem potentiæ, vel rationem actus, vel est constitutum ex vtroque: nequè alius modus est possibilis: cùm in essentia præter actum, & potentiam, & compositum ex vtroque nihil sit. Si secundum: vel comparatur, vt accidens proprium, & profluens ab essentia, vel vt accidens commune, conueniensquè ab extrinseco: nequè est possibilis alius modus: nàm commune idem est, ac non proprium; quod proprio opponitur contradictoriè: ergo non possunt excogitari alij modi.

§. II.

Satisfit argumentis in contrarium.

31 Contrà stabilitam veritatem sunt diuersa argumenta: alia conantur ostendere, species vniuersalitatis esse plures quinque; alia verò esse pauciores. Primum suadetur primò ex Aristot. 1. *Topic. cap.* 12. docente, tòt modis dici vnum contrariorum, quòt dicitur aliud: sed vniuersale, & singulare opponuntur, & singularia sunt infinita: ergo & vniuersalia. § Confirmatur ex eodem 4. *Metaph. cap.* 1. vbi ait, tòt esse partes vniuersalis, quòt entis: sed partes entis, nimirùm prædicamenta sunt decem; ergo decem erunt vniuersalia.

Respondetur, dictum Philosophi verificari de oppositis formalitèr, quatenùs opposita sunt; sic enim quot sunt modi, vel acceptiones vnius, tot debent esse alterius. Sed indè non sequitur, tot esse subiecta materialia vnius, quot habet aliud; vt patet in albo, & nigro, quæ sunt contraria, & tamen non requiritur, tot supposita esse nigra, quot sunt alba. Sic ergo licèt vniuersalitas, & singularitas sint intentiones oppositæ, & prout sic formalitèr, quot modis dicitur vna, dicatur & alia; nihilominùs non infertur, quòd si subiecta singularitatis sint infinita, debeant etiam esse infinita subiecta propria vniuersalitatis.

Ad confirmationem respondetur, Aristotelem loqui de vniuersali materialitèr accepto: & sensum esse, quòd tot sunt naturæ reales, quæ possunt dici vniuersales, quot sunt partes entis. Nos autem hic loquimur de vniuersalitate, & de numero ipsarum intentionum.

32 Deindè arguitur; nàm existentia, definitio, & indiuiduum vagum prædicantur de pluribus; ergo sunt prædicabilia; siquidem ab actu ad potentiam benè valet consequentia; & nihilominùs non continentur inter prædicabilia à nobis assignata; ergo prædicta diuisio est insufficiens.

Respondetur, existentiam esse complementum, & terminum substantiæ, ac proindè ens incompletum; vndè simplicitèr loquendo non comparatur ad aliqua inferiora; sed solùm respicit essentiam, quam terminat, & respectu cuius habet suo modo rationem accidentis quinti prędicabilis. Quia licèt non possit abesse à subiecto, quin illud physicè, seu realiter destruatur, benè tamen quin destruatur metaphysicè, vt infra dicemus. Si autem intellectus abstrahat existentiam ab omnibus existentiis, erit analoga suis inferioribus, sicut essentia, seu ens; & ideò non potest esse vniuersalis simpliciter. Si verò sola existentia substantię, vel alterius prędicamenti abstrahatur, & prędicetur de inferioribus; tales prędicationes reducentur ad illud prędicabile, cuius similitudinem sortiuntur, vt contingit in aliis entibus incompletis.

Ad instantiam de definitione respondemus, illam excludi à numero prędicabilium quia est terminus complexus; & de ratione vniuersalis est, quòd sit natura vna simpliciter, non solùm in essendo; sed etiam in significando.

Per quod patet ad tertiam instantiam; nàm indiuiduum vagum, vt *quidam homo*, est terminus complexus. Pręterquam quòd indiuiduum vagum solùm addit naturæ communi modum quendam particularitèr subsistendi: qui, cùm sit entitas incompleta, nequit constituere particulare prædicabile; sed reducitur ad naturam, quam modificat. Videatur Arauxo 3. *Metaph. quæst.* 4. *art.* 1.

33 In alio extremo, vniuersalia esse pauciora, quam quinque suadetur primò: quia prædicabilitas est tantùm duplex: ergo & vniuersalitas, cuius est passio. Probatur antecedens: nàm prædicabilitas, cùm sit aptitudo ad prædicationem directam, debet iuxta illam multiplicari: sed prædicatio directa tantùm est duplex; videlicet essentialis, & accidentalis: ergo &c.

Respondetur species subalternas prædicabilitatis (& idem intellige de vniuersalitate) tantùm esse duas, vt argumentum probat: infimas verò esse quinque. Nàm prędicatio directa immediatè diuiditur in essentialem, & accidentalem: & posteà subdiuiditur in quinque species infimas prædicationis, iuxta quinque modos specie diuersos, quibus natura potest comparari ad inferiora.

Secundò arguitur: quia differentia subalterna, & infima non constituunt diuersa prędicabilia; etiàm si subalterna prędicetur de differentibus specie, & infima de differentibus numero; sed genus, & species solùm penès hoc distinguuntur; ergo non constituunt diuersa prędicabilia.

Respondetur negando minorem; nàm pręcipua diuersitas inter genus, & speciem non consistit in eo, quod illud prędicetur de speciebus, & ista de indiuiduis; sed in eo, quod genus prędicatur per modum naturę potentialis, & perfectibilis; species verò, vt natura integra, & perfecta. Quod discrimen non reperitur inter differentiam subalternam, & infimam; quia vtraque prędicatur de suis inferioribus eodem modo, nimirùm vt natura perfectiua, & per modum actus.

34 Tertiò opponitur; quia omne accidens completum habet inferiora propria, de quibus essentialiter prędicatur; ergo est genus, vel species: ergo quintum prędicabile superfluit, quia coincidit cum genere, aut specie.

Respondetur, accidens non constituere quintum prędicabile, quatenus comparatur ad sua inferiora, de quibus essentialiter prędicatur; sed quatenùs prędicatur de subjectis, quę accidentaliter denominat, vt in hac prędicatione, *homo est coloratus*. Quod suo loco magis constabit.

Quartò, & vltimò arguitur; quia vniuersalia sunt quędam attributa, & prędicata dialectica, quę de pluribus enuntiantur; sed Aristoteles 1. *Topic. cap.* 4. & 5. quatuor tantùm prędicata dialectica enumerat; scilicet genus, definitionem, proprium, & accidens: tot ergo, & non quinque sunt prędicabilia.

Respondetur, Aristotelem in eo loco non agere de speciebus vniuersalitatis, cùm ibi recenseat definitionem, quę non est vniuersalis simpliciter, vt patet ex supradictis. Numerat ergo prędicata, ex quibus depromi valeat argumentum ad problemata, seu propositiones, quæ in alterutram partem possunt disputari. Et quia idem argumentum ab specie, & differentia illius constitutiua delumitur; propterea non nominauit eas singulatim; sed sub definitione comprehendit. Vndè constat prædicabilia non coincidere cum prædicatis dialecticis: prædicabilia enim sunt entia completa, incomplexa, & apta esse in pluribus; prædicata verò dialectica solùm impor-

importans quędam loca, ex quibus sumitur argumentum ad propositiones problematicas.

QVÆSTIO VII.

An vniuersale sit genus ad quinque prædicabilia?

NOn procedit difficultas de vniuersali materialiter sumpto, seu natura denominata, sed solùm de relatione vniuersalitatis comparata ad genereitatem, specieitatem, & alias intentiones constitutiuas quinque prędicabilium.

§. I.

Legitima decisio difficultatis.

35 DIcendum est, vniuersalitatem esse verum genus ad has quinque intentiones. Ità colligitur ex D. Thom. 1. *contra gentes cap.* 32, quem sequuntur communitèr Thomistæ. Idem etiàm docet Scotus, *quæst.* 8. *vniuersalium*, cui subscribunt eius discipuli.

Fundamentum est: quia genus est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid: sed vniuersalitas prædicatur in quid, seu essentialiter de genereitate, specieitate &c. quæ differunt specie inter se: ergo vniuersalitas est genus ad has quinque intentiones. Probatur minor: nàm imprimis inquirenti, quid est genereitas, vel specieitas? optimè respondemus, est vniuersalitas: sicut inquirenti, quid est homo? respondetur esse animal: ergo vniuersalitas prædicatur in quid, siuè essentialitèr de his intentionibus. Quòd autem ipsæ non numericè, vel accidentaliter distinguantur inter se, patet ex quæstione præcedenti. Deniquè, quòd omnes vniuoce, & æqualitèr participent conceptum vniuersalitatis, facilè constat: siquidem omnibus propriè conuenit esse relationes rationis, quibus naturæ abstractæ referuntur ad plura; in quo consistit essentia vniuersalitatis: nequè in hac ratione vna dependet ab alia. Igitur concurrunt omnia requisita, vt vniuersalitas sit propriè genus respectu istarum intentionum.

§ II.

Diluuntur argumenta opinionis aduersæ.

36 B. Albertus Magnus *tract.* 2. *prædicamentorum, capit.* 9. cui adhærent nonnulli, negat istam diuisionem esse generis in species. Et probatur primò hæc sententia: nàm accidentaleitas non est vniuersalitas simpliciter; sed solùm secundùm quid: ergo diuisio vniuersalitatis in sua inferiora non est generis in species; sed analogi in analogata. Probatur antecedens: quia subiectum vniuersalitatis simplicitèr dictæ debet esse vniuocum: sed proprium, & accidens, quæ constituunt quartum, & quintum prædicabile, & sunt subiecta accidentaleitatis, non sunt vniuoca: ergo &c. Probatur minor; quia denominatiua non sunt vniuoca, vt expressè docet Aristot. *in antepradicamentis, cap.* 1. constat autem proprium, & accidens esse denominatiua; siquidem constituuntur per ordinem ad subiecta, quæ accidentalitèr denominant; ergo non sunt vniuoca.

Confirmatur; quoniam subiectum vniuersalitatis simpliciter dictæ debet esse ens per se; sed accidens proprium, & commune quatenùs constituunt quartum, & quintum prædicabile, non sunt entia per se: ergo vniuersalitates quarti, & quinti prædicabilis solum sunt tales secundum quid. Probatur minor; quia concretum accidentale non est ens per se; at proprium, & accidens, cùm prædicantur prædicatione quarti, & quinti prædicabilis, necessariò prædicantur in concreto, ergo &c.

Respondetur ad argumentum, negando antecedens, ad cuius probationem dicendum est, accidens propriũ, & commune esse simul denominatiua, & vniuoca; quia intentiones denominationis, & vniuocationis possunt coincidere materialiter in eodem subiecto, de factoquè coniunguntur in 4. & 5. prædicabili. Album enim est denominatiuum per ordinem ad formam denominantem, nempè albedinem; prout autem comparatur ad inferiora, in quibus æqualiter reperitur, dicitur vniuocum. Nec oppositum docet Aristoteles loco relato; sed solùm intendit, denominatiua reduplicatiuè quatenùs talia, & ex vi formę denominantis, non esse vniuoca. Quod est verissimum; sed non aduersatur nostrę assertioni.

Ad confirmationem respondetur, quod licèt concretum accidentale sumptum ex modo significandi pro composito ex subiecto, & accidenti sit ens per accidens; tamen ex parte rei significatę est ens per se; quia album, vt suprà vidimus solam qualitatem significat. Concretum autem accidentale non suscipit intentiones constitutiuas quarti, & quinti prędicabilis, vt dicit compositum ex forma, & subiecto, sed pręcisè quatenùs importat formam. Quia illud est subiectum accidentaleitatis, quod prędicatur denominatiuè de inferioribus; in hac autem prędicatione, *Homo est albus* (quę est quinti prędicabilis) sola albedo prędicatur denominatiuè de homine; non verò albedinis subiectum, vt ex se constat. Debet tamen forma significari in concreto; quia ista prędicabilia prędicantur in quale, & per modum adiacentis.

37 Arguitur secundò; quia vniuersale est superiùs ad prędicamenta, & de illis prędicatur; sed suprà prędicamenta non datur genus; ergo vniuersale non est genus. ¶ Confirmatur; ideò ens non est genus, ad sua inferiora, quia prędicatur de vltimis eorum differentiis; sed vniuersale prędicatur de differentiis quinque prędicabilium; ergo non est genus ad illa. Probatur minor; nàm differentia est vnum ex quinque prędicabilibus; ergo quęlibet differentia est vniuersalis, & sic vniuersale prędicatur de qualibet differentia.

Respondetur, quod supra prædicamenta non datur aliquod vniuocum eis essentiale, quod per modum generis de illis prædicetur; vniuersalitas autem tribuitur illis accidentaliter, & denominatiuè per operationem intellectus. ¶ Ad confirmationem dicendum est, ad rationem transcendentis requiri, quod prædicetur essentialiter de differentiis; quod minime conuenit vniuersalitati respectu differentiarum quinque prædicabilium; hæc enim est falsa; *Differentia constitutiua genereitatis est essentialitèr vniuersalitas*. Tribuitur tamen illi differentiæ intentio, a qua dicatur vniuersalis, sed denominatiuè, & accidentaliter, non verò essentialiter, vt requirebatur ad transcendentiam.

38 Fundamentum vltimum, & præcipuum huius opinionis sumitur ab inconuenientibus, quæ ex opposita sequuntur. Nàm sequitur primò, vnam speciem prædicari de alia; quia si vniuersalitas est genus ad istas intentiones, hæc prædicatio erit vera; *Genereitas est species vniuersalitatis*: vbi secunda species vniuersalitatis prædicatur de prima.

Sequitur secundò, eandem speciem prædicari formali-

maliter de se ipsa; quoniam hæc erit vera. *Specieitas est species vniuersalitatis*. Ex quo vlterius fieret, concretum prædicari de suo abstracto, vt liquet ex dicta prædicatione.

Sequitur tertiò, quod genus contineatur sub sua specie; nàm si vniuersalitas est genus, erit vtiquè particulare genus distinctum ab animali, & aliis generibus; ergo continebitur sub genere in communi, quod est prima species ipsius vniuersalitatis.

Vndè sequeretur quartò, genus esse indiuiduum suæ speciei; nàm primum prædicabile est species infima, sub qua proindè solùm continentur indiuidua; sed si vniuersalitas esset genus, contineretur sub primo prædicabili, vt ostensum est; ergo esset indiuiduum suæ speciei.

Vt huic argumento perspicuè satisfiat, nota, quòd cùm entia rationis fiant ab intellectu, & intellectus sit reflexiuus suprà proprios actus, & effectus; potest secundas intentiones, vt primas accipere, eisque alias, & alias, in infinitum applicare, constituendo ipsas in ratione prædicabilium, non secùs, ac si essent entia realia. ¶ Secundò nota, prædicationes factas inter has intentiones aliquandò essentiales esse; cuius optimum signum erit, si prædicatio est vera, tàm in abstracto, quàm in concreto; vt *Genereitas est vniuersalitas, genus est vniuersale*: aliquandò verò esse accidentales, & prædicatum solùm denominatiuè conuenire subiecto; cuius signum erit, si prædicatio, quæ in concreto est vera, sit in abstracto falsa, vt patet in his; *Genus est species vniuersalis, genereitas est specieitas vniuersalitatis*; quarum vltima est falsa, vt liquet.

39 Hinc ad argumentum facilis est solutio: nàm ad primum inconueniens respondetur, non esse absurdum, quòd vna species entis rationis significata in concreto prædicetur accidentalitèr de alia. Vndè illa prædicatio; *Genereitas est species vniuersalitatis*, est vera, formalis, & quinti prædicabilis, non secùs ac ista: *Albedo est species*. Quia sicut accidit albedini abstrahi ab inferioribus, & ad illa rursùs per modum superioris comparari: ità accidit genereitati (& idem est de specieitate, differentialeitate &c.) abstrahi ab ista, & illa genereitate, ad illasquè comparari per modum superioris. Ex quo habet, quod sit accidentaliter, & denominatiuè species prædicabilis: ex suis enim prædicatis essentialibus solùm habet, esse vniuersalitatem naturæ perfectibilis, in qua recipitur. Per quod satis patet ad secundum inconueniens: & ad id, quod ibi additur de prædicatione inter concretum, & abstractum constat ex dictis *num.* 29. similes prædicationes esse veras, & admittendas: eo quod vna intentio potest iterum sumi per modum subiecti, & ab alia eiusdem, vel diuersæ speciei denominari.

Ad tertium inconueniens negatur sequela, cuius probatio solùm conuincit, vniuersalitatem esse denominatiuè genus eo modo, quo animal accidentalitèr constituitur per genereitatem. Vndè sicut animal non ponitur essentialitèr sub genereitate, sed est subjectum illius; ità neque vniuersalitas est species genereitatis, sed denominatur ab ea.

Ad quartum constat ex dictis, non inferri ex eo, quòd vniuersalitas sit genus ad quinque prædicabilia, quod sit indiuiduum genereitatis, sed solum quòd suscipiat in se indiuiduam genereitatem, à qua sit denominatiuè genus. Quemadmodum animal licèt sit genus, non ob id sit in se ipso indiuiduum genereitatis; sed recipit indiuiduam intentionem, ratione cuius dicitur genus denominatiuè. ¶ Ex dictis solutæ manent quæstiones, quas Porphyrius agere recusauit. Ad primam enim, an scilicet vniuersalia sint a parte rei? Constat vniuersale pro formali esse opus intellectus: naturam verò denominatam, aliquandò esse à parte rei, quandò scilicet est realis; aliquandò solùm existere in intellectu, nimirùm quandò est ens rationis. ¶ Ad secundam, nempè, an vniuersalia sint corporea? Respondetur, vniuersale formalitèr sumptum esse incorporeum, cùm sit ens rationis: materialitèr verò acceptum, aliquandò esse corporeum, vt *animal*, & aliquandò incorporeum, vt *Angelus*. ¶ Ad tertiam, videlicet an vniuersale sit à rebus separatum? Iam diximus, naturas vniuersales non esse à parte rei separatas à singularibus; sed solùm per intellectum. ¶ His quæstionibus addit aliam D. Thom. *Opusc.* 56. an scilicèt vniuersale sit substantia, vel accidens? cui respondet, vniuersale pro formali semper esse accidens rationis; pro materiali verò aliquandò esse substantiam, & aliquandò accidens.

DISPVTATIO V.

De Genere.

1 TRES, aliis omissis, sunt generis acceptiones. Primò sumitur pro collectione multorum, qui sunt inter se sanguine coniuncti: quo sensu eos, qui ab Hercule trahunt originem, appellamus genus Heraclidarum. Secundò sumitur pro principio generationis, quod quis trahit à patre, vel à patria; qua ratione Orestes à Tantalo, & Pindarus à Thebis genus duxisse dicuntur. Tertiò sumitur genus Dialecticè pro eo, cui supponuntur species, & definitur à Porphyrio hoc modo: *Genus est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid*. In præsenti ergo solùm agimus de genere tertio modo sumpto: reliquæ enim acceptiones non pertinent ad nostrum institutum.

QVÆSTIO I.

An definitio generis sit bona, & an essentialis, vel descriptiua?

NOn possumus præsentem difficultatem perfectè resoluere, nisi prius intelligamus modum proprium definiendi accidentia, tàm in abstracto, quàm in concreto. Vndè opus est ad enodationem principalis dubij nonnulla præmittere.

§. I.

Explicatur modus definiendi accidentia.

2 POssunt accidentia definiri, tàm in concreto, quàm in abstracto significata; sed diuerso modo. Nàm abstractum habet propriam, & rigorosam definitionem: concretum verò, solùm potest definiri definitione secundùm quid, & per reductionem ad definitionem abstracti. Cuius discriminis ratio est: quoniam ens per accidens nequit propriè definiri, cùm non importet vnam essentiam; sed plures. Licèt autem concretum, & abstractum conueniant in re significata; differunt tamen in modo significandi: quia abstractum significatur, vt ens per se; concretum verò ex modo significandi, est ens per accidens. Significatur enim, vt compositum ex forma, & subiecto, quæ cùm pertineant ad diuersa prædicamenta, non possunt constituere vnum ens per se, siuè vnicam essentiam vna definitione explicabilem.

Cæterùm si concretum sumatur ex parte formæ, quæ est ens per se, quamuis connotet subjectum extraneum; habet definitionem, non quidem vsquequaque perfectam; sed imperfectam, & per reductionem ad definitionem abstracti, quæ leges bonæ definitionis obseruat. Quocircà, vt percipiatur modus obseruandus in definitione concreti accidentalis; priùs debet ostendi, quæ sit legitima definitio eiusdem accidentis significati in abstracto.

3 Igitur cùm definitio cuiusque rei ex proximo illius genere, & vltima differentia integretur: oportet ad exactam accidentis definitionem illius genus, & differentiam inuestigare. Genus autem accidentis est gradus superior, in quo conuenit cum alijs speciebus: hic enim est proximum genus accidentis definiti. Differentia verò desumenda est ex ordine ad proprium subjectum: per quod debet definiri. Quæ est doctrina Aristot. 7. *Met aph. text.* 4. & D. Thom. *ibidem lect.* 1. cuius hæc sunt verba. *Substantia est prima inter omnia entia secundùm definitionem, & secundùm cognitionem, & secundùm tempus. Quòd sit primum secundùm definitionem, patet; quia in definitione cuiuslibet accidentis oportet ponere definitionem substantiæ; sicut enim in definitione simi ponitur nasus, ità in definitione cuiuslibet accidentis ponitur proprium eius subiectum.*

Quod etiam ratione suadetur: quia accidentis esse est inesse subjecto: ergò ratio differentialis accidentis desumitur ex ordine ad proprium subjectum: istudque constitui debet loco differentiæ in illius definitione. Probatur consequentia: tùm, quia non potest explicari illa habitudo accidentis, nisi in definitione ponatur terminus illius. Tum quia sic ostenditur, quòd accidentis esse est inesse, & debilis adeò conditionis, vt nequeat habere essentiam, & definitionem, nisi dependenter à substantia, & per additionem illius.

Illustratur, & confirmatur hæc ratio ex definitione simitatis, quæ sic definitur ab omnibus: *Simitas est curuitas nasi*. Vbi *curuitas* est genus: quia in illa ratione conuenit definitum cum alijs speciebus curuitatis, vt cum gibbositate, & crispitudine. Subjectum verò, nempè *nasus*, ponitur loco differentiæ, quia definitum differt ab alijs per respectum ad illud. Nàm gibbositas est curuitas scapularum, crispitudo est curuitas capillorũ; simitas autem est curuitas nasi: ergo hoc pacto debent accidentia definiri, vt definiantur perfectè.

4 Dices, hanc esse perfectam definitionem albedinis: *Albedo est color disgregatiuus visus*: in qua tamen non ponitur subjectum albedinis; sed illius effectus: ergo tradita doctrina non est vniuersaliter vera.

Respondetur ex D. Thom. *cap. 7. de ente & essentia*, definitionem accidentis non esse vndequaque perfectam, nisi in ea proprium subjectum ponatur loco differentiæ. Quia tamen propria principia accidentium non semper sunt nobis nota: propterea aliquandò sumimus differentias accidentium ex ordine ad effectus illorum. Et in hoc sensu congregatiuum, & disgregatiuum dicuntur differentiæ coloris: sed hæc ignorantia generali doctrinæ non præjudicat? sed illam potiùs confirmat.

5 Hinc facilè apparet qualitèr concreta accidentalia definienda sint. Vt enim illorum definitio sit suo modo perfecta, formari debet ex definitione abstracti: ità vt subjectum ponatur loco generis, & propria ratio generica loco differentiæ, vt cùm dicitur: *Simus est nasus curuus*. Sic enim transmutatis terminis consurget perfecta definitio accidentis significati in concreto, vt ex Aristotele docet sæpissimè Diuus Thom. & præcipuè de sensu, & sensato, *lectione sexta*, vbi inquit: *Est autem considerandum, quòd semper oportet subiectum ponere in definitione accidentis, vt dicitur 7. Metaphys. Differenter tamen: nàm si accidens definiatur in abstracto, subiectum ponitur loco differentiæ; id autem quod pertinet ad genus accidentis ponitur, loco generis: vt cùm dicitur, simitas est curuitas nasi. Cùm autem accidens definitur in concreto, è conuerso subiectum ponitur loco generis, sicut cùm dicitur, simum est nasus curuus.*

Cuius doctrinæ plures possumus assignare rationes. Prima est; quia definitio concreti accidentalis, debet esse talis per reductionem ad definitionem abstracti: eo modo, quo syllogismus imperfectus reducitur ad perfectum: nequit autem definitio concreti reduci ad definitionem abstracti, nisi habeat formam præscriptam à D. Thom. ergo &c.

Deindè quia vbi est idem definitum, diuerso tamen modo significatum, debet esse eadem definitio, licèt diuerso modo disposita: sed siuè accidens definiatur in concreto, siuè in abstracto, definitum est idem, quamuis diuerso modo significatum: ergo debet definiri eisdem terminis, licèt diuerso modo dispositis: ità vt terminus, qui in vna definione ponitur loco generis, in alia sortiatur locum differentiæ, & è conuerso.

Deniquè huius inuersionis rationem ostendit elegantèr Angelicus Doctor 1. 2. q. 53. *art.* 2. *ad* 3. his verbis: *Quomodocumquè significetur accidens, habet dependentiam ad subiectum secundùm suam rationem. Alitèr tamen, & alitèr; nàm accidens significatum in abstracto importat habitudinem ad subiectum, quæ incipit ab accidenti, & terminatur ad subiectum; nàm albedo dicitur, qua aliquid est album: & ideò in definitione accidentis, in abstracto non ponitur subiectum, quasi prima pars definitionis, quæ est genus; sed quasi secunda, quæ est differentia: dicimus enim, quod simitas est curuitas nasi. Sed in concretis incipit habitudo à subiecto, & terminatur ad accidens: dicitur enim album, quod habet albedinem. Pro-*

pter

pter quod in definitione huiusmodi accidentis ponitur subiectum tanquàm genus, quod est prima pars definitionis; dicimus enim, quòd simus est nasus curuus.

6 Sed aduersùs hanc doctrinam obiicies primò; nàm hæc est optima definitio albi; *Album est coloratum disgregatiuum visus*; assimilatur enim definitioni sui abstracti; *Albedo est color disgregatiuus visus*; sed in prædicta definitione, non ponitur loco generis proprium subiectum albedinis; sed concretum superiùs ad album; ergo corruit regula statuta.

Respondetur negando maiorem; quia cùm essentia accidentis consistat in respectu ad proprium subiectum; neque in concreto, neque in abstracto potest perfectè definiri sine illo. Neque probatio ibi inclusa aliquid conuincit; tùm quia illa definitio non assimilatur definitioni essentiali albedinis; sed illi, quam loco essentialis substituimus. Tùm quia definitiones abstracti, & concreti non debent assimilari in forma, sed solùm in materia; aliàs non seruabitur modus, quem concretum ex vi suæ significationis exposcit.

7 Obiicies secundò quia genus in qualibet definitione est id, in quo definitum conuenit cum aliis; differentia verò est id, per quod distinguitur ab illis: sed impossibile est, quòd in eadem re definitum conueniat, & differat ab eisdem: ergo repugnat, quòd subiectum ponatur in vna definitione, vt genus, & in alia, vt differentia; & idem argumentum potest fieri de gradu superiori.

Respondetur, quòd licèt in eadem entitate, in qua definitum conuenit cum aliis speciebus nequeat differre ab eisdem; potest tamen distingui ab aliis diuersi generis; vt homo per animalitatem conuenit cum brutis, & differt ab inanimatis. Et hoc sufficit, vt subiectum accidentis ponatur in definitione abstracti loco differentiæ, & in definitione concreti loco generis: quia non fit conuenientia vtrobiquè cum eisdem speciebus; sed cum diuersis. Nàm in hac definitione, *simitas est curuitas nasi*, per ly *curuitas* conuenit definitum cum figuris eiusdem generis, nempè cum *gibbositate, & crispitudine*; à quibus distinguitur per ordinem ad proprium subiectum, scilicèt *nasum*. In hac autem definitione, *simus est nasus curuus*, per ly *nasus* conuenit definitum cum figuris diuersi generis; videlicèt cum *rectitudine*, & *aquilinitate*, quæ possunt esse in eodem subiecto, à quibus distinguitur per *ly curuus*, quæ est ratio illis opposita, & proprium genus simitatis. Apparet tamèn ex iis perfectio definitionis accidentis in abstracto; siquidem in ea ponitur vt genus id, quod verè, & immediatè est genus definiti, & loco differentiæ vera differentia: quod non sic obseruatur in definitione concreti, vt consideranti constabit.

§. II.

Defenditur, & explicatur definitio generis.

8 His suppositis dicendum est, definitionem generis traditam à Porphyrio, scilicet: *genus est, quod prædicatur de differentibus specie in eo quod quid*, esse rectam. Tradunt eam Aristoteles 1. *Topic. cap.* 4. & D. Thom. *in* 2. *dist.* 34. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 1. recipiuntque communiter Dialectici. Ad illius tamen declarationem, obseruanda est distinctio inter relatiua *quid*, & *quale*. Nàm ly *quid* est relatiuum essentiæ, & illam significat ad modum substantiæ, seu per se stantis: & ità ad quæstionem, quid est hoc? respondemus nominibus generis, vel speciei, est *animal*, *homo*, &c. quia hæc solùm significant ad modum per se stantis. Sed ly *quale* est relatiuum accidentis, & significat per modum adiacentis alteri: vndè ad quæstionem, *quale est hoc*, respondemus nominibus adiectiuis, est *rationale*, *album* &c. nàm ista significant per modum alteri adiacentis.

Ex quo sequitur, quòd prædicari in *quid*, nihil aliud sit, quam prædicari essentialiter, tam ex parte rei significatæ, quàm ex modo significandi: & hoc est proprium generis, & speciei. Prædicari autem in *quale* est prædicari accidentaliter secundùm vtramque rationem: quod conuenit proprio, & accidenti. Prædicari verò in *quale quid* est prædicari essentialiter ex parte rei significatæ, & accidentaliter ex modo significandi, & hoc conuenit differentiæ, quia licèt sit de essentia, significatur tamen, vt adiacens. Quæ omnia suis locis magis constabunt.

His suppositis probatur assertio: quia illa est recta definitio accidentis in concreto, quæ traditur per subiectum loco generis, & propriam rationem genericam loco differentiæ, vt patet ex dictis §. *præcedenti*. sed definitio generis tradita à Porphyrio obseruat hæc omnia: ergo est recta. Probatur minor: nàm illud relatiuum *quod* positum loco generis significat subiectum genericitatis, nimirùm naturam perfectibilem, in qua conuenit hæc relatio rationis cum aliis entibus rationis, quæ possunt in eadem natura reperiri. Cæteræ verò particulæ ponuntur loco differentiæ, per quas distinguitur genus, non solùm ab aliis entibus rationis; verùm etiam à reliquis prædicabilibus. Nàm species non prædicatur de differentibus specie, sed solùm numero: differentia, proprium, & accidens non prædicantur in quid: sed in *quale*, vel in *quale quid*. Et opus fuit ex parte differentiæ addere aliquas particulas præter rationem genericam, quia licèt relatiuum *quod* significet subiectum intentionis definitæ; non tamen qualitatem illius, an scilicèt sit natura perfecta, vel perfectibilis. Sed id innotescit per ly. *differentibus specie in quid*: quia sola natura perfectibilis potest sic prædicari. Vndè soluitur tacita obiectio, quæ fieri poterat contrà dicta §. *antecedenti*. Per quod, & definitio generis manet perspicua, & aliorum prædicabilium definitiones non modicam lucem accipiunt.

9 Dicendum est secundò, prædictam definitionem generis non esse essentialem; sed descriptiuam. Ita B. Albertus *tract.* 3. *prædicab. cap.* 34. D. Thom. *opusc.* 48. *tract.* 1. *capite* 2. quibus subscribunt Sotus, Toler, & alij plures, quos refert, & sequitur Gallego *controu.* 3. Probatur assertio: quoniam definitio, quæ datur per propriam passionem definiti, non est essentialis, sed descriptiua: at prædicari de pluribus differentibus specie est passio generis: ergo hæc definitio, cum per illam tradatur, est descriptiua. Minor facilè ostenditur: nàm prædicari, vt sic de pluribus est passio vniuersalis, vt sic; siquidem ex eo, quod vniuersale sit in pluribus, oritur quod prędicetur de illis: ergo prędicari tali modo est passio talis vniuersalis: ergo prędicari de differentibus specie est passio generis.

§. III.

Enodantur aliqua argumenta.

10 Sed contrà primam conclusionem obijcies cum Laurentio Vala, cui Porphyrij definitio displicuit. Primò, nàm quidquid definitur debet esse species ex Aristot. 7. *Metaph. text.* 39. sed genus non est species: ergo nequit definiri.

Respondetur, quidquid definitur debere esse speciē accidentaliter, & denominatiuè; id est debere esse talis conditionis, vt possit denominari à secunda intentione specieitatis. Hoc autem conuenit definito huius defini-

tionis: siquidem genereitas est species vniuersalitatis.

Objicies secundò; quia ens non est genus, vt docet Aristot. 3. *Metaph. cap.* 3. sed hæc definitio conuenit enti; ergo conuenit alijs à definito. Probatur minor; nàm ens prædicatur essentialiter de homine, & equo, qui specie differunt: ergo ens prædicatur de pluribus differentibus specie in quid. ¶ Confirmatur primò: quia etiàm anima, vt sic prædicatur essentialiter de animabus specie differentibus: & tamen non est genus: ergo. ¶ Confirmatur secundò: quoniam hæc definitio animalis, scilicet, *viuens sensibile*, prædicatur essentialiter de specie diuersis; v. g. de homine, & equo; inquirenti enim quid est homo? sicut respondemus, est animal, ità rectè possumus respondere, est viuens sensile: constat autem, definitionem non esse genus: ergo hæc definitio conuenit alijs à definito.

Respondetur, illud relatiuum *quod* positum in hac definitione denotare, quod genus debet esse natura simpliciter in inferioribus *vna*; ac proindè vniuoca, per quod excluduntur analoga, & transcendentia, vt ens: *completa*, per quod excluditur pars, vt anima: *incomplexè significata*, per quod excluditur definitio. Vndè obiectioni, & confirmationibus simul occurritur.

11 Tertiò oppones: quoniam secunda substantia, seù vniuersalis significat quale quid ex Aristot. capite de substantia: sed genus est secunda substantia: ergo non prædicatur in *quid*, sed in *quale quid*.

Respondetur ex D. Thom. 7. *Metaph. lect.* 13. secundas substantias, genera nempè, & species, non significare propriè loquendo *quale quid*; siquidem neque ex parte rei significatæ, neque ex modo significandi accidunt essentiæ. Dicuntur tamen impropriè significare quale quid: quia in propositione respectu suppositi, quod est prima substantia, habent rationem formæ, quæ generali ratione appellatur qualitas subiecti: quia illud determinat, & afficit. Sed hoc nullatenùs impedit, quòd genus simpliciter loquendo, prædicetur in quid, siuè modo substantiuo.

Oppones quartò: nàm ad perfectiorem modum essendi sequitur perfectior modus prædicandi: sed differentia habet perfectiorem modum essendi, quam genus; cùm illa sit actus, & istud potentia: ergo si genus prædicatur in *quid* etiàm differentia debet in *quid* prædicari: & per consequens nihil est in definitione generis, per quod distinguatur à differentia.

Respondetur, quòd modus prædicandi sequitur modum essendi, non secundùm se, sed mediante modo cognoscendi: nos autem concipimus differentiam ad modum accidentis, seu qualitatis adiacentis generi; genus verò ad modum substantiæ, vel subiecti recipientis illam. Et propterea genus prædicatur in *quid*, & omninò substantiuè; differentia autem in quale quid, & per modum adiacentis.

12 Aduersùs secundam assertionem opinantur Scotus hîc, *quæst.* 14. & 15. & eius asseclæ, quorum fundamentum est: nàm obiectum huius tractatus non est vniuersale; sed prædicabile; at genus, vt prædicabile, essentialiter definitur per prædicationem, quæ est proprius actus prædicabilitatis: ergo definitio generis est essentialis. ¶ Sed hæc ratio nullius roboris est, quoniam vniuersale, & prædicabile considerantur per se in hoc libro; & illud se habet, vt essentia, & istud sicut passio: ac proindè vniuersale pertinet ad hunc tractatum, tanquam obiectum: prædicabile verò tanquam passio, quæ de tali obiecto demonstratur.

Ex dictis facilè erit formare definitionem essentialem intentionis constitutiuæ generis, tàm in abstracto, quàm in concreto significatæ. Nàm vt constat ex dictis *disput. præc. quæst. vlt.* vniuersalitas est proprium, & proximum genus ad illam; differentia verò desumenda est à proprio, & adæquato subiecto, quod est natura perfectibilis. Vndè iuxtà regulam statutam *num.* 3. & 5. intentio hæc significata in abstracto, sic definietur essentialiter; *Genereitas est vniuersalitas naturæ perfectibilis*. Et cùm ex definitione abstracti formetur definitio concreti inuertendo terminos; hæc erit essentialis definitio generis; *Genus est natura perfectibilis vniuersalis*. Quo pacto formantur definitiones essentiales aliorum prædicabilium; vt, *Specieitas est vniuersalitas naturæ perfectæ; species est natura perfecta vniuersalis*: & sic de alijs.

QVÆSTIO II.

Quod sit definitum in definitione generis?

13 Licèt genus sit definitum in definitione generis, vt patet ex ipsis terminis: quia tamen circà genus quinque possunt considerari, propterea vertimus in dubium, quodnam ex illis sit definitum. Primum est ipsa natura denominata secundùm suam entitatem realem. Secundum genereitas ipsa, seu secunda intentio secundùm se. Tertium compositum ex vtraque; ità vt, tàm naturam, quàm intentionem ex æquo includat. Quartum natura perfectibilis, non secundùm se; sed vt connotat secundam intentionem, vt formam, cui subijcitur. Quintum denique est secunda intentio, non secundùm se; sed connotando naturam, vt subiectum, quod informat.

In præsenti ergo supponimus vt certum, & communitèr receptum, quòd definitum in hac definitione non est natura denominata secundùm se sumpta; neque secunda intentio accepta secundùm se, & in abstracto. Et ratio quoad vtramque partem est perspicua; nàm in primis definitio nequit conuenire accidentaliter definito, siquidem explicat essentiam illius; sed naturæ denominatæ secundùm se sumptæ, v. g. animali accidit prædicari de pluribus &c. ergo natura denominata secundùm se accepta non est definitum in hac definitione. Deindè; definitio potest prædicari de re, quæ definitur; sed definitio generis nequit prædicari de secunda intentione genereitatis sumptæ secundùm se, & in abstracto; sicut neque ipsum genus; ergo prædicta intentio hoc modo accepta non potest definitione generis definiri. Vndè difficultas reducitur ad tres alias generis acceptiones.

§. I.

Vera sententia tribus assertionibus explicatur.

14 Dicendum est primò, definitum in dicta definitione non esse aggregatum, seu compositum ex natura, & secunda intentione. Ita Auctores conclusione 3. referendi. Probatur primò ratione desumpta ex D. Thom. *de ente, & essentia, cap.* 6. quoniam ens per accidens non potest definiri vnica, & recta definitione, cùm non importet vnam essentiam, sed plures; at compositum ex natura, & secunda intentione est ens per accidens; siquidem constat ex ente reali, & rationis: ergo non definitur generis definitione, quæ vnica, & recta est.

Secundò probatur assertio alia ratione, quam suprà insinuauimus; nàm definitio non potest conuenire accidentaliter definito, vt patet ex Aristot. 1. *Poster. cap.* 4. docente

docente definitionem, & partes eius prædicari de definito in primo modo dicendi per se, nempè essentialiter; sed si natura denominata esset pars principalis definiti, jam definitio hęc conueniret accidentaliter definito; nàm accidit naturę prędicari de pluribus: ergo prędicta natura non est pars rei definitæ.

Respondebis cum Rubio, quòd in genere, & alijs concretis est duplex substractum: aliud inadæquatum, & remotum, & de hoc prædicatur concretum accidentaliter, vt si dicas; *Paries est albus*. Aliud est proximum adæquatum, & per se; & de hoc potest concretum essentialiter prædicari, vt si dicas; *Corpus in quantum albedinis substractum, est album*, est prædicatio essentialis. Et idem contingit in pręsenti; nàm naturæ, vt est subiectum genereitatis, per se, & necessariò conuenit definitio generis.

Sed contrà; quantumcumque subiectum accidentis consideretur, vt subiectum, semper tamen est pars compositi accidentalis: ergo semper alia pars, videlicet forma accidentalis manet extra essentiam illius; ac proindè solùm accidentaliter poterit de illo prædicari, tùm accidens, tùm definitio accidentis. ¶ Confirmatur; quia propositiones, in quibus passio prædicatur de essentia sunt accidentales, quantumuis ratio subiecti reduplicetur dicendo, v. g. *Homo in quantum homo est risibilis, vel homo in quantum subiectum risibilitatis, est risibilis*; ergo similiter licèt reduplicetur subiectum intentionis, dicendo: *Natura perfectibilis in quantum subiectum genereitatis est genus*, semper propositio est accidentalis, ac proindè etiàm definitio generis debet prædicari accidentaliter de natura denominata.

15 Dicendum est secundò definitũ in definitione generis nõ esse naturã, vt subijcitur secundæ intentioni. Hæc conclusio defenditur ab Auctoribus *infrà* referendis, & facilè suadetur ex dictis in fauorem assertionis præcedentis: nàm quandò dicitur, *natura vt subijcitur &c.* ly *vt subijcitur* non reduplicat ipsam formam constitutiuam generis, aliàs hæc erit definitum: ergo solùm reduplicat aliquam rationem se tenentem ex parte subiecti, vel naturæ: sed omnis ratio se tenens ex parte subiecti est extrà essentiam formæ, cui subijcitur: ergo naturæ etiam prout subiicitur conuenit accidentaliter esse genus, & prædicari de pluribus: ergo nequit esse definitum in generis definitione.

Ex quibus infertur, reduplicationes istas, in quibus reduplicatur subiectum formæ, vt *Corpus in quantum subiectum albedinis est album*, & similes esse inutiles, & vanas. Quoniam subiectum ex vi prædicationis subiicitur prædicato, & recipit illud ratione capacitatis, quam habet ad ipsum: ergo idem est dicere, *Corpus in quantum subijcitur albedini est album*, ac dicere, *Corpus est album*. Impertinenter ergo reduplicatur illa subiectio, & capacitas.

16 Dicendum est tertiò, definitum in definitione generis esse secundam intentionem significatam in concreto: ità quòd intentio sit res definita, & natura connotetur ex modo definiendi. Sic docent communiter Thomistæ, Caiet. *in hoc capite, & de ente, & essentia, cap.* 9. Arauxo, Soto, & alij plures, quos refert, & sequitur Masius hic *sect.* 1. *quæst.* 3. Fundamentum est; quia hac definitione definitur aliquid commune entibus realibus, & rationis; siquidem in vtrisque reperitur genus; sed nihil potest esse illis commune, nisi secunda intentio; ergo ipsa est definitum.

Confirmatur primò; quia definitiones generis, & aliorum prædicabilium propriè pertinent ad Logicam; ergo etiam definitum debet ad Logicam per se pertinere; sed natura denominata non pertinet per se ad Logicam; benè autem secunda intentio: hæc igitur est definitum in definitione generis. ¶ Confirmatur secundò; quia hæc definitio datur per subiectum loco generis, vt *suprà* vidimus, *num.* 8. qui modus definiendi conuenit concretis accidentalibus, vt etiam constat ex dictis *num.* 5. ergo definitum huius definitionis est aliquod accidens; non quidem reale, sed rationis, & in concreto significatum.

Obseruandum autem est, quòd licèt definitum sit sola secunda intentio constitutiua generis; definitio tamen non conuenit illi *vt quod*, sed vt *quo*: quia ex modo significandi proprio concreti definiti, fit suppositio pro natura, cui vt *quod* denominatiuè conuenit definitio. Cùm enim res definiantur secundùm quod significantur per nomina: & hoc concretum *Genus* significet solam formam, & connotet, seu supponat pro subiecto: sequitur, quòd sola forma sit definitum, cùm tamen suppositio fiat pro natura: & consequenter definitio conuenit formæ vt *quo*, seu tanquam rationi, qua subiectum denominatur tale, vt *quod*. Sed hoc magis constabit ex solutione argumentorum.

§. II.

Referuntur contrariæ sententiæ.

17 Contrà doctrinam hucusque stabilitam, duplex militat opinio. Prima asserit definitum in definitione generis esse aggregatum, seu compositum ex natura, & secunda intentione: ità vt directè vtrumque definiatur; nempè natura vt *quod*, & secunda intentio vt *quo*. Ita Cabero, hic *tract.* 3. *disput.* 2. *dub.* 1. & alij: quibus fauere videtur Auicenna docens *Logicam agere de secundis intentionibus adiunctis primis*: ergo definitum, quod Logicus explicat per hanc definitionem, est compositum ex primis, & secundis intentionibus. ¶ Cæterùm mens Auicennæ non est, quod Logica ex æquo consideret vtrasque intentiones, vel de vtrisque disputet; sed quòd de entibus rationis agit formaliter, & per se; de rebus autem solùm materialiter, & ratione secundarum intentionum: vndè veræ sententiæ non aduersatur.

Probatur hæc opinio: quia illud est definitum in qualibet definitione, cum quo ipsa definitio reciprocatur: sed definitio generis per se reciprocatur, seu conuertitur cum aggregato ex natura, & secunda intentione: istud ergo est definitum. Probatur minor: quia secundæ intentioni essentialiter conuenit esse id, *quo*, seu ratione cuius natura prædicatur de pluribus: & naturæ prout denominatæ à tali intentione essentialiter competit dici de pluribus *vt quod*. sed hoc, & non amplius continet definitio generis: ergo reciprocatur cum aggregato, vel composito ex natura, & secunda intentione.

Respondetur negando minorem, ad cuius probationem dicendum est, quod vt definitio conueniret per se, & essentialiter illi aggregato, opus erat, quod sicut intentioni per se, & ratione sui competit esse principium *quo* prædicationis; ità etiàm naturæ ratione sui, & non prout præcisè denominatur à secunda intentione, conueniret essentialiter esse prædicabilem vt *quod*; vt sic ex vtraque integrum definitum consurgeret. Qui enim asserit naturam, formaliter, vt denominatam ab intentione, esse prædicabilem de pluribus, totum refundit in ipsam intentionem; & consequenter debet concedere, ipsam solam definiri.

18 Secunda sententia defendit, definitum in definitione generis esse naturam, vt connotat intentionem in obliquo. Ita Auersa *quæstion.* 8. *Logicæ, sect.* 2. & alij, quos citat Onna *quæstion.* 1. *vniuersalium, art.* 1. Probatur primò; nàm Porphyrius *in hoc capite*, & Aristotel. 1. *Topic.*

Topic. cap. 4. post traditam definitionem generis; vt aliquo exemplo manifestarent illius definitum, statim subiungunt; vt animal, &c. ergo sentiunt, naturam denominatam esse proprium, & principale definitum. ¶ Sed respondetur, Porph. & Aristotel. exemplificasse in animali, non sicut in re definita; sed sicut in subiecto rei definitæ, & materia, in qua exercetur definitio. Nam in ijs defitionibus ex modo definiendi fit suppositio pro subiecto, vt constat ex dictis.

Secundò arguitur: quia illud est definitum in qualibet definitione, cui vt *quod* conuenit definitio: sed definitio generis conuenit vt *quod* naturæ denominatæ, & non intentioni: ergo natura connotans intentionem est res definita in definitione generis. Probatur minor: quia natura est, quæ prædicatur de multis; ipsa verò secunda intentio solùm est ratio, quare natura prædicetur.

Respondetur, maiorem esse veram in definitionibus perfectis, & rigorosis, quales sunt eæ, quibus accidentia in abstracto definiuntur; secùs autem in definitionibus imperfectis, qualis est definitio generis, & aliorum concretorum accidentalium: istæ enim debent conuenire, vt *quo* definito, & vt *quod* subiecto illius. Et ratio est, quia abstractum supponit pro eadem re, quam significat, & nihil aliud connotat: at concretum accidentale significat vnam rem, & supponit pro alia; nàm significat formam, & supponit pro subiecto. Et quia habere esse, vt *quod* est proprium suppositi, vel rei significatæ per modũ suppositi: idcircò definitio abstracti conuenit vt *quod* formæ definitę; significatur enim ad modum per se stantis: definitio vero concreti non competit vt *quod* formę definitæ; significatur namquè vt in subiecto, sed conuenit vt *quod* ipsi supposito, in quo existit res definita. Et hoc pacto explicatur benè quidditas accidentium, cui solùm competit esse principium *quo* suorum effectuum, & simul innuitur, tales effectus exerceri in subiectis eorum: qui est proprius modus definiendi concreta accidentalia, quatenùs concreta sunt.

19 Sed replicabis: concretum accidentale supponit pro subiecto, vt concedimus: ergo genus supponit pro natura; ergo natura est, quæ definitur. ¶ Deindè: implicat definitio sine definito *quod*; sed secunda intentio non est definitum *quod* in hac definitione; ergo natura est, quæ vt *quod* definitur.

Respondetur, concesso antecedenti, & prima consequentia negando secundam: nàm licèt nomen concretum supponat pro subiecto, sola tamen forma est res significata, & per consequens illa sola propriè loquendo est res definita. ¶ Ad id, quod additur constat ex dictis, in definitione perfecta necessariò assignandum esse definitum, cui vt *quod* conueniat essentialiter definitio; quia ibi, solùm explicatur natura definiti, & nihil aliud connotatur. Cæterùm definitio concreti accidentalis, quæ imperfecta est, essentialiter solùm conuenit vt *quo* rei definitæ, nempè formę; denominatiuè autem, & accidentaliter competit vt *quod* subiecto rei definitę. Quod propterea nequit dici definitum *quod* absolute; cùm definitio debeat conuenire essentialiter, & per se suo definito.

QVÆSTIO III.

An genus prædicetur de speciebus, vt totum, vel vt pars, & qualiter contineat differentias?

Genus communiter appellatur totum potentiale, & simul est pars speciei; siquidem ex illo, & differentia componitur species. Vndè meritò dubitatur, quonam ex his modis natura generica, v. g. *animal* prædicetur de speciebus. Sed antequam ad resolutionem dubii accedamus aliqua prælibanda sunt, à quibus difficultatis intelligentia dependet.

§. II.

Obseruationes ad decisionem dubij.

20 Obseruandum est primò, quod totum est duplex, nimirum actuale, & potentiale. Actuale est, quod constat ex partibus actu componentibus, vt homo qui integratur ex anima, & corpore. Potentiale est, quod continet in potentia suas partes, vt animal se habet ad differentias hominis, & Leonis, quas in potentia continet. Et quia totum resultat ex compositione partium.

Obseruandum est secundò, quòd compositio est duplex: alia physica, & alia metaphysica. Compositio physica est, quæ fit ex materia, & forma: nàm quia Physica, seù Philosophia per se agit de his partibus; ideò illæ, & earum compositio appellantur physicæ.

Compositio metaphysica dicitur, quæ fit ex diuersis gradibus eiusdem essentiæ, quorum vnus est communis, & significatur per modum materiæ, & potentiæ; alter verò est particularis, & significatur per modum formæ, & actus. Vt homo v. g. componitur ex gradu animalis, sibi, & brutis communi, & ex gradu rationalis sibi proprio, per quem distinguitur ab illis. Hæc autem compositio, si in rigore loquamur, potius appellari deberet Logica: siquidem inter partes illius (vt statim dicemus) non datur distinctio actualis realis; sed tantùm rationis, cuius consideratio ad Logicam pertinet. Vsus tamen communis obtinuit, illam frequentius dici metaphysicam, quam Logicam, & gradus, quos nectit, metaphysicos. Quem modum loquendi etiam nos obseruabimus: quia cum pluribus loquendum est, vt dicitur secundò Topicorum.

21 Obseruandum est tertiò, quod pars est duplex: alia propriè dicta, nempè, quæ realiter distinguitur ab alia parte, vti se habet corpus ad animam; alia verò impropria, & secundùm quid, & est illa, quæ ante intellectum non distinguitur à comparte, sed est idem realiter cum illa. Et huius generis sunt gradus metaphysici generis, & differentiæ, ex quibus componitur species: quia inter ipsos non datur distinctio realis actualis; sed solùm virtualis, & fundamentalis, quæ redditur actualis per intellectum. Quod licèt ostenderimus *disput.* 4 *n.* 23. potest insuper suaderi.

Tum, quia si animal, & rationale distinguerentur realiter, essent propriè, & rigorosè partes hominis: sed pars nequit prædicari de toto: ergo neque animal, neque rationale posset prædicari de homine: quod patet esse falsum. Tum etiam, quia vt probat optimè Angelicus Doctor 1. *p. qu.* 76. *art.* 3. in eodem composito non est nisi vnica forma substantialis, quæ eadem existens tribuit omnes gradus essentiales: sed gradus prouenientes ab eadem simplici forma nequeunt realiter inter se distingui; siquidem habent identitatem in ipsa quidditate formæ, à qua proueniunt, & cum qua identificantur: ergo inter prædictos gradus non est distinctio realis.

Hinc infertur, gradus istos generis, & differentiæ, solùm esse partes ex modo concipiendi, & significandi: nàm à parte rei, quilibet ex illis est realiter tota species. Et cum alias habeant rationem totius respectu inferiorum, de quibus prædicantur, inuestigandum restat, quomodò sint pars, & quomodò totum. Quod vt explicemus.

22 Obseruandum est quartò, quòd licèt in composito

to substantiali non sit nisi vnica forma, ac proindè quilibet gradus metaphysicus sit à parte rei tota essentia compositi: nihilominùs vnus gradus non explicat totam essentiam speciei; sed partem virtualem illius. Solùm enim dicit proexplicito ea, quæ ex propria ratione includit; alia verò cum quibus potest identificari, vel identificatur non explicat, neque excludit actu: sed circà ea negatiuè se habet. Verbi gratia, eadem anima rationalis tribuit esse corpus, viuens, animal, & hominem: & omnes isti gradus identificantur cum anima, & inter se. Cæterùm corpus ex se solùm dicit materiam, & formam, prout important substantiam extensibilem per quantitatem: an autem forma tribuat etiàm gradum vitæ, vel non, neque explicat, neque excludit, sed ad vtrumque negatiuè se habet. Similiter animal ex suo conceptu formali importat materiam, & formam, prout hæc dat illi vitam sensitiuam: sed an ista sit rationalis, vel non; minimè explicat, sed ab vtroque præscindit. Et ratio est: quia gradus superior secundùm ea, quæ ex se importat, neque connectitur necessariò cum gradu inferiori, neque prohibetur identificari cum illo.

Ex ijs sequitur, quòd gradus genericus v. g. animal possit concipi, & significari dupliciter. Primò vt significat perfectionem sentiendi cum præcisione, & exclusione vlterioris perfectionis: & hoc pacto est pars metaphysica hominis, siquidem prout sic non dicit totum, quod est in homine, sed condistinguitur à perfectione ratiocinandi, & cum ea componit hominem. Secundò vt significat perfectionem, & formam sentiendi, siuè talis forma sit sensitiua tantùm, siuè simul etiàm intellectiua: & sic in potentia, & in confuso includit omnem perfectionem suorum inferiorum, & est totùm potentiale respectu illorum.

Idem proportionabiliter contingit in differentia: nàm *sensibile* verbi gratia si sumatur cum præcisione, vt excludit gradus superiores, & inferiores, habet rationem partis. Si autem accipiatur sine præcisione, vt aliqualiter includit in confuso quidquid est in illis, induit rationem totius. Comparatur tamen ad ea, non vt quid potentiale, sicut genus, sed vt perfectiuum, & actuatiuum generis.

Igitur in præsenti supponimus, quod genus prædicatur de suis inferioribus, quatenùs habet rationem totius respectu eorum: neque circà hoc potest esse difficultas; siquidem prout sic continet saltem in potentia quidquid est in illis. Quod requiritur, & sufficit ad veritatem prædicationis. Sed dubitamus, an genus possit prædicari de inferioribus, vt induit rationem partis metaphysicæ. Et quia pars potest considerari, vt actu componit, quo pacto est pars actualis; vel prout antecedit compositionem, qua ratione pars potentialis appellatur; ideò in vtroque sensu discutiemus difficultatem.

§. II.

Resolutio quæstionis.

23 Dicendum est, naturam genericam (& idem proportionabiliter est de differentiali) non posse prædicari de speciebus, qua ratione est pars metaphysica illarum, sed quandocumque prædicatur de illis, debere sumi, vt totum. Hæc assertio traditur expressè à Porphyr. *c. seq.* & colligitur ex Arist. *2. Post. c. 8.* quibus subscripsit D. Thom. *in 2. dist. 25. q. 1. art. 1. ad 2. & cap. 3. de ente, & essent.* quibus in locis explicat optimè quomodò *Corpus, animal*, & alia genera non sunt genera, neque prædicabilia, quatenùs sumuntur vt partes, & cum præcisione aliarum perfectionum; sed quatenùs considerantur, vt quædam tota continentia in confuso, & in potentia quidquid est in inferioribus. Angelicum Doctorem sequuntur omnes Thomistæ, & communiter Doctores.

Probatur assertio ratione; quia vt propositio sit vera, requiritur, quòd prædicatum contineat saltem confusè, & in potentia quidquid est in subiecto; siquidem prædicatio, propriè loquendo non importat præcisè vnionem; sed identitatem inter extrema illius: at gradus genericus significatus per modum partis non continet actu, vel potentia quidquid includit species, cuius est pars; cùm ex modo significandi excludat aliam compartem, nimirùm differentiam: ergo genus significatum, vt pars metaphysica nequit prædicari de speciebus.

Confirmatur, & explicatur hæc ratio; nàm ideò pars physica non potest prædicari in recto de composito, v. g. anima de homine, quia in re est minor illo; sed genus sumptum, vt pars metaphysica significatur, vt minus speciebus: ergo pari ratione non poterit, prout sic prædicari in recto de illis. Probatur consequentia; quia ad veritatem prædicationis debet attendi, non solùm ad rem significatam, sed etiàm ad modum significandi: ergo licèt ex parte rei significatæ *animal*, v. g. sit totus homo; tamen significatum vt pars non poterit prædicari de illo. Quæ rationes æquè procedunt de omni parte metaphysica, siuè sumatur, vt actu componit, siuè vt præuenit compositionem; vt consideranti constabit.

24 Neque refert si contrà communem sententiam opponas cum Oña *art. vlt.* huius capitis, Cantero in præsenti *dub. 3.* & alijs paucis, qui stabilitæ assertioni aduersantur, definitionem, & partes eius prædicari de definito, ex Aristot. *1. Poster. cap 4.* ergo genus, & differentia non solum quatenùs tota; sed etiàm quatenùs partes prædicantur de specie.

Respondetur, Aristotelem ibi loqui materialiter de gradibus, qui sunt partes definitionis; non verò formaliter, prout sunt partes: hoc enim nihil referebat ad illius intentum. Intendebat namquè definitionem, & partes eius esse de conceptu essentiali definiti; quod æquè verum est, siuè prædicentur, vt partes, siuè vt tota.

Secundò objicies: nàm ideò partes physicæ non possunt prędicari de composito, quia sunt verè, & propriè partes, distinguunturquè à composito, distinctione reali includentis ab incluso, & ideò in eius definitione non ponuntur in recto, sed in obliquo: non enim dicimus; *Homo est materia, & forma; sed homo est ex materia, & forma.* At partes metaphysicę non sunt rigorosę partes, cum significent totum compositum, & non sumantur proximè ab vna duntaxat parte; sed à tota essentia; vndè in definitione non ponuntur in obliquo, sed in recto: dicimus enim; *Homo est animal rationale*; ergo partes metaphysicę, vt tales, possunt prędicari de specie, tametsi partes physicę nequeant prędicari de toto.

Respondetur concedendo, quod inter partes physicas, & metaphysicas latum reperitur discrimen: illę enim cum sint essentialiter partes, nunquam possunt sortiri conditionem totius, simpliciter loquendo; & sic non prędicantur in recto de composito. Gradibus autem metaphysicis accidit sumi cum pręcisione, & consequenter esse partes: & ideo possunt accipi sine tali pręcisione, & habere rationem totius, & prędicari in recto de specie. Nihilominùs si considerentur cum pręcisione, & exclusione aliarum perfectionum, & ità significentur, nequeunt prędicari de toto. Nàm modus prędicandi sequitur modum concipiendi, & significandi; vndè quoad hoc pars metaphysica debet legibus partis physicę subiacere.

25 Ex dictis infertur primò, quod genus includit differentias non in actu; sed tantùm in potentia; eo modo, quo materia prima continet formas substantiales. Et ratio

tio est; quia vel genus sumitur, vt pars speciei, & hac ratione solùm potest continere in potentia alteram partem, nempè differentiam; prout sic enim actu se inuicem excludunt. Vel sumitur genus, vt est totum potentiale respectu specierum: & ità cum abstrahat abstractione vniuersali, & separetur à differentijs, non potest actu eas includere. Maximè, quia cum differentiæ sint inter se oppositæ, si actu includerentur in genere; non posset istud dicere conceptum simpliciter vnum, atque ideò non esset vniuersale, quod est absurdum.

Infertur secundò propositiones in quibus genus prędicatur de differentijs, esse veras; non tamen formales, vel alicuius prędicabilis. Ratio est; quia ad veritatem prędicationis sufficit, prędicatum aliquo modo continere subiectum; quod conuenit generi respectu differentię: & ideò hęc est vera, *rationale est animal*. Vt autem prædicatio sit formalis, requiritur, quod subiectum includat actu rationem prędicati; vndè cum differentia excludat genus, quia comparatur ad illud per modum partis, sequitur prędictam propositionem non esse formalem.

QVÆSTIO IV.

Vndè sumatur genus, & differentia, tam in substantijs, quam in accidentibus.

26 COmmune apud Doctores proloquium est; *genus sumitur à materia, & differentia à forma*; quod in pręsenti explicare oportet. Ad cuius intelligentiam obseruandum est, quòd difficultas non procedit de secundis intentionibus genereitatis, & differentialeitatis; sed de gradibus metaphysicis, qui sunt subiectum harum intentionum: nimirum de conceptu potentiali, & communi, & de conceptu perfectiuo, & proprio, ex quibus componitur essentia, siuè species.

Et in primis supponimus vt certum, quòd vt aliqua substantia habeat propriè genus, & differentiam, debet esse composita, vel ex materia, & forma, vel ex essentia, & existentia. Vndè cum substantia diuina careat omni compositione reali, & sit suum esse; incapax est compositionis ex genere, & differentia. Quod eleganter docet D. Thom. *cap. 6. de ente, & essentia*, his verbis: *Triplex inuenitur modus habendi esse in substantijs. Aliquid enim est sicut Deus, cuius essentia est ipsum suum esse; & ideò inueniuntur aliqui Philosophi dicentes, quod Deus non habet essentiam; quia essentia eius non est aliud, quam esse ipsius. Et ex hoc sequitur, quòd ipse non sit in genere; quia omne quod est in genere, oportet quòd habeat quidditatem præter esse suum.*

Cùm autem omnis creatura admittat aliquam ex prędictis compositionibus; sequitur nullam esse, quę compositionem generis, & differentię non fundet. Quidditas verò creaturarum in quibusdam componitur ex materia, & forma, vt in homine, & lapide; in quibusdam autem simplex est, vt in Angelis, & accidentibus. Et de omnibus his procedit difficultas; licèt prius de compositis agemus, quę nobis notiora sunt.

§. I.

Resoluitur dubium, quoad substantias corporeas.

27 DIcendum est primò, in substantijs corporeis, tàm genus, quam differentiam sumi proximè à tota essentia: ità quòd genus sumatur à materia, & forma, vt hęc dat illi esse perfectibile, & potentiale; differentia verò ab eisdem materia, & forma, vt hęc dat illi esse perfectum, & actuale. Hec conclusio, quę communis est apud Dialecticos, manifestè colligitur, & probatur ex dictis quęstione pręcedenti: quoniam genus est pars metaphysica potentialis, differentia verò actualis; sed quelibet pars metaphysica est re ipsa tota essentia, siuè species; aliàs, vt vidimus non posset de illa prędicari: ergo genus, & differentia important totam essentiam, & ab ea proximè desumuntur, modo in assertione explicato.

Quod potest amplius ostendi; nàm *animal*, v. g. quod est genus ad hominem, & equum non importat pręcisè materiam primam, quę est expers omnis actus; animal autem dicit actum vitę sensitiuę, qui debet oriri à forma. Deindè *hinnibile*, quod est differentia equi, non importat solàm formam: hęc enim non est hinnibilis vt *quod*, sed solùm vt *quo*; ergo etiam dicit materiam, ex qua simul cum forma resultat compositum, cui conuenit hinnire, vt *quod*.

Quę magis illustrantur, & confirmantur expressis verbis Angelici Doct. de spiritualibus creaturis, *art. 1. ad 24.* vbi ait; *In rebus compositis ex materia, & forma genus sumitur à materia, & differentia à forma; ità tamen quod per materiam non intelligatur materia prima, sed secundùm quod per formam recipit quoddam esse imperfectum, & materiale respectu esse specifici: sicut esse animalis est imperfectum, & materiale respectu hominis.* In quibus verbis solùm intendit, quòd fundamentum proximum generis non sit sola materia; nequè differentię sola forma. Quid autem de fundamento radicali sentiat, statim videbimus.

28 Dicendum est secundò, in substantijs corporeis genus sumi radicaliter à materia, & differentiam à forma, & per consequens in eis, aliam esse radicem generis, & aliam differentię. Assertio est expressa D. Thom. *1. p. q. 50. art. 2. ad 1.* vbi inquit; *In rebus materialibus aliud est, quod determinat ad specialem gradum; scilicet forma: & aliud quod determinatur scilicet materia. Vndè ab alio sumitur genus, & ab alio differentia.* Angelico Doctori subscribunt communiter Auctores vno excepto Vasquez, qui *1. p. disp. 179. cap. 1.* negat commune axioma: *genus sumitur à materia, & differentia à forma*; quem rectè impugnat Nazarius *ibidem, quæst. 50. art. 2. controuers. 2.*

Suadetur simul, & explicatur conclusio ratione desumpta ex D. Thoma: Quoniam primum in vnoquoque genere est causa, mensura, & radix aliorum, quę sunt in tali genere, vt dicitur *2. Metaph. text. 4.* sed in compositis substantialibus prima potentia est materia prima: ergo ab ea tanquam à radice, desumenda est quęuis alia potentialitas reperta in tali composito; at gradus genericus est potentialis; ergo genus sumitur radicaliter à materia. Quod potest similiter conuinci de differentia, & forma; nàm hęc est primus actus compositi; ergo ab ea sicut à prima radice oritur quęlibet compositi actualitas; at differentia est gradus actualis: ergo sumitur radicaliter à forma.

Sed obserua, quòd licèt materia, & forma sint primę radices generis, & differentię; distinguuntur tamen in hoc, quòd materia seclusa omni forma non est integra radix generis; licèt hoc conueniat formę respectu differentię. Quod rectè notauit Sanchez *lib. 3. quæst. 7.* Et ratio discriminis est, quia gradus genericus non solùm dicit potentialitatem, quę à materia prima deriuatur; sed etiàm importat aliquam actualitatem, ratione cuius in tali gradu entis constituitur. Vndè, cùm materia prima sit pura potentia, nequit esse integra radix

dix generis, nisi in ea intelligatur aliquod esse imperfectum pro[ue]niens à forma. Hæc autem est prima radix, à qua materia recipit omnem actualitatem: & ideò debet esse adæquata radix differentiæ, quæ actualitas quædam, & perfectio est.

29 Dices: gradus differentialis v. g. rationale non dicit solam actualitatem: sed etiàm connotat materiam; rationale enim, quod est differentia hominis, non significat quamlibet naturam intellectiuam; sed eam, quæ simul est materialis: ergo sicut genus non sumitur à materia sicut ab integra, & completa radice: ita neque differentia desumenda est à sola forma.

Respondetur, quòd licèt genus connotet formam, & differentia materiam; maximè tamen distinguuntur in modo connotandi. Nàm genus est gradus compositus ex gradu superiori, vel saltem ex conceptu communi entis, & proprio constitutiuo: differentia verò est conceptus simplex, nullam dicens compositionem, vt infrà declarabimus. Vndè genus importat materiam, & formam, tanquam quidintrinsecè petitum, & consequenter tanquam integram radicem, ex qua desumitur: at differentia solùm connotat materiam, quasi extrinsecè, & illatiuè. Quia tamen in genere non sic splendet ratio actus; sed magis attenditur conceptus potentialitatis, cuius prima radix est materia: propterea verificatur simpliciter commune axioma, quod genus sumitur à materia, & differentia à forma, vt patet ex dictis.

§. II.

Expeditur difficultas quoad substantias simplices.

30 Dicendum est tertiò, quòd in substantijs spiritualibus, seù simplicibus, quales sunt Angeli, genus non sumitur ab essentia, & differentia ab existentia. Hæc assertio est contrà aliquos antiquos, quibus adhærent etiam nonnulli Moderni asserentes in prædictis substantijs differentiam sumi ab existentia. Sed nostram conclusionem tradit D. Thom. *opusc. 42. cap. 4.* quam planè ibidem ostendit, & conuincit his verbis: *Cùm autem omne quod est in genere, vt completum existens, componatur ex genere, & differentia: genus autem sumatur ab eo, quod est in potentia; differentia verò à forma, siuè actu: in substantijs verò separatis essentia est vt potentia; esse verò vt actus: sequi quibusdam videtur genus eius sumi ab essentia, differentiam verò ab esse. Sed hoc nihil est: quia essentia est aliud ab esse Angeli; sed illud vndè sumitur differentia, non est aliud ab essentia rei constitutæ per differentiam.* Quæ ratio est euidens: nàm differentia est conceptus essentialis: ergo non potest fundari suprà id, quod non pertinet ad essentiam rei: at esse, siuè existentia est extrà essentiam Angeli; & omnis creaturæ: ergo &c. Videatur etiam S. Doctor *quodlibeto 9. articulo sexto ad 4.*

31 Dicendum est quartò, in substantijs spiritualibus totam essentiam esse fundamentum, tàm proximum, quàm radicale, à quo sumuntur genus, & differentiæ: ità vt eadem simplex quidditas considerata vt indeterminata, & perfectibilis sit radix generis; & considerata vt determinata, & perfecta sit fundamentum differentiæ. Hanc assertionem tradit D. Thom. *loco proximè citato, & 1. p. quæst. 50. art. 2. ad 1. & capite 6. de ente, & essentia.* Quem sequuntur communiter Doctores.

Probatur manifesta ratione: quia in Angelis solùm datur compositio ex essentia, & existentia: sed hæc non potest esse radix compositionis ex genere, & differentia: ergo vtrumque fundatur super eandem essentiam: quæ proindè erit fundamentum proximum, & radicale vtriusque gradus. § Confirmatur quia hoc nomen *Spiritus*, quod est genericum significat totam essentiam Angeli, non quidem adæquatè acceptam; sed quatenùs est radix perfectionis communis omnibus Angelis, nempè immaterialitatis. Hoc verò nomen *Gabriel*: quod est differentiale, & proprium vnius Angeli significat etiàm totam essentiam, vt est radix perfectionis, per quam *Gabriel* differt ab alijs Angelis, quam explicamus per maiorem immaterialitatem. Vnum igitur, & idem est fundamentum proximum, & remotum generis, & differentiæ in Angelis: neque assignari possunt distinctæ realiter radices horum graduum.

§. III.

Quid de accidentibus dicendum sit stabilitur.

32 Vltimò asserendum est, genus, & differentiam in accidentibus sumi proximè à tota illorum essentia; radicaliter verò non sumi à materia, & forma; sed primum genus sumi ex proprio modo essendi, quo quodlibet prædicamentum constituitur in esse talis entis; differentiam autem ex diuersitate principiorum, ex quibus causantur. Assertio desumitur ex D. Thom. *cap. vlt. de ente, & essentia*; vbi eam optimè probat Caietanus.

Prima pars satis constat ex dictis conclusione prima: neque indiget maiori probatione. Secunda verò facilè ostenditur: nàm essentia accidentis non componitur ex materia, & forma: ergo in illo non est alia radix generis, & alia differentiæ: sed vterque conceptus fundatur super eandem simplicem essentiam, quæ vt indeterminata, & perfectibilis fundat genus; & quatenùs determinata, & perfecta fundat differentiam: sicut contingit in substantijs simplicibus.

Hoc tamen est discrimen inter substantias spirituales, & accidentia: quòd illæ sunt entia simpliciter, atque ideò integra earum differentia sumitur à propria essentia, & non ab aliquo extrinseco. Accidentia verò sunt entia secundùm quid, & complentur per subiectum; ac proindè nequeunt perfectè definiri, nisi subiectum in eorum definitione ponatur, vt constat ex supra dictis *num. 3.* Propter quod asserimus, differentiam in accidentibus sumi radicaliter ab eorum principijs; non quidem, quia subiectum, siue principium sit intrinseca differentia accidentis; sed, quia propria ratio illius sumitur per ordinem ad subiectum: ità quod differentia consistit in illo ordine, & subiectum est terminus talis habitudinis. Per quod satis constat vltima pars conclusionis.

Non est autem huius loci examinare, & explicare, quid sit modus proprius constitutiuus cuiuslibet prædicamenti, à quo diximus sumi rationem genericam accidentium; sed id constabit, cùm de illis in particulari disputemus. Sufficiat dicere, quòd cùm conceptus entis sit vniuersalissimus, & impræscindibilis ab vltimis differentijs; non habet sufficientem potentialitatem, & abstractionem, vt ab eo sumatur genus; & ideò prima radix generis in quolibet prædicamento accidentis est proprius modus, quo accidens determinat ens, & constituit peculiare prædicamentum. Vndè genus in accidentibus sumi à proprio modo constitutiuo prædicamenti; differentiam autem à proprijs eorum subiectis, siuè principijs, nihil aliud re ipsa est, quam genus sumi à tota essentia, vt indeterminata, & potentiali; differentiam verò ab eadem essentia, vt determinata, & perfecta.

DISPV-

DISPVTATIO VI.

De specie secundo prædicabili.

1 VARIÆ sunt acceptiones speciei apud Rhetores, Grammaticos, & Iurisperitos, de quibus videri potest noster Didacus à Iesu in præsenti. Porphyrius tamen, alijs omissis duarum præcipuè meminit: nàm species primò sumitur pro pulchritudine, quo sensu dicitur, præstantissimam speciem esse imperio dignam. Secundò accipitur logicè pro eo, quod continetur sub genere, & aptum est prædicari de indiuiduis: quo pacto se habet homo ad animal, & ad Petrum, & Paulum. Et speciem sic sumptam definit Porphyrius primò: *Species est id, quod subijcitur generi, & de quo genus in eo quod quid prædicatur.* Et iterùm *Species est, quod de pluribus differentibus numero in eo quod quid prædicatur.* Quibus, & alijs, quæ in præsenti tradit Porphyrius, elucidandis istam damus disputationem.

QVÆSTIO I.

Vtrum definitiones speciei à Porphyrio traditæ sint bonæ.

NAtura, quæ est subiectum specieitatis, duplicitet potest considerari. Si enim comparetur ad genus dicitur *Species subijcibilis*, quam definit Porphyrius prima ex definitionibus modo præmissis. Si autem referatur ad indiuidua appellatur *Species prædicabilis*, cui competit secunda definitio: illas tamen claritatis gratia singillatim exponemus.

§. I.

Explicatur, & defenditur definitio speciei subijcibilis.

2 IN his verbis, *Species est id, quod subijcitur generi, & de quo genus in eo quod quid prædicatur*, non vnica definitio speciei subijcibilis continetur; sed duplex, vt docent communiter interpretes in præsenti. Primam continent illa verba: *id quod subijcitur generi*; secunda verò habetur in subsequentibus; *id de quo genus in eo quod quid prædicatur.*

Differunt autem eæ definitiones penès hoc, quod prima est essentialis, & secunda descriptiua. Sicut enim in genere esse in pluribus speciebus est de essentia eius; prædicari verò de illis est propria passio: ità in specie, quæ est correlatiua generis, & illi substernitur, duo possunt considerari. Primum est esse, id in quo existit genus, & hoc habet rationem essentiæ in specie subijcibili, & explicatur prima definitione dicendo: *Species est id, quod subijcitur generi*: Secundum est esse id, de quo genus prædicatur, & hoc habet rationem passionis, & exponitur altera descriptione dicendo: *Species est id, de quo genus in eo quod quid prædicatur.*

Vtrìusque autem definitionis bonitas satis apparet: tùm quia seruant communes leges definiendi: nihil enim habent superfluum, vel diminutum. Tùm quia in illis splendent speciales regulæ, quas supra tradidimus ad definiendas has intentiones in concreto. Tùm deniquè, quia pro illis stat auctoritas ipsa Porphyrij; & communis approbatio Doctorum, à quibus ineptum esset recedere.

3 Vndè nihil refert, si in contrarium obijcias primò: omnes harum definitionum particulæ conueniunt alijs à definito, nempè indiuiduis: ergo non sunt bonæ. Probatur antecedens: nam indiuiduum verè continetur sub genere, & hoc de illo prædicatur in quid, vt patet in hac prædicatione *Petrus est animal*, quę est formalis, & quidditatiua.

Respondetur, quod indiuidua non continentur immediatè sub genere, sed mediante specie: vnde excluduntur ab ijs definitionibus per ly *subijcitur*, & ly *prædicatur*: quę intelligenda sunt de subiectione, & prędicatione immediata: sermo enim in definitionibus debet esse formalis, & per se.

Sed, instabis: indiuidua generica immediatè collocantur sub genere, istudquè immediatè prędicatur de illis, vt constat in his propositionibus: *Hoc animal est animal, & hæc quantitas est quantitas*: & tamen non sunt species subijcibiles, vt patet: ergo istę definitiones conueniunt alijs à definito.

Respondetur, speciem esse, quę ponitur sub genere, vt genus est; nam vt dicebamus definitionum sensum debet esse formalem. Hoc autem minimè conuenit indiuiduis genericis, vt pote de quibus non prędicatur genus, vt genus est. Sicut enim *hoc animal* ex modo significandi habet rationem indiuidui: ità *animal* ex modo, quò prędicatur, non habet rationem generis; sed speciei. Et ratio est, quia non prędicatur de illo, vt natura perfectibilis, & potentialis; quod est proprium generis; sed vt natura perfecta, & tota quidditas subiecti; quod conuenit speciei, vt constat ex supradictis. Vndè talis prædicatio non est simpliciter primi prædicabilis, sed reducitur ad secundum.

§. II.

§. II.

Elucidatur definitio speciei prædicabilis.

4 SVppositis his, quæ suprà *disp. præced. numer.* 8. diximus circà definitionem generis: facilè apparet bonitas definitionis, qua Porphyrius explicat speciem prædicabilem. Nàm sicut est proprium generis prædicari essentialiter de pluribus differentibus specie: ità proprium est speciei prædicabilis prædicari de pluribus differentibus numero, in eo *quod quid*: ergo sicut per illud rectè explicatur genus, ità per hanc definitionem declaratur benè natura speciei. Vtraque tamen definitio est descriptiua; nàm prius est esse in pluribus, quam prædicari de illis; & idcircò hoc vltimum habet rationem passionis. ¶ Accedit hanc definitionem obseruare leges, quas suprà proposuimus ad definienda hæc accidentia in concreto significata; ergo est recta, & admittenda, sicut de facto admittitur communiter à Doctoribus.

5 Sed contrà illam obijcies primò: quia natura diuina non est species, cùm sit essentialiter singularis: & tamen prædicatur essentialiter de pluribus differentibus numero, nempè de tribus diuinis personis: ergo definitio speciei conuenit alijs à definito.

Respondetur, speciem prædicari de differentibus numero in ipsa natura, quæ prædicatur: nàm verba definitionis debent accipi in sensu formali. Hoc autem non competit personis diuinis, quia natura diuina est vna numero in illis. Vndè in eis non est pluralitas absolutorum; sed relationum: quæ licèt sufficiat, vt in diuinis sit vera Trinitas, non verò, vt natura diuina sit propriè species.

Secundò obijcies: quia naturæ angelicæ, & Sol, & Luna, sunt verè species, & tamen non prædicantur de pluribus differentibus numero: siquidem tantùm habent vnum indiuiduum, de quo prædicentur: ergo definitio speciei non conuenit omni definito.

Respondetur, quòd licèt Sol, Luna, & alia huiusmodi non habeant de facto plura indiuidua; non tamen repugnat ea habere saltem ex principijs specificis talium naturarum, vt docet D. Thom. 4. *Contrà gentes*, c. 35. & sic possunt potentia Logica prædicari de pluribus. Ad id quod dicitur de natura angelica constabit *infrà quæst.* 3.

Tertiò obijcies: quià numerus est species quantitatis, vt docet Arist. *in Prædicam.* ergo differre num. solùm competit habentibus quantitatem: atqui indiuidua specierum spiritualium carent quantitate, vt constat ex terminis: ergo hæc definitio non conuenit speciebus rerum spiritualium, & consequenter omni definito.

Respondetur, quòd licèt numerus prædicamentalis sit species quantitatis; numerus tamen transcendentalis reperitur etiàm in alijs prædicamentis, vt docet D. Thom. 1. *part. qu.* 50. *art.* 3. Duæ namquè animæ rationales, quæ substantiæ spirituales sunt, numero distinguuntur: & idem est de duobus intellectibus, vel habitibus gratiæ, seù charitatis. Quod sufficit ad verificanda verba definitionis; nàm ly *differentibus numero* non restringitur ad solum numerum prædicamentalem.

6 Quartò deniquè obijcies: nàm definitio debet conuenire definito secundùm quod tale est; siquidem conuertitur cum ipso: sed hæc non conuenit speciei, in quantum species est: ergo &c. Probatur minor: nàm species, vt species est, subijcitur generi: sed speciei, in quantum subijcitur generi, non conuenit prædicari de pluribus: ergo hæc definitio non conuenit speciei in quantum tali.

Respondetur, subijcibilitatem, quam species importat respectu generis, & prædicabilitatem, quam habet respectu indiuiduorum, esse relationes disparatas. Vndè sicut *canis*, quatenùs canis est, nec est solùm latrabilis, nec solùm marinus; sed vtrumque: ità species, vt species est, nec est solùm subijcibilis, nec solùm prædicabilis; sed vtrumque: & ideò nequit secundùm vnam, & alteram rationem vnica definitione comprehendi, & explicari. In præsenti autem definitur species, vt prædicabilis: & illi, quatenùs tali optimè adaptatur adducta definitio.

Replicabis: quoniam relatiuum ex vnica ratione fundandi solùm potest respicere vnum terminum adæquatum; sed species, vt species est, importat dumtaxat vnicum fundamentum, seu rationem fundandi: ergo species, vt species est, nequit simul respicere genus, & indiuidua; cum sint termini adæquati, & inter se diuersi.

Respondetur negando minorem; nàm sicut subijcibilitas, & prædicabilitas sunt relationes disparatæ, quas hoc nomen *species* æquiuocè significat; ità habent rationes fundandi disparatas, quas idem nomen inuoluit. Subijcibilitas enim habet pro ratione fundandi cognitionem passiuam, qua natura perfecta cognoscitur cum ordine ad genus; prædicabilitas autem fundatur super cognitionem passiuam, qua eadem natura cognoscitur cum habitudine ad indiuidua. Sed ad perfectiorem huius rei intelligentiam, sit.

QVÆSTIO II.

Vtrum species quatenùs subijcibilis sit prædicabilis?

IN qualibet natura specifica, quatuor possumus considerare relationes rationis; duas respectu inferiorum, nempè vniuersalitatem, & prædicabilitatem; & alias duas respectu generis, quæ dicuntur subijcibilitates, quarum primam appellamus *subijcibilitatem naturæ, in qua*; secundam verò *subijcibilitatem naturæ de qua*. Ex quibus ista est passio illius, sicut prædicabilitas vniuersalitatis. Præsens ergo difficultas comparat duas priores relationes cum duabus posterioribus; & inquirimus, an species quatenùs respicit genus, & dicitur subijcibilis, respiciat etiàm inferiora, & sit vniuersalis, seù prædicabilis. Vel (quod idem est) vtrum eæ relationes seruent inter se ordinem essentiæ, & passionis; causæ, & causati; an potiùs purè concomitanter se habeant.

§. I.

Proponitur vera sententia.

7 DIcendum est primò, speciem quatenùs subijcibilem non esse vniuersalem, ità quòd natura constituatur in esse vniuersalis, vel prędicabilis per relationem ad superiora. Hæc conclusio est receptissima inter Dialecticos, & breuiter probatur; quoniam species constituitur in esse subijcibilis per ordinem ad genus, cui comparatur, vt subiectum: at vniuersale constituitur in esse talis per respectum ad inferiora, quibus comparatur, vt prædicatum; ergo species in quantum subijcibilis non est prædicabilis.

8 Dicendum est secundò, relationes istas non habere inter

inter se ordinem essentiæ, & passionis, neque vnam oriri ex alia; sed esse omninò diuersas, & disparatas. Hæc etiàm assertio recipitur communiter, tàm à Thomistis, quàm ab alijs Dialecticis, quorum plures adducit Gallego hic *controuersia* 11.

Fundamentum est: quia prædictæ relationes aduenimnt naturæ per actum intellectus comparantis illam ad diuersos terminos: sed inter prædictas comparationes nulla est connexio, vel ordo: ergo neque est inter ipsas relationes; sed pura concomitantia. Probatur minor: nàm comparatio naturæ ad genus non petit comparationem eius ad indiuidua: neque ex comparatione ad genus redditur species aptior, vel magis disposita, vt comparetur ad indiuidua: ergo inter has comparationes nulla est connexio.

Dices: relatio, qua species respicit genus necessariò supponit vniuersalitatem in natura, quæ refertur: aliàs definitio speciei subijcibilis conueniret indiuiduo: ergo subijcibilitas oritur ab vniuersalitate, tanquam passio ab essentia.

Respondetur, speciem subijcibilem sufficienter distingui ab indiuiduo per hoc, quod species petit pro fundamento vniuersalitatem fundamentalem, & quòd sit abstracta per intellectum agentem ab indiuiduis. Statim autem, ac natura est sic abstracta potest intellectus possibilis comparare eam, vel ad genus, vel ad indiuidua: & sic tales comparationes, & relationes illas consequentes sunt omninò diuersæ, & disparatæ.

Vndè infertur propositiones istas: *species quatenùs subijcibilis est prædicabilis*, vel, *quatenùs vniuersalis est subijcibilis*, esse prout iacent, falsas: quia ly *quatenùs* importat ordinem causæ, vel rationis formalis; qui tamen inter prædictas intentiones non reperitur.

§. II.

Occurritur argumentis Caietani, & Toleti.

9 Contrà istas assertiones sentit in primis Caietanus in hoc *cap.* vbi asserit subijcibilitatem in specie se habere vt essentiam, à qua tanquam passiones oriuntur vniuersalitas, & prædicabilitas. Cuius fundamentum est: quia maximè proprium speciei est respicere genus, ad quod sequitur quòd habeat indiuidua: ergo relatio, qua comparatur ad inferiora est quasi passio relationis, qua respicit genus.

Respondetur, quòd speciei fundamentaliter sumptæ pro natura perfecta accidentalis, prorsus est tàm subijcibilitas, quàm prædicabilitas. Si verò de ipsis intentionibus loquamur, neutra supponit necessariò aliam, neque ex illa oritur: sed sunt relationes disparatæ, quæ eidem naturæ accidunt. Concedimus quidem magis connaturale quodammodò esse naturæ fundare relationem ad genus, quam ad indiuidua: quia illud respicit, vt quid sibi essentiale, hæc autem vt quid extrà essentiam. Cæterùm ex hoc non infertur dari ordinem essentiæ, & passionis inter intentiones fundatas: sicut etiam est magis connaturalis homini risibilitas, quam albedo: & tamen hæc non deriuatur ab illa, neque homo est albus quatenus risibilis, vel quia risibilis.

Secundò arguitur: nàm correlatiua sunt sub eodem genere: sed genus, vt genus, est vniuersale: ergo species subijcibilis, vt subijcibilis est vniuersalis. Patet consequentia: quia genus, & species subijcibilis sunt correlatiua.

Respondetur, genus, & speciem esse correlatiua disquiparentiæ: hæc autem non postulant esse sub eodem genere proximo relationis; sed sub remoto. Vndè non benè infertur, quod si genus, vt respicit speciem, est vniuersale: etiàm species, vt respicit genus, debeat esse vniuersalis: sed potiùs sequitur oppositum cùm vniuersalitas, & subijcibilitas sint respectus diuersæ rationis.

Tertiò arguitur: quia quod immediatè subijcitur generi debet esse vniuersale: sed species quatenùs subijcibilis, immediatè subijcitur generi: ergo quatenùs subijcibilis est vniuersalis.

Respondetur id, quod subijcitur generi, debere esse vniuersale materialiter: hoc est debere esse naturam, quæ possit denominari vniuersalis: non formaliter prout subijcitur, sed aliàs. Ex quo nihil sequitur contra nos.

Quartò arguitur: nàm species subijcibilis prædicatur essentialiter de hac, & illa specie subijcibili: ergo species, quatenùs subijcibilis, est vniuersalis.

Respondetur, speciem subijcibilé materialiter sumptam esse subjectum, quod potest denominari ab intentione vniuersalitatis: vndè neganda est consequentia, quia reddit sensum formalem. Nàm sicut homo prædicatur de isto, & illo homine, & tamen quatenùs homo, non est formaliter vniuersalis, sed solùm materia denominabilis ab vniuersalitate: ità neque species subjicibilis, est vniuersalis; sed duntaxat est subiectum vniuersalitatis.

10 Toletus *in hoc cap. quæstione vnica*, asserit vniuersalitatem in specie habere rationem essentiæ, & radicare subjicibilitatem ad genus tanquam passionem: & consequenter speciem, quatenùs vniuersalem, seu prædicabilem, esse subjicibilem. Et suadetur hæc opinio: quia vniuersale in communi est genus ad quinque vniuersalia: ergo quodlibet vniuersale est species subjicibilis eius: ergo species, quatenus vniuersalis, est species subjicibilis.

Respondetur, quinque vniuersalia quatenùs respiciunt suum genus materialiter tantùm esse vniuersalia, seù naturas quasdam vniuersales: quibus accidit subjicibilitas ad vniuersale vt sic. Quemadmodum enim homo, vt homo est, non respicit animal vt genus; neque ex se petit hanc relationem: ita neque specieitas, quatenùs est relatio ad indiuidua, respicit formaliter vniuersalitatem vt sic, vel connectitur per se cum tali respectu: sed hoc illi accidentaliter conuenit per operationem intellectus comparantis specieitatem ad vniuersalitatem, vel speciem ad vniuersale, sicut hominem ad animal.

Colligitur ex dictis hoc nomen *species* esse æquiuocum respectu speciei subjicibilis, & prædicabilis. Et ratio est perspicua: quia licet subjicibilitas, & prædicabilitas conueniant vniuocè in ratione relationis, aut alijs generibus: tamen respectu *speciei* nihil habent commune præter nomen: cùm sint relationes omninò diuersæ, & disparatæ. Sicut quamuis canis latrabilis, & marinus conueniant vniuocè in genere substantiæ, & animalis: nihilominùs, vt significantur nomine *canis*, sunt res omninò diuersæ, quia hoc nomen non significat gradum aliquem illis communem; sed vltimas differentias: & ideò dicitur æquiuocè de illis.

QVÆSTIO III.

Vtrum omnis species subijcibilis sit etiam prædicabilis?

11 Vidimus quæstione præcedenti, subjicibilitatem, & prædicabilitatem nullum inter se habere ordinem essentiæ, & passionis. Sed examinandum superest, an saltem natura, quæ recipit intentionem subijci-

subjicibilis, possit etiam fundare intentionem vniuersalis. Et mouetur quæstio propter naturas angelicas, quas certum est, esse species subjicibiles generis substantiæ spiritualis: sub quibus tamen, vt concors Thomistarum opinio tenet, neque per absolutam Dei potentiam possunt esse plura indiuidua solo numero diuersa; sed quælibet species adæquatur per vnicum indiuiduum. Qua sententia supposita procedit præsens difficultas; nam cum de ratione vniuersalis sit ordo ad plura, vt sæpè diximus, non apparet quo pacto competat vniuersalitas iis speciebus, quæ nequeunt habere plura indiuidua.

§. I.

Eligitur sententia Angelici Doctoris.

12 Dicendum est, naturas angelicas prout à nobis in hoc statu concipiuntur subire intentiones vniuersalis, & prædicabilis: & consequenter de facto omnem speciem subjicibilem esse prædicabilem. Hanc conclusionem docet D. Thom. 1. *p.* *q.* 13. *art.* 9. & de spiritualibus creaturis *art.* 8. *ad* 4. & alibi sæpè; & ideò hæc sententia receptissima est inter Thomistas. Videantur Arauxo 3. *Metaph. quæst.* 4. *art.* 4. & Gallego *controuersia* 15. qui plures alios adducit.

Sed antequam fundamentalem assertionis rationem proponamus, duo obseruare oportet. Primum est, quòd licèt in Angelis non sit aliud, à quo sumitur species, & à quo sumitur indiuiduatio, sed eadem simplicissima entitas per se ipsam constituatur in sua specie, & sit hæc, & indiuidua: nihilominùs illa eadem entitas sub expressione, & munere indiuiduandi non est de conceptu specifico naturæ angelicæ; sed extra illum: cùm singularitas non sit de essentia alicuius creaturæ. Vndè priusquam Angelus intelligatur hic numero, intelligitur compositus ex genere substantiæ spiritualis, & ex differentia talis intellectualitatis, constitutusquè in determinata specie ab omnibus aliis diuersa. Constat autem quidditatem cuiuslibet rei constitui integrè ex genere, & differentia, & intra istos terminos claudi; ac proindè singularitatem, quę illos supponit esse extra speciem, & essentiam creaturę.

Ex quo fit, quod eandem simplicem entitatem Angeli possumus considerare vno conceptu, prout constituit Angelum in sua specie & habet rationem differentię specificę; & alio conceptu, quatenùs indiuiduat, & habet rationem differentię numericę constituentis Angelum in esse indiuidui, & singularis. Et ideò possumus pręscindere vnum ab alio, abstraheteque naturam specificam Gabrielis v. g. à differentia indiuiduali eiusdem.

Secundò obseruandum est, quòd pro hoc statu non cognoscimus Angelos, vt sunt in se ipsis; sed per species corporum. Naturas autem corporeas intelligimus abstrahendo conceptum specificum à conditionibus indiuidualibus, cum quibus à parte rei identificatur. Quapropter natura angelica prout objicitur de facto nostro intellectui, non includit indiuiduationem, sed pręscindit ab ea, & est negatiuè communis; tametsi illam includat ex parte rei conceptę. Nam intelligitur ad instar rei corporeę, in qua ex diuersis principiis sumuntur vnitas specifica, & numerica. Ex quo fit, quod diuerso modo cognoscamus de facto Angelos, & illis tribuamus intentiones, ac cognosceremus, & tribueremus, si intelligeremus ipsos, secundùm quod sunt in se ipsis intelligibiles. His suppositis.

13 Probatur conclusio ratione; quoniam habitudo naturę specificę, & quantum est de se communis pluribus; saltem negatiuè, ad vnicum indiuiduum, sicut ad terminum inferiorem, constituit ipsam in esse vniuersalis: siquidem vniuersalitas Logica nihil aliud est, quam relatio superioris ad inferius; sed natura angelica concepta à nobis pro hoc statu comparatur ad suum indiuiduum, sicut ad terminum sibi inferiorem, & inadęquatum: ergo est vniuersalis Logicè. Major, & consequentia constant: minor verò probatur; tùm quia pro hoc statu cognoscimus Angelos ad instar specierum sensibilium: quas, vt liquet, referimus ad quodlibet indiuiduum, sicut ad terminum inadæquatum, & inferiorem. Tùm etiam, quia ideò natura humana comparatur, vt superior ad sua indiuidua; quia prout objicitur abstractioni præcisiuæ nostri intellectus est negatiuè communis: sed natura angelica apprehenditur à nobis sub hac negatiua communitate; siquidem non est necessarium, quod apprehendatur vt singularis: ergo &c.

Confirmatur primò: quia natura angelica abstracta, vel concepta sine singularitate comparatur ab intellectu ad proprium indiuiduum, sicut indifferens ad suum determinatiuum: ergo ex modo concipiendi comparatur, vt superius ad inferius, & consequenter fit vniuersalis. Probatur consequentia: nam indifferens, in quantum tale, necessariò concipitur cum maiori latitudine, quam id, per quod determinatur: ergo ex modo concipiendi est superius, & vniuersale.

Confirmatur secundò: nam prædicatio, in qua natura specifica Gabrielis tribuitur suo indiuiduo, non est identifica; sed formalis, & termini communis de singulari: ergo est secundi prædicabilis. Probatur antecedens: quia natura Gabrielis quantum est ex prædicatis essentialibus, vt specifica sunt, non est singularis; sed negatiuè communis: ergo enuntiatur de suo indiuiduo non identicè; sed formaliter, & per modum termini communis de singulari.

Confirmatur tertiò: quia indiuiduum angelicum concipitur à nobis, vt subjicibile respectu naturæ specificæ: sed relatio, quæ correspondet subiicibilitati indiuidui, est vniuersalitas speciei: ergo natura angelica, prout concipitur à nobis, importat relationem vniuersalitatis ad suum indiuiduum. Probatur major, tùm quia indiuiduum angelicum intelligitur à nobis ad instar indiuidui rei sensibilis, quod subjicitur suæ speciei. Tùm etiam, quia prædictum indiuiduum ponitur à nobis in prædicamento substantiæ, vt fundamentum aliorum prædicatorum, & subiectum suæ speciei; non secus ac indiuidua specierum sensibilium.

§. II.

Diluuntur argumenta contraria.

14 Opposita sententia est satis communis inter modernos extrà scholam D. Thomæ, quos proindè opus non est singillatim referre. Et probatur primò: nam species vniuersalis est vnum in multis, de quibus essentialiter prædicatur: sed hoc repugnat naturæ angelicæ: ergo non potest esse vniuersalis. Probatur minor: nam imprimis, vt supponimus, non valet esse in pluribus indiuiduis realibus: aliàs nequit prædicari essentialiter de pluribus indiuiduis fictis ab intellectu; quia hæc sunt entia rationis, illa verò ens reale: ergo natura angelica non potest esse in multis, de quibus essentialiter prædicetur.

Confirmatur primò: nam cui repugnat absolutè actus, repugnat potentia ad illum: sed naturæ angelicæ absolutè repugnat actualis prædicatio de multis indiuiduis: ergo, & prædicabilitas, quæ est aptitudo ad prædicatio-

nem,

rem, sicut ad proprium actum: ergo species angelica non est prædicabilis.

Confirmatur secundò: quia ideò Petrus nequit concipi, vt vniuersalis, quia concipitur sub opposito eius, quod vniuersalitas petit, nempè sub immultiplicabilitate secundùm numerum: sed natura Gabrielis concipitur sub eadem immultiplicabilitate, ex suppositione, quòd illi repugnant plura indiuidua: ergo non concipitur, vt vniuersalis.

15 Vt huic argumento perspicuè occuramus, obseruandum est, vniuersalitatem logicam esse in duplici differentia: aliam secundùm rem, & rationem; aliam verò secundum rationem tantum. Prima fundatur in conformitate reali plurium indiuiduorum participantium eandem naturam, & in modo, quo illam cognoscimus, nimirum per abstractionem à singularibus. Secunda autem solùm habet fundamentum in nostro modo concipiendi: quatenus natura apprehenditur prædicabilis de vno indiuiduo, ac si haberet plura, id est per modum superioris de inferiori. Quia eo ipso est prædicabilis de pluribus æquiualenter: cùm illud vnicum indiuiduum sit in ratione termini plura: nam terminat habitudinem naturæ eo modo, quo possent terminare plura indiuidua, si essent, scilicet cum inferioritate, & subiectione.

Hinc ad argumentum respondetur, naturam angelicam non esse in pluribus indiuiduis existentibus, vel possibilibus; sed ex hoc solùm infertur, quod repugnet illi vniuersalitas secundùm rem, & rationem. Comparatur tamen ex nostro modo concipiendi ad proprium indiuiduum, ac si haberet alia plura: quia respectu illius apprehenditur à nobis, vt quid superiùs, & indifferens. Et eo ipso est in tali statu, quod si per possibile haberet plura indiuidua, prædicaretur de illis absque aliqua mutatione naturæ, provt à nobis conceptæ. Quod sufficit, vt sit vniuersalis secundùm rationem tantùm, aut ex modo concipiendi.

Ad primam confirmationem respondetur actum proprium vniuersalitatis, vel prædicabilitatis secundùm rem, & rationem, esse prædicationem de multis existentibus, vel possibilibus: & quia hic actus repugnat naturæ angelicæ, propterea non asserimus, quòd sit vniuersalis secundùm rem, & rationem. Actus verò proprius, correspondens vniuersali secundùm rationem tantùm, non est prędicari de multis absolutè, & formaliter; sed prædicari de vno, quod in modo terminandi illam habitudinem est æquiualenter plura. Et quia propria ratio sub qua terminatiua vniuersalitatis est inferioritas, & hęc saluatur in vnico indiuiduo sicut in pluribus; idcircò asserimus, naturam angelicam ex nostro modo concipiendi esse vniuersalem secundum rationem tantùm.

Ad secundam confirmationem negatur minor; quia Petrus, vt Petrus concipitur à nobis, vt vnus vnitate numerica; ac proindè vt immultiplicabilis secundùm numerum. Natura autem specifica Gabrielis apprehenditur abstracta à sua singularitate, & provt sic potiùs concipitur, vt communicabilis pluribus; seu vt non habens aliquid, per quod prohibeatur descendere ad plura indiuidua, si alias essent possibilia. Quia *natura huius Angeli* (ait Angelicus Doctor *loco citato* de spiritualibus creaturis) *non prohibetur esse in multis ex eo, quod pertinet ad rationem speciei, sed ex eo quod pertinet ad rationem indiuidui*. Et licèt Thomistæ iudicemus, speciem Angelicam esse immultiplicabilem numero; id tamen non cognoscimus ex vi abstractionis præcisiuæ, qua prædicta species obijcitur intellectui ad instar naturarum sensibilium: sed quia talem immultiplicabilitatem per varios discursus alias deducimus, & deprehendimus.

16 Secundò arguitur: nam licèt Angelos apprehendamus ad modum corporum; tamen non iudicamus esse corpora: ergo licèt species angelicas apprehendamus ad modum specierum, quæ sunt vniuersales; non ideò debemus tribuere illis intentiones vniuersalitatis, & prædicabilitatis, quas tribuimus istis.

Confirmatur: quia in hoc statu eodem modo cognoscimus naturam diuinam, ac angelicam: vtramque enim intelligimus ad modum rei sensibilis, & per species corporum: sed natura diuina non est vniuersalis, & prædicabilis Logicè: ergo nec natura angelica.

Respondetur ad argumentum negando consequentiam: & ratio disparitatis est, quod ex apprehensione Angeli adinstar corporis non sequitur necessariò iudicium, quo iudicemus esse corpus, cùm sint distincti actus. Cæterùm hoc ipso, quod species angelicas abstrahamus, & comparemus ad suum indiuiduum eo modo, quo abstrahimus, & comparamus species materiales, sequitur necessariò fieri vniuersales: quia vniuersalitas resultat in natura per ipsum actum comparationis.

Ad confirmationem omissa majori, & concessa minori, negatur consequentia: quia vniuersalitas Logica non repugnat naturæ diuinæ ex parte nostri modi concipiendi; sed ex parte perfectionis conceptæ. Tùm, quia vt aliquid sit vniuersale Logicum debet habere aliquid potentialitatis determinabilis, & contrahibilis per aliquam additionem: vndè cùm Deus sit ipsum suum esse, & actus purus, nullatenùs potest esse vniuersalis. Tùm etiam, quia sola natura diuina est essentialissimè singularis, & immultiplicabilis numero: & ideò nequit esse vniuersalis in intellectu eorum, qui verè licèt imperfectè, & obscurè cognoscunt quidditatem illius. Quæ rationes nequaquam militant in natura angelica. Videatur D. Thom. *quæstione septima de potentia, articulo primo, & 1. p. quæstione tertia, articulo quinto*.

In calce huius quæstionis obseruandum est, naturas angelicas, si secundùm quod sunt in se ipsis cognoscerentur, non fore vniuersales. Et ratio est: quia Angelus ab eodem principio, quo constituitur in esse specifico, constituitur reipsa in esse singularis: ergo conceptus provt est in se, simul intelligeretur, vt Angelus, & vt hic Angelus, ac proindè non posset concipi, vt vniuersalis.

QVÆSTIO IV.

An genus possit conseruari in vnica specie, & species in vnico indiuiduo?

17 AD perfectè cognoscenda propria genereitatis, & specieitatis subiecta, maximè conducit discussio præsentis difficultatis. Quæ non procedit de ipsis secundis intentionibus, quas certum est esse relationes rationis ab intellectu formatas, & intra ipsum manentes; ac proindè non necessariò exigere existentiam specierum, vel indiuiduorum, ad quæ terminantur. Nam siue existant, siue non; intellectus potest formare intentiones generis, & speciei, apprehendendo naturas illas possibiles in ordine ad inferiora possibilia. Difficultas ergo solum est de ipsis naturis, quæ subijciuntur prædictis intentionibus, & ab eis denominantur: an scilicet animal, v. g. quod est genus ad hominem, & alias species, possit conseruari in solo homine, alijs animalibus non existentibus. Et similiter: an homo qui est species respectu Petri, & aliorum indiuiduorum, possit conseruari in solo Petro, cæteris indiuiduis de medio sublatis.

Ad

Ad cuius intelligentiam notandum est, naturas istas posse considerari dupliciter. Primò physicè, & quasi materialiter, id est secundùm realem entitatem prædicatorum, quæ actu includunt. In quo sensu certum est, genus posse conseruari in vnica specie, & speciem in vnico indiuiduo: nam solo Petro existente, verè existit entitas, quam actu dicunt homo, animal, viuens &c. siquidem à parte rei omnia hæc sunt vna, & eadem entitas realis.

Secundò possunt considerari metaphysicè, & quasi formaliter: quo pacto sunt conceptus quidam præcisi, & gradus inter se diuersi; ex quibus alter, nempè genericus, est totum quoddam potentiale, vltra perfectibile, & determinabile per differentias formales; alter verò, videlicèt specificus, est totum quoddam actuale, & perfectum, vltimò in essentia constitutum, & per consequens solùm determinabile, & diuisibile per differentias numericas, seu materiales. Et in hoc sensu procedit difficultas, & inquirimus: an gradus genericus secundùm potentialitatem, quam importat metaphysicè consideratus, sufficienter intelligatur actuari, & saluari in vnica specie, & species in vnico indiuiduo.

§. I.

Defenditur communis sententia.

18 Dicendùm est, naturam genericam metaphysicè acceptam non perfici, neque saluari integrè in vnica specie: benè autem naturam specificam in vnico indiuiduo. Desumitur hæc conclusio ex Aristot. 4. *Topicor. cap.* 3. & ex D. Thom. 1. *Poster. lect.* 10. quos sequuntur Thomistæ apud Masium *sect.* 2. *de genere, quæst.* 1. & communiter Doctores.

Probatur primò: quia integra perfectio potentiæ sumitur ex actu adæquato, illi correspondente: sed natura generica est potentia respiciens, vt actum adæquatum omnes differentias, quibus contrahitur ad species: ergo non habet integram perfectionem, quam postulat, nisi actuetur, & contrahatur per tales differentias, & consequenter nequit saluari perfectè in vnica specie. Probatur minor, tùm quia vnaquæque differentia est inferior generi, & inconuertibilis cum illo, ac proindè ei inadæquata. Tùm etiam, quia differentia specifica facit vnam speciem essentialiter distingui ab aliis intra idem genus: ergo illud est radix oppositarum differentiarum: ergo nulla earum per se solam adæquat potentialitatem generis.

Natura autem specifica non habet rationem potentiæ; sed potiùs est totum actuale, completum, perfectum, & vltimò in essentia constitutum: & consequenter non respicit differentias numericas, vt actum essentialem; imò potiùs per illas deprimitur, & materializatur, vt inquit Diuus Thom. 2. *Physic. lect.* 5. ergo non requiruntur plura indiuidua, vt species intelligatur habere integrè suam perfectionem.

19 Probatur secundò: quia nullum datur in rerum natura genus, quod actu non habeat plures species; plures verò sunt species, quæ solùm habent vnicum indiuiduum, vt patet in sole, luna, & speciebus angelicis: ergo signum est, quod genus petit plures species, vt saluetur eius perfectio; non autem species plura indiuidua. Probatur consequentia: nam aliàs natura superflueret in multitudine illarum specierum; & deficeret in singularitate istorum indiuiduorum: quod est absurdum.

Confirmatur: quia natura per se intendit multitudinem specierum; pluralitatem verò indiuiduorum solùm intendit ad conseruandam in eis speciem, vt tradit Diuus Thom. 1. p. *quæst* 47. *articulo secundo*. Vndè species pertinent per se ad ordinem vniuersi, & sunt partes principales illius; non autem indiuidua: sed hoc ideò est, quia genus in vnaquaque specie habet distinctam perfectionem essentialem, quam non acquirit species in diuersis indiuiduis: ergo genus secundùm potentialitatem, quam dicit, non saluatur plenè in vna specie, benè autem species in vnico indiuiduo.

§. II.

Referuntur opiniones aduersæ.

20 Contrà istam conclusionem duplex militat sententia; prima negat, speciem posse conseruari in vnico indiuiduo. Sic Oña *in hoc cap quæst.* 2. *artic.* 2. cuius fundamentum est; quia sicut natura generica diuiditur per differentias oppositas, ita etiam specifica: quemadmodum enim animal diuiditur per rationale, & irrationale, quæ sunt differentiæ oppositæ, & incompossibiles; ita similiter homo diuiditur per differentias numericas, quæ sunt incompossibiles, & oppositæ: ergo sicut genus, ita etiam species postulat plura inferiora, vt illius potentialitas intelligatur plenè actuata.

Respondetur, quòd licèt differentiæ indiuiduales sint inter se oppositæ sicut specificæ; hæ tamen addunt perfectionem essentialem suprà genus, & idcircò potentialitas istius non actuatur totaliter per vnam differentiam. Differentiæ autem indiuiduales nullam essentialem perfectionem addunt speciei: & ideò natura specifica totam suam essentialem perfectionem habet adæquatè in vnico indiuiduo. Verùm quidem est, quod si species consideratur formaliter, vt vniuersalis, debet habere indifferentiam ad plura indiuidua: sed hæc est consideratio Logica, vt prænotauimus in principio quæstionis.

21 Secunda opinio affirmat; posse genus conseruari in vnica specie. Ita Scotus *in hoc cap. quæst.* 18. Ioannes Anglicus *quæst.* 15. *in prædic. Scoti*, & alij. Probatur primò: quia si potentialitas generis non posset saluari in vnica specie, neque etiam posset saluari in duabus; sed exigeret infinitas: at hoc est absurdum: ergo &c. Probatur sequela: nam potentialitas generis est ad infinitas syncategorematicè differentias, vt constat in numero, cuius differentiæ possunt multiplicari in infinitum.

Respondetur concedendo sequelam, & negando minorem: quia omnimoda perfectio naturæ genericæ exigit tot species, quot sunt differentiæ diuisiuæ eius; siue sint finitæ, siue infinitæ: quia quælibet addit perfectionem essentialem. Solet tamen communiter dici, quod genus non potest saluari nisi in duabus speciebus: tùm quia duæ ad minus requiruntur, vt genus sit totum potentiale; tum, quia sæpiùs genus diuiditur per duas differentias, alteram positiuam, & propriam; alteram negatiuam, & impropriam; vt animal diuiditur per rationale, & irrationale.

22 Arguitur secundò: quia ita se habet genus ad differentias, sicut materia prima ad formas substantiales; nam sicut formæ perficiunt, & determinant materiam; ita differentiæ genus: sed materia cum omni sua potentialitate sufficienter saluatur in vnico indiuiduo, actuata per vnam formam, vt patet in cælo: ergo potentialitas generis sufficienter etiam saluabitur in vnica specie, actuata per vnam differentiam.

Respondetur, quod materia prima est duplex: alia rerum corruptibilium, & respectu formarum sublunarium: & hæc habet aptitudinem ad plures formas, quas potest recipere successiue: vndè nequit habere totam

suam perfectionem sub vna ex illis; aliàs non haberet capacitatem ad reliquas. Alia est materia cœlestis, & respectu formarum incorruptibilium: quæ sub vna forma, quia inamissibilis est, & plenè satiat, intelligitur perfecta, & actuata, nequè habere appetitum ad alias, vt explicatur in libris de cœlo. Genus ergo non assimilatur materiæ cœlesti, sed sublunari: vndè argumentum, quod nobis objicitur potest in aduersarios retorqueri, vt consideranti constabit.

23 Tertiò arguitur: quia si natura generica animalis remaneret in vnica suarum specierum, vt remanebit in homine post diem iudicij, talis species posset definiri, vt patet: sed ad definitionem requiruntur conceptus metaphysici generis, & differentiæ: ergo gradus genericus consideratus secundùm potentialitatem, quam metaphysicè importat, saluaretur in vna specie. ¶ Confirmatur: repugnantibus aliis animalibus præter hominem adhuc hæc propositio *Homo est animal* esset essentialis; & non speciei, vel differentiæ: ergo generis: hoc igitur potest saluari in vnica specie secundùm omnem suam potentialitatem.

Respondetur; conceptum metaphysicum generis posse considerari præcisè secundùm prædicata essentialia, quæ actu includit, seu vt est pars speciei; & hoc pacto ponitur in definitione, & saluaretur in vna specie. Vel potest considerari, vt totum potentiale, quatenùs includit in potentia omnes differentias essentiales, quibus valet determinari, vt in præsenti loquumur: & hac ratione nequit saluari in vnica specie; & ideò ad argumentum neganda est consequentia. ¶ Ad confirmationem dicimus, dato illo impossibili idem prorsùs esse animal, & hominem; & sic illa prædicatio non esset formalis sed identica.

QVÆSTIO V.

De Indiuiduo.

24 TRes sunt acceptiones indiuidui; quarum meminit Porphyrius in præsenti; nam aliud est determinatum, vt *Socrates*, aliud demonstratiuum, vt *hic homo*, & aliud ex suppositione, vt *Sophronici filius*, supposito, quod Socrates fuerit vnicus filius Sophronici. Et indiuiduum omnibus his commune definit Porphyrius dupliciter, primo; sic; *Indiuiduum est, quod de vno solo prædicatur*. Secundò sic; *Indiuiduum est, cuius collectio proprietatum sic est in vno, quod nunquam in alio fiat*. Quas definitiones oportet in præsenti elucidare.

Igitur ad illarum intelligentiam notandum est, quod duo inueniuntur in indiuiduo; nimirùm natura specifica, quæ de se est communicabilis pluribus; & differentia indiuidualis, per quam talis natura fit propria huius suppositi, & incommunicabilis aliis. Vndè sicut natura specifica, præcisa differentia indiuiduali, est fundamentum vniuersalitatis; ita eadem natura appropriata, & particularizata fundat intentionem particularis, & & indiuidui; & consequenter est prædicabilis de vno tantùm.

Ex quo fit, quod sicut natura specifica potest significari dupliciter, nempè nominibus primæ intentionis, vt sunt *homo, equus* &c. vel nominibus secundæ intentionis, vt sunt *species, vniuersale* &c. ità etiam natura singularis potest dupliciter significari; scilicet nominibus primæ intentionis, qualia sunt, *Petrus, hic homo, persona, hypostasis, prima substantia*; vel nominibus secundæ intentionis, qualia sunt, *indiuiduum, singulare, particulare, & suppositum*. Et naturæ singulari sumptæ iuxtà has duas acceptiones adaptantur duæ definitiones Porphyrij. Nam indiuiduum secundò intentionaliter sumptum definitur per primam: *Indiuiduum est, quod de vno tantum prædicatur*; & primò intentionaliter acceptum explicatur per secundam: *indiuiduum est, cuius collectio proprietatum sic est in vno, quod nunquam in alio fiat*.

25 Circà primam definitionem obseruandum est, definitum illius esse secundam intentionem in concreto significatam, ità vt ipsa secunda intentio sit res definita; natura autem sit id, prò quo supponit, & in quo exercetur definitio. Quæ doctrina, suppositis ijs, quæ *supra disp. 5. quæst. 1.* tradidimus circa definitionem generis, & aliorum concretorum accidentalium, perspicua est, nequè indiget noua illustratione. Fiet autem clarior hæc definitio, si reducatur ad definitionem eiusdem intentionis in abstracto significatæ, dicendo; *Secunda intentio constitutiua indiuidui est relatio rationis naturæ, quæ tantum potest respicere se ipsam relatione prædicabilitatis, seù quæ nulla habet inferiora, de quibus prædicetur*. Nam cùm indiuiduum in serie prædicabilium sit fundamentum, cui cætera innituntur, & de quo prædicantur, consequens est, ipsum solum esse prædicabile de se ipso; ac proindè non esse prædicabile prædicatione doctrinali, & artificiali; sed duntaxat naturali, & identica.

Objicies; istæ sunt veræ prædicationes, *Petrus est indiuiduum, Paulus est indiuiduum*; & similiter, *hoc indiuiduum est indiuiduum*: ergò indiuiduum verè prædicatur de pluribus.

Respondetur, in his propositionibus non prædicari naturam particularem; sed secundam intentionem, quæ respectu cuiuslibet naturæ singularis, est accidens commune, & quid vniuersale. Et proptereà prædicationes adductæ non sunt propriæ indiuidui; sed primæ pertinent ad quintum prædicabile, quod est accidens commune; secundę verò ad secundum; nempè ad speciem. Sicut à simili cernitur in genere; nam ista prædicatio, *homo est animal*, est propria generis; si verò dicas, *animal est genus*, est prædicatio accidentis; si autem dicas, *hoc genus est genus*, est prædicatio speciei. Eodem ergò modo hæc prædicatio, *Petrus est Petrus*, est propria prædicatio indiuidui; si verò dicas, *Petrus est indiuiduum*, est prædicatio accidentis; si autem dicas, *hoc indiuiduum est indiuiduum*, est prædicatio speciei. Per quod soluuntur plura argumenta, quæ contra istam definitionem objici poterant. Videatur Sanchez *libr. 3. quæst. 19.*

26 Circà secundam definitionem animaduertere oportet, quod nomen significans indiuiduum primò intentionaliter sumptum potest dupliciter illud significare: primò determinatè, idest cum determinato indiuiduationis principio, vt *Socrates, Plato*: & indiuiduum sic sumptum non potest verè definiri, nequè esse obiectum scientiæ, quo sensu inquit D. Thom. *1. p. quæst. 29. art. 2. ad. 3. Essentia est id, quod significatur per definitionem: definitio autem complectitur principia speciei; non autem principia indiuidualia*. Secundò, vagè, aut quasi vagè, hoc est cum particulari modo essendi, sed abstrahendo ab hoc, vel illo: & indiuiduum ità acceptum habet sufficientem communitatem, vt possit definiri. Et hoc modo definitur prima substantia ab Aristot. *quæ nequè de subiecto aliquo dicitur, nequè in subiecto aliquo est*: & persona definitur à Boëtio, quod sit, *rationalis naturæ indiuidua substantia*.

Quæ omnia mirificè complexus est Angelicus Doctor *quæst. 9. de potentia, art. 2. ad 1.* his verbis; *Sicut nomen, quod significat naturam est commune, & definibile, vt homo, & animal; ità nomen, quod significat naturam cum*

cum tali modo existendi, vt hypostasis, vel persona. Illud verò nomen, quod in sua significatione includit determinatum indiuiduationis principium, non est commune, neque definibile, vt Socrates, & Plato.

In hac ergo secunda definitione Porphyrij indiuiduum primò intentionaliter sumptum (vt præscindit ab hoc, vel illo modo particulari essendi; licet modum particularem includat) definitur, quod sit id, *cuius collectio proprietatum sic est in vno, quod nunquam in alio fiat*. Quam proprietatum collectionem explicant Dialectici his versibus;

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine, sanguis.
Patria; sunt septem; quæ non habet vnus, & alter.

Forma significat complexionem; *figura* partium proportionem; *locus* partem, vbi quis natus est; *tempus*, ipsius generationis momentum; *nomen*, quod cuique imponitur; *sanguis*, prosapiam; & *patria*, prouinciam. Quæ omnia simul sumpta nequeunt conuenire duobus, vt de se patet. Hæc autem definitio solùm conuenit indiuiduis substantiæ, quæ Porphyrius præcipuè intendebat definiri.

QVÆSTIO VI.

Quomodo ordinanda sit arbor prædicamenti substantiæ.

27 VT doctrinam, quam de genere, & specie tradiderat, magis explicaret Porphyrius; adduxit exemplum in prædicamento substantiæ, ordinans arborem eius. Vnde vsu communi introductum est, vt in præsenti explicetur hæc coordinatio; quæ, sumpta denominatione ab arboribus, appellatur arbor prædicamentalis. Quapropter communem morem obseruare cupientes, integram arborem cum omnibus generibus prædicamenti substantiæ proponimus explicandam, sicut videre est in sequenti figura.

In qua figura tria circulorum genera continentur. Alij ponuntur ad latus dextrum, & in his collocantur differentiæ propriæ, & positiuæ, vt *rationale*, *sensibile*, quæ simul diuidunt gradum superiorem, & constituunt inferiorem. Alij ad latus sinistrum, & in his collocantur differentiæ negatiuæ, & impropriæ, vt *irrationale*, *insensibile*, quas substituimus loco aliarum specierum illius generis. Alij in recta linea, in quibus collocantur genera, & species: indiuiduum enim non est pars intrinseca huius coordinationis; sed fundamentum, cui innituntur omnes gradus specifici, & generici.

In circulo supremo ponitur *substantia*, quæ est supremum genus, supra se non habens aliud: propter quod nequit propriè definiri. In vltimo collocatur *homo*, qui est species infima, quià sub se non habet alias species. In intermedijs collocantur ea, quæ respectu superiorum sunt species, & respectu inferiorum genera: ex quibus vltimum nempè *animal*, quod diuiditur in species atomas, communiter appellatur genus infimum: quià sub se non continet alia genera.


28 In hac autem arbore duo genera addidimus, quæ nec posuit Porphyrius, nec ponunt communiter Auctores: nam ille solum numerauit notiora; hoc enim suo instituto satis erat. Quod imitantur alij Doctores: imò, & D. Thomas *opusc. 48. tract. 2. cap. 3.* illorum tantum generum meminit, quæ Porphyrius collocauit. Cæterùm ipse sanctus Doctor *opusc. 42.* vbi ex professo inuestigat genera prædicamenti substantiæ, adducit omnes diuisiones, quas in arbore posuimus.

Quod etiam ratione conuincitur: nam omnia accidentia tribuuntur alicui gradui substantiæ, cui per se & conuertibiliter conueniunt: & ideò ex diuersis accidentibus, quorum vnum non profluit ab alio, neque cum illo conuertitur, optimè colliguntur diuersi gradus substantiæ. Qua ratione probat D. Thom. *opusc. cit. cap. 18.* genus *animalis* distingui à genere *viuentis* quià, in *animali* (inquit) *super operationes vegetabiles, quæ sunt generare, nutriri, & augmentari, reperitur actio quædam superaddita, scilicet sentire.*

Iuxta quam doctrinam facilè colligemus genera prædicamenti substantiæ: quià in Petro v. g. reperiuntur intellectus, & voluntas: sed hæc accidentia non conueniunt illi, quatenùs Petrus est; aliàs non conuenirent Paulo: neque conueniunt illi, quatenùs animal, vel ratione alterius gradus superioris; aliàs conuenirent brutis: ergò conueniunt illi, quia est homo; ac proindè immediatè suprà indiuiduum collocandus est *homo* tanquam species infima. ¶ Item potentiæ sensitiuæ conueniunt eidem Petro: sed non quatenùs homo; aliàs non conuenirent equo: neque quatenùs viuens; aliàs conuenirent plantæ: ergò quatenùs animal: ergò *animal* collocandum est immediatè supra hominem. ¶ Rursus potentiæ vegetatiuæ conueniunt eidem Petro: sed non quatenùs homo, aut animal; aliàs non conuenirent plantis: sed neque quatenus mixtum; aliàs conuenirent lapidibus: ergo quatenùs viuens: & consequenter gradus *viuentis* debet collocari immediatè supra animal. ¶ Deindè qualitates secundæ, vt color, reperiuntur in Petro; sed non conueniunt illi quatenùs viuens; aliàs non conuenirent lapidibus: neque quatenùs generabile; aliàs conuenirent elementis, quæ generabilia sunt, saltem secundùm partes; ergo conueniunt illi quatenùs mixtum; ac proindè gradus *mixti* collocandus est supra viuens. ¶ Præterea Petrus habet potentiam generatiuam communiter dictam, seu vim productiuam similis in specie; sed hæc non conuenit illi quatenùs mixtum; aliàs non conueniret elementis; neque quatenùs corpus; aliàs conueniret cœlo; ergo conuenit illi quatenùs generabile, atque ideò gradus *generabilis*, debet collocari supra mixtum. ¶ Porrò quantitas, & motus reperiuntur in Petro; sed non conueniunt illi quatenùs generabile; aliàs non conuenirent cœlo; neque quatenùs substantia, aliàs conuenirent Angelis; ergo conueniunt illi quatenùs corpus, & per consequens gradus *corporis* collocandus est supra generabile. ¶ Denique Petro conuenit subsistere in se, & substare accidentibus; sed hoc non conuenit illi quatenùs corpus; aliàs non conueniret Angelis; neque quatenùs ens; aliàs conueniret accidentibus; ergo conuenit illi quatenùs substantia, ac proindè collocandus est gradus *substantiæ* supra corpus.

Nihil autem possumus concipere supra substantiam, vt gradum superiorem, & communem illi, & accidentibus, nisi tantùm ens, quod non potest esse genus, vt ostendemus in anteprædicamentis; ergo substantia est supremum genus in summo prædicamenti vertice collocandum. Ex quo sequitur admittenda omninò esse genera, quæ recensuimus. Alia autem non superesse, ex eo constat: quia nulla est operatio, vel accidens, quod ad aliquem ex prædictis gradibus non reducatur.

Cætera, quæ hic addi possent, nimirùm quæ ponantur in recta linea prædicamenti, quæ verò non, & quare differentiæ collocentur ad latus; propriam sedem habent in anteprædicamentis, & capite de substantia; vbi ea explicabimus ex professo.



Genus Supremum
Differentiæ propriẹ
Differentiæ impropriẹ
Substantia
Extensibilis
Diuisiua
Constitutiua
Inextensibilis
Diuisiua
Repugnans
Subiicibile
Prædicabile
Corpus
Alterabile
Diuisiua
Constitutiua
Inalterabile
Diuisiua
Repugnans
Subiicibile
Prædicabile
Generabile
Compositum
Diuisiua
Constitutiua
Simplex
Diuisiua
Repugnans
Subiicibile
Prædicabile
Mixtum
Animatum
Diuisiua
Constitutiua
Inanimatum
Diuisiua
Repugnans
Subiicibile
Prædicabile
Viuens
Sensibile
Diuisiua
Constitutiua
Insensibile
Diuisiua
Repugnans
Subiicibile
Prædicabile
Animal
Rationale
Diuisiua
Constitutiua
Irrationale
Diuisiua
Repugnans
Subiicibile
Prædicabile
Homo
Subiicibile
Prædicabile
Socrates
Hic Homo
Sophronici filius

DISPVTATIO VII.

De Differentia tertio prædicabili.

IFFERENTIA significat distinctionem, & diuersitatem inter aliqua: sumitúrque dupliciter, vt ex doctrina Aristot. 5. *Metaph. text.* 15. obseruat D. Thom. *ibidem lect.* 12. *& in* 1. *p. q.* 13. *art.* 8. *ad* 3. Primò impropriè pro diuersitate inter ea, quæ nullo modo conueniunt; sed sunt primò diuersa: quo pacto dicimus prædicamenta inter se differre. Secundò propriè pro principio causante distinctionem inter ea, quæ non distinguuntur se totis, sed in aliqua ratione conueniunt, quæ est simpliciter vna: qua ratione homo, & equus, qui conueniunt in genere animalis, distinguuntur per rationale, & hinnibile.

Assignat autem Porphyrius quinque diuisiones differentiæ, & totidem definitiones; sed omnes coincidunt cum prima, qua partitur differentiam in communem, propriam, & propriissimam. Differentia communis est, quæ prouenit ab accidenti communi, quod scilicet neutri extremorum est proprium, & potest vtrique accidere: quo pacto distinguitur sedens à non sedente. Differentia propria est, quæ sumitur ab accidentibus inseparabilibus, quæ sunt proprietates rerùm: qua ratione distinguitur homo ab equo per risibile. Differentia propriissima est illa, per quam res constituitur in sua specie, & distinguitur essentialiter ab aliis, vt rationale in homine.

Cum hac diuisione coincidit secunda qua Porphyrius diuidit differentiam in eam, quæ facit *alterum*, seu *diuersum*, & eam, quæ facit *aliud*. Nam differentia propriissima facit simpliciter *aliud*, seu distinctum in essentia: differentia verò communis, & propria duntaxat faciunt alterum, seu alteratum, vt vertit Boëtius, idest diuersum in accidentibus. Et addit Porphyrius, quod differentia faciens *aliud* dicitur specifica; differentia autem faciens *alterum* appellatur simpliciter differentia. Quod non ob aliquam huius differentiæ dignitatem dictum est; sed potius ob eius imperfectionem: sicut bruta solemus appellare absolutè animalia, & nomen generis solet tribui speciei imperfectiori.

Ex definitionibus differentiæ traditis à Porphyrio, duæ sufficiunt ad nostrum institutum, & ad eas cæteræ reducuntur. Prima est: *differentia est, qua ita singula differunt, vt pertineat ad substantiam, & rationem, sitquè pars rei, cuius est differentia*: & hæc explicat essentialiter differentiam primò intentionaliter sumptam. Secunda est: *differentia est, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid*: quæ explicat differentiam secundò intentionaliter acceptam. Sed harum maior intelligentia, sicut & aliorum, quæ insinuantur à Porphyrio, vt dilucidè appareat; sequentes excitamus quæstiones.

QVÆSTIO I.

Qualis sit prima diuisio differentiæ.

1 DIuisionem differentiæ in communem, propriam & propriissimam esse adæquatam, tradunt communiter Dialectici, & facile ratione conuincitur. Quia quidquid verè differt ab alio, vel differt secundùm essentiam; vel secundum accidentia: si primum est differentia propriissima, siuè essentialis: si secundum, aut talè accidens est proprium; & sic erit differentia propria: aut est commune; & sic erit differentia communis: ergo prædicta diuisio est adæquata.

Dices: differentia indiuidualis est verè differentia: & tamen non est propriissima, cum non faciat differre essentialiter: neque propria, vel communis; siquidem Petrus, & Paulus non distinguuntur præcisè accidentaliter; sed substantialiter: ergo adducta diuisio est insufficiens.

Respondetur, in præsenti diuidi differentiam, quæ potest subire intentionem vniuersalis, & prædicabilis: hoc autem repugnat differentiæ numericæ; propterea non continetur sub diuiso propriè, & per se. Potest tamen reduci ad aliquod ex membris diuidentibus: nam qua parte sumitur radicaliter à substantia, assimilatur differentiæ propriissimæ: & qua parte sumitur ab eo, quod est extra essentiam, vt à quantitate in substantiis corporeis, & à subiecto in accidentibus; reducitur ad differentiam communem.

Inter diuisum autem, & membra diuidentia prędictę diuisionis potest fieri comparatio quadrupliciter. *Primò*, si tàm diuisum, quàm membra diuidentia sumantur primò intentionaliter: & hoc modo certum est, hanc diuisionem non esse vniuocam; sed analogam: quia naturę denominatę diuagantur per omnia prędicamenta, quibus tamen nihil est vniuocè commune. *Secundò* si diuisum sumatur pro natura denominata, & membra diuiden-

n identia pro secundis intentionibus; & sic est diuisio subiecti in accidentia. *Tertiò*, si sumatur è contra: & sic est diuisio accidentis in subiecta.

Quartò, tandem, si tàm diuisum, quàm membra diuidentia sumantur secundò intentionaliter, & sensus sit: secunda intentio differentię alia est, quę facit differre communiter, alia propriè, & alia proprijssimè. Et hoc pacto coordinatam esse à Porphyrio istam diuisionem verosimilius est; tum quia sic docent communiter Auctores: tum quia nomen *differentia*, vt in pręsenti sumitur, est terminus secundę intentionis, sicut genus, & species: tum deniquè, quia sic diuisio pertinet propriè ad Logicam ex parte, tàm diuisi, quàm membrorum diuidentium. In quo sensu inquirimus, qualis sit?

§. I.

Proponitur communis sententia.

3 Dicendum est, diuisionem istam esse analogam. Hanc defendunt B. Albertus *tract. 5. in Porphyr. cap. 1.* Scotus *hic quæst.* 23. Caietanus, & Soto *in hoc cap.* & communiter Doctores. Fundamentum est: quia sola intentio differentiæ proprijssime est simpliciter differentialeitas, & constituit hoc prædicabile: ergo aliæ intentiones solùm possunt conuenire cum illa analogicè in conceptu differentialeitatis. Probatur antecedens: quia propria ratio differentialeitatis simpliciter, quæ constituit hoc prædicabile, consistit in eo, quod sit relatio naturæ perfectiuæ, & contractiuæ: siquidem differentia comparatur generi, vt actus potentiæ, vt supra diximus *disp.* 4. *num.* 30. sed hoc solùm conuenit intentioni differentiæ proprijssimæ: ergo &c. Probatur minor: quia natura perfectiua, & contractiua debet esse in eodem genere, seu ordine cum genere, quod contrahit, & constituit; nam actus, & potentia debent esse eiusdem generis, aliàs ex illis non fiet vnum per se: atqui sola differentia proprijssima pertinet cum genere ad eandem essentiam: differentia verò communis, & propria sunt extra essentiam, & faciunt cum genere compositionem accidentalem: ergo soli differentiæ proprijssimæ competit esse intentionem naturæ perfectiuæ, seu contractiuæ, & constituere simpliciter hoc prædicabile.

Confirmatur: quia differentia simpliciter dicta est pręnicabile essentiale: ergo ratio differentiæ simpliciter solùm reperitur in differentia proprijssima; in aliis verò secundum quid. Patet consequentia; quia sola differentia proprijssima sumitur à principiis essentialibus; cæterę autem prouemunt ab accidentibus propriis, vel communibus: & consequenter nequeunt esse pręnicabilia essentialia. Antecedens verò suadetur: tùm quia hac ratione probant Dialectici quinarium pręnicabilium numerum, vt *suprà* vidimus *disput.* 4. *num* 30. Tùm etiam; nam ideò asserunt cum Porphyrio, differentiam pręnicari *in quale quid*, seu medio modo, quia licèt ex modo significandi sumatur, vt accidens, vel adiacens essentię; tamen ex parte rei significatę pertinet ad essentiam rei: ergo differentia simpliciter dicta est prædicabile essentiale.

Explicatur hoc: etenim si loquamur de differentijs primò intentionaliter sumptis; proprijssima facit differre simpliciter; communis verò, & propria solùm faciunt differre secundùm quid. Quo sensu dixit Porphyrius differentiam proprijssimam facere *aliud*; differentiam autem communem, & propriam facere *alterum*, seu alteratum. Sed relationes distinguuntur iuxta distinctionem suæ rationis fundandi: ergo relationes rationis, à quibus prædictæ naturæ denominantur differentia communis, & propria, non participant æqualiter, & simpliciter conceptum differentiæ; sed solùm analogicè. Maneat ergo, quod sicut intentio naturæ, quæ non est simpliciter perfectibilis, non participat simpliciter conceptum genereitatis: ita similiter intentio formæ, quæ non facit differre simpliciter, nequit participare vniuocè conceptum differentialeitatis.

§. II.

Diluuntur contraria fundamenta.

4 Contrà istam assertionem sentiunt Oña hic, *quæst.* 1. *art.* 2. Cabrero *tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 2. & alij Moderni docentes, prædictam diuisionem esse vniuocam, & generis in species. Quorum fundamentum est: quia sic se habet differentia, vt sic ad differentiam facientem differre essentialiter, & ad differentias, quæ faciunt differre accidentaliter: sicut prædicabile vt sic ad prædicabile de multis essentialiter, & ad prædicabile, de multis accidentaliter, vt constare videtur à paritate rationis: sed prædicabile vt sic est vniuocum ad quinque prædicabilia, vt supra vidimus: ergo etiam differentia vt sic erit vniuoca respectu differentiæ communis, propriæ, & proprijssimæ.

Confirmatur primò: nam licèt accidens in esse rei dependeat à substantia, & ideò physicè loquendo nihil detur vniuocè commune substantiæ, & accidenti: nihilominùs æqualiter denominantur à secunda intentione genereitatis, & vniuocè conueniunt in ratione generis logici: ergo quamuis differentia communis, & propria dependeant in esse entis à differentia proprijssima, & provt sic non conueniant vniuocè cum illa; adhuc tamen poterunt conuenire vniuocè cum illa in ratione differentiæ Logicæ.

Confirmatur secundò; quia quandò intellectus comparat albedinem, aut risibilitatem Petro, & Paulo, vt id, per quod distinguuntur ab Æthiope, & equo, verè tribuit illis naturis intentiones veras, & rigorosas vniuersalium; sed tales intentiones non pertinent ad primum, & secundum prædicabile; cùm naturæ ab eis denominatæ sint extra essentiam; neque pertinent ad quartum, & quintum, siquidem in tali comparatione non cognoscitur risibilitas, vt accidens profluens ab essentia, neque albedo, vt quid contingens; in quo consistunt proprię rationes quarti, & quinti pręnicabilis. Restat igitur quòd pertineant simpliciter ad tertium, & consequenter, quòd participent vniuocè conceptum differentię vt sic.

5 Respondetur ad argumentum negando maiorem; tùm quia sublata differentia proprijssima per locum intrinsecum auferretur tertium pręnicabile, etiam Logicè loquendo: quia tunc nihil remaneret, quod posset esse actus simpliciter, & contrahere genus, & constituere speciem; quę sunt proprię rationes tertij pręnicabilis. Hoc autem non sic contingeret in pręnicabilibus essentialibus, & accidentalibus, vt consideranti constabit. Tùm etiam, quia ratio pręnicabilis de multis saluatur perfectè in quolibet ex pręnicabilibus; ratio autem seu intentio naturę facientis differre, solùm inuenitur simpliciter in differentia proprijssima. Illa enim dicuntur simpliciter differre, quę ita in aliquo conueniunt, vt vnum non sit aliud; sola autem differentia proprijssima facit *aliud*; non verò reliquę.

Ad primam confirmationem negatur consequentia. Et ratio disparitatis est, quòd licèt accidens sit ens secundùm quid comparatione substantię; & ideò sumpta materialiter in esse entis sint primò diuersa; conueniunt tamen in ratione formali fundandi genereitatem. Quia

hæc

hæc ratio sumitur ex conceptu obiectiuo naturæ potentialis, & determinabilis per differentias, qui ita pro prið inuenitur in linea accidentis, ac in linea substantiæ; & propterea vtrobique reperitur simpliciter ratio generis: Et idem est de intentionibus speciei, & differentiæ: quia respectu omnium de materiali se habet, quod naturæ denominatæ sint maioris, vel minoris entitatis. At differentia communis, & propria etiam in munere, seu ratione formali faciendi differre, habent esse secundùm quid: cùm sint actus extranei, faciantquè cum subiecto compositionem accidentalem.

Ad secundam confirmationem neganda est maior: quia sicut genereitas; quam tribuit intellectus animæ vt sic respectu animæ sensitiuæ, & rationalis; & specieitas, quam tribuit puncto respectu istius, & illius puncti sunt intentiones vniuersalis solùm secundùm quid; & reductiuè tantum pertinent ad primum, & secundum prędicabile; eò quod anima, & punctum sunt entia incompleta: ita etiam intentiones vniuersalium, quas intellectus attribuit differentię communi, & proprię, non pertinent per se, & directè ad aliquod prędicabile; sed reducuntur ad tertium, sicut imperfectum ad perfectum.

QVÆSTIO II.

An dentur differentiæ vltimæ, quæ cum speciebus conuertantur?

HVic difficultati occasionem prębuit Porphyrius definiens, quod differentia est, *quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid*. Nam si hoc conuenit omni differentię; planè sequitur, nullam esse, quę cum specie infima conuertatur, & consequenter non dari differentias infimas, vel vltimas. Pro cuius difficultatis intelligentia statuendum est, eam procedere de differentijs proprijssimis primò intentionaliter acceptis, hoc est de conceptibus constitutiuis specierum: nam isti sunt qui denominantur à secunda intentione differentialeitatis propriæ huius tertij prædicabilis.

§. I.

Deciditur difficultas.

DIcendum est, verò dari differentias vltimas, & simplices, quæ cum speciebus conuertantur. Hæc assertio est communis inter Dialecticos: quam docent D. Thom. 2. *Posterior. lect.* 13. B. Albertus, Alexand. Simpl. Auic. & alij quos citat, & sequitur Masius *in præsent. sect. 1. qu. 6.*

Probatur ratione desumpta ex Aristot. 7. *Metaph. text.* 42. & ex D. Thom. *ibidem lect.* 12. quoniam differentia sumitur à forma, sicut genus à materia: sed in qualibet re est propria forma, per quam vltimò constituitur in suo esse: ergo in qualibet re est vltima differentia: & consequenter sicut forma est vnica, & simplex, & non composita ex alijs formis: ita debet habere differentiam sibi correspondentem infimam, & simplicem.

Confirmatur primò: quia differentia subalterna est simplex, vt aduersarij concedunt: ergo etiam differentia vltima. Patet consequentia: quia differentia subalterna sumitur à gradu imperfecto, & potentiali; infima verò sumitur à gradu perfecto, & actuali: ergo si illa est simplex, seu non composita ex pluribus differentijs superioribus; à fortiori ista debet esse simplex, & vltima, ac proindè conuertetur cum specie.

Confirmatur secundò: nam propriæ passiones, quæ consequuntur gradus specificos, sunt simplices: sed tales passiones dimanant radicaliter à differentia essentiali: ergo dantur differentiæ essentiales vltimæ, & omninò simplices, quæ sint radices proprietatum.

7 Pro opposita sententia refert Masius vbi suprà Auerroem, Philoppon, & Themistium: qui asserunt non dari differentias infimas; sed omnes esse subalternas: & consequenter, quod in definitione speciei infimæ ponendæ sunt duæ, vel plures differentiæ subalternæ, quarum quælibet latiùs pateat, quam species; omnes verò simul sumptæ cum specie conuertantur.

Et probatur primò ex Aristot. 2. *Posterior. cap.* 14. vbi agens de definitionibus specierum ait: *Talia eò vsque sumenda sunt, quousque tot fuerint sumpta, vt vnumquodque illorum quidem pluribus competat; cuncta autem simul non ad plura se extendant*: ergo sentit non dari differentias, quæ cum speciebus conuertantur. Patet consequentia: quia aliàs superuacaneum esset recurrere ad subalternas.

Confirmatur: quia per solas differentias subalternas simul sumptas sufficienter constituitur species infima: ergo superfluunt aliæ vltimiores differentiæ. Probatur antecedens ex Aristot. *loco citat.* vbi definit *Trinitatem* per hoc, quod sit numerus *impar primus*. In qua tamen definitione singulæ particulæ in plus se extendunt, quam numerus ternarius. Nam esse imparem conuenit v. g. quinario: & similiter esse numerum primum conuenit binario: vtrumque autem simul sumptum, videlicet esse imparem primum, solùm repetitur in ternario: ergo istæ differentiæ subalternæ sufficiunt ad constituendam speciem, & superfluit alia differentia vltima.

Respondetur ex D. Thoma ibidem *lect.* 13. regulam illam traditam ab Aristotele solùm tenere in efformandis definitionibus accidentalibus, quandò non apparet differentia vltima quidditatiua. Nam si loquamur de definitione essentiali certum debet esse, quòd constat ex differentia vltima, & specifica rei definitæ, cum qua dicitur ad conuertentiam. At sæpè sepiùs recurrimus necessariò ad plura accidentia communia, vt declaremus vltimam, & essentialem differentiam, quam ignoramus. Qua etiam ratione solemus adducere plures differentias subalternas ad definiendam speciem. Nunquam tamen ex illis consurgit perfecta, & quidditatiua definitio: nam, vel tales differentiæ (vt benè arguit Masius, vbi suprà) constituunt genera non subordinata: & ita nequeunt iungi in vna specie, quia incompossibiles sunt. Vel constituunt genera, quorum vnum continetur sub alio: & hoc pacto quantumlibet plures iungantur in definitione vnius speciei infimę, adhuc conuenient alijs speciebus.

Per quod satis patet ad confirmationem: & ad probationem in contrarium adductam respondetur, definitionem illam *Trinitatis* non esse quidditatiuam: quia vel vtraque, vel altera ex illis differentijs est accidentalis. Si enim numerus diuidatur vna diuisione in parem, & imparem, & aliâ in primum, & non primum, necessarium est vnam diuisionem esse accidentalem. Adducuntur tamen illę differentię ab Aristotele tanquam signum proprię, & specificę differentię numeri ternarij, quę latet nos.

8 Secundò arguitur pro hac sententia: quia Porphyrius definiuit optimè differentiam constitutiuam huius prędicabilis dicens: differentia est, *quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid*: sed hęc definitio non potest conuenire differentijs infimis, vt patet: ergo ex mente Porphyrij non dantur hujusmodi differentię.

rentię. ¶ Et confirmatur: quia Porphyrius semper vtitur duabus, aut pluribus differentiis subalternis ad definiendum speciem, vt *rationali*, & *mortali* ad definiendum hominem. Ex quibus rationale etiam conuenit Angelis; mortale verò alijs animalibus: sed vtraque simul juncta soli homini: ergo in sententia Porphyrij omnes differentię sunt subalternę.

Huic argumento variè occurrunt Auctores. Primò enim quidam antiqui apud B. Albert. *tract. 5 cap. 6.* respondent negando minorem: quia etiam differentia infima prædicatur de pluribus differentibus specie, non quidem inter se; sed ab alijs: vt *rationale* prædicatur de Petro, & Paulo, qui differunt specie ab equo.

Sed hæc solutio facilè impugnatur: nam verba illa definitionis nequeunt reddere talem sensum: tùm quia hæc propositio, *Petrus, & Paulus differunt specie*, sic exponitur: Petrus non est ejusdem speciei, cuius est Paulus. Tùm quia eadem verba posita in definitione generis important differentiam specierum inter se, & non præcisè ab alijs: & sic intelliguntur ab omnibus. Tùm deniquè, quia definitionum sensus debet esse formalis, expositio verò illa est valdè materialis, & impropria. Videatur Sanchez *lib. 3. quæst. 24.*

9 Secundò occurrunt alij cum Cajetano in commentario huius capit. dicentes hanc definitionem conuenire differentijs infimis per non repugnantiam: non in quantùm sunt vltimæ; sed in quantùm sunt differentię. *Rationali* enim quatenus differentia est, non repugnat prędicari de pluribus specie differentibus: aliàs repugnaret omni differentiæ.

Cæterùm hic modus dicendi admittendus non est: quia ex eo sequeretur, vnam speciem infimam congruè definiri per definitionem alterius speciei; v. g. homo per definitionem equi dicendo: *Homo est animal hinnibile*: sed hoc est manifestè falsum, vt patet ex terminis: ergo illa expositio reijcienda est. Probatur sequela: quia licèt homini, qua homo, repugnet hinnibilitas; non tamen ex conceptu animalis: sicut licèt differentiæ infimæ, qua infima, repugnet prædicari de differentibus specie; non tamen quatenùs differentia est.

Dices: definitio quanti, scilicet *quantum est diuisibile in ea, quæ insunt*, conuenit cœlo, & minimo naturali: sed non conuenit illis positiuè; quia cœlum, quatenùs cœlum est, diuidi non potest, cùm sit incorruptibile: & similiter minimum, quatenùs tale, est indiuisibile naturaliter: ergo solùm potest illis adaptari prædicta definitio per non repugnantiam: quia videlicet non repugnat illis diuidi, quatenùs quanta sunt; licèt absolutè repugnet. Plures ergo sunt definitiones, quæ debent exponi per non repugnantiam ex parte rationis communis.

Respondetur, definitionem debere positiuè explicare quod quid est sui definiti: quod longè abest ab ea, quæ solùm explicat, quid non repugnet illi ex aliquo conceptu communi. Neque instantiæ in contrarium adductæ aliquid probant: quoniam diuisibilitas, quæ est passio quantitatis, non est diuisibilitas naturalis; sed mathematica, siue per designationem: vt colligitur ex D. Thom. *1. part. quæst. 68. artic. 2.* & docet Soto *1. Physic. quæst. 4.* Huiusmodi autem diuisibilitas positiuè competit corporibus cœlestibus, & minimo naturali. Videatur Vincentius Iustinianus *lib. 2. Dialect. institut. cap. 6.* vbi prædictum modum definiendi optimè euertit.

10 His ergo, & alijs solutionibus omissis respondetur ad argumentum cum Iauel. Sanchez, Araujo, Mas. & alijs, quos refert, & sequitur Gallego *controuers. 17.* definitionem Porphyrij non conuenire differentiis infimis; sed tantùm subalternis, quas ipse intendebat definire. Quod constat, tùm ex verbis ipsius definitionis, tùm ex rationibus, quibus præcedentes solutiones impugnauimus. Ratio autem, ob quam Porphyrius noluit definire differentiam infimam, duplex esse potuit. Prima, vt conseruaret definitionem differentię traditam ab antiquis: inter quos communis erat hæc definitio. Ad institutum namquè Porphyrii spectabat, non tàm examinare, quàm referre ea, quæ ad categorias Aristot. poterant conducere. Secunda: quia vsus differentiæ subalternæ in definitionibus, diuisionibus, & disputationibus frequentior est. De quo videndus est Masius hic *sectione 2. quæstion. 7.*

Facilè tamen erit, vnicuique ex definitione relata inadæquatè accepta formare definitionem huius tertij prædicabilis, prout complectitur omnes differentias, dicendo: *Differentia est, quæ prædicatur de pluribus in quale quid*. Nam respectu secundæ intentionis constitutiuę huius prædicabilis de materiali est, quòd natura ab ea denominata prędicetur de differentibus specie, vel tantùm numero: per se autem, & de formali, quòd sit natura perfectiua, seu prędicabilis in *quale quid*. Et per hęc satis constat ad argumentum, propter quod hęc adducta sunt.

Ad confirmationem patet ex his, quę n. 7. respondimus primę obiectioni: habet enim eandem difficultatem. Et licèt Porphyrius errauerit existimans dari animalia immortalia; nunquam tamen negauit dari differentias vltimas: sed in hoc sequitur Aristot. qui *7. Metaph. text. 43.* dari tales differentias statuit, his verbis: *Et sic semper vult procedere, donec vtique veniat ad non differentia; tunc autem erunt tot species pedis, quot differentiæ*. Quę exponens D. Thom. inquit. *Et ita semper procedendum est in diuisione differentiarum, donec diuidens veniat ad non differentia; idest ad vltimas differentias, quæ non diuiduntur vlterius in alias differentias; & tunc tot erunt species pedis, quot differentiæ*. Quibus verbis cuncta, quæ hucùsque diximus, lucem, & robur accipiunt.

QVÆSTIO III.

Vtrum differentia infima includat subalternas.

DIfficultas hæc procedit in sensu formali: nam differentiam infimam includere saltem materialiter, & identicè, differentias superiores, & omnes gradus genericos, cum quibus realiter identificatur, certum est apud omnes. Inquirimus ergo, an *rationale* v. g. secundùm illum gradum, & perfectionem formalem, quam addit supra animal, & per quam constituit hominem, includat formaliter differentiam subalternam v. g. *sensibile*: & consequenter, an hæc prædicetur formaliter de illa.

§. I.

Eligitur pars negatiua.

11 DIcendum est, differentias infimas non includere formaliter subalternas, neque genera; sed esse conceptus simplices: de quibus proindè genus, & differentiæ superiores non possunt formaliter prædicari. Sic docent communiter Thomistæ, quos refert, & sequitur Masius hìc *sect. 2. quæst. 3.* quibus etiam consentiunt Scotus *in 4. dist. 11. qu. 3.* & communiter Doctores.

Probatur primò conclusio ratione desumpta ex Arist. *3. Metaphys. text. 10.* & ex D. Thom. *ibidem lect. 8.* quoniam

quoniam differentiæ infimæ formaliter sumptæ sunt omninò diuersæ; idest se totis differunt: ergo non includunt differentias, & gradus superiores. Consequentia paret: nam si illos includerent, conuenirent in eis, ac proindè non essent omninò diuersæ. Antecedens autem suadetur: quia si non essent omninò diuersæ; deberent inter se distingui alijs differentijs; de quibus fiet idem argumentum: ergo vel procedendum est in infinitum, & sic nullæ differentiæ vltimæ poterunt designari, vel perueniendum est ad aliquas omninò diuersas, quæ se totis differant.

12 Probatur secundò; quia differentia infima non includit formaliter genus: ergo neque differentias subalternas. Patet consequentia; quia non solùm genus; sed etiam differentia subalterna contrahitur per differentiam vltimam; siquidem differentia subalterna constituit genus in gradu essentiæ potentiali, & perfectibili per vlteriorem differentiam: & consequenter, si genus non includitur in differentia infima, neque differentia subalterna constituens genus poterit in ea includi.

Antecedens verò probatur; Tùm quia est expressum Arist. 4. *Topic. cap.* 2. asserentis; *Omne, quod participat genus, vel species, vel indiuiduum est. Differentia autem, neque indiuiduum, neque species. Manifestum igitur, quod non participat genus differentia.* Tùm etiam, quia genus, & differentia sunt partes in compositione metaphysica, & comparantur vt actus, & potentia; sed potentia est extra rationem actus; & partes in qualibet compositione se excludunt in suis formalibus conceptibus: ergo genus non includitur in differentia; sed ab inuicem excluduntur.

Tùm deniquè; quia si genus v. g. animal includeretur formaliter in rationali, quę est vltima differentia; bis idem genus poneretur in definitione hominis; semel quidem ratione sui, & iterùm ratione differentię, in qua includeretur formaliter. Et sic idem esset dicere, *Homo est animal rationale*, ac dicere *Homo est animal, animal rationale*. At hoc est manifesta negatio in definitionibus omninò vitanda, vt docet Arist. 3. *Metaph. text.* 10. ergo differentia infima non includit formaliter genus.

§. II.

Soncinatis argumentis occurritur.

13 Oppositam sententiam, quę tribui solet Nominalibus, defendit exercitij gratia Soncinas 7. *Metaphys. quæst.* 37. Probatur primò ex Aristot. 7. *Metaphys. text.* 43. vbi in primis asserit differentias superiores claudi in infima, & hanc esse totam rei substantiam, ita vt in definitione opus non sit alias adiungere. Deindè docet, differentias subalternas diuidi per differentias infimas; vt si *habere pedes* diuidatur per habere pedes fissos, vel non fissos; Nam fissio (inquit) *pedum quadam pedalitas est*; ergo sentit differentias subalternas includi in vltimis.

Respondetur, Aristotelem loqui in sensu identico, dùm asserit differentias infimas esse totam rei substantiam, includereque, ac diuidere subalternas. Ipse namque solùm intendebat, definitionem essentialem speciei esse vnam simpliciter, etiam si ex genere, & vltima differentia coalescat; quia differentia vltima est re ipsa tota substantia, & idem re ipsa cum genere, & differentijs subalternis. Ad quod verificandum sufficit vnio identica, neque requiritur inclusio formalis.

Secundò probatur ratione: quia si differentia vltima non includeret subalternas, esset conceptus simpliciter simplex, vtpotè irresolubilis in plures conceptus: sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur minor, tùm quia aliàs vltima differentia esset actus purus. Tùm, quia vltima differentia non est simplicior, quam genus generalissimum, quod tamen omninò simplex non est.

Respondetur negando sequelam, quia ad rationem conceptus simplicis non sufficit negatio resolutionis in plures conceptus; sed insuper requiritur negatio potentialitatis. Differentia autem multum potentialitatis habet ex intima conditione creaturæ, cui sicut repugnat, quòd eius essentia sit suum esse, ita repugnat, quòd sit actus purus, & simpliciter simplex. Est tamen simplicior, quam primum, & supremum genus: quia cum præcisione sumpta est vltimus actus constitutiuus essentiæ.

14 Tertiò arguitur: quia *rationale* verbi gratia, quod est vltima hominis differentia, est formaliter substantia: sed non spiritualis: ergo corporalis: ergo differentia subalterna videlicet *corporale* prædicatur formaliter de differentia infima.

Respondetur, quod substantia potest sumi dupliciter. Primò propriè, & ita significat substantiam completam, quæ est verum genus, & diuiditur per corporeum, & spirituale, sicut per differentias: & hoc pacto *rationale* in sensu formali non est substantia, & consequenter neque corporea, neque spiritualis. Secundò sumitur substantia minus propriè pro omni eo, quod distinguitur contrà accidens, & sic non est genus, neque differentia subalterna: hacque consideratione *rationale* dicitur transcendentaliter substantia: quia est differentia, & actus cuiusdam substantiæ corporeæ, nempè hominis.

Vltimò arguitur: nam hæc est bona consequentia in *Darapti*, *Omnis homo est sensibilis*; *omnis homo est rationalis: ergo aliquod rationale est sensibile*: sed in præmissis extremitates prædicantur formaliter de medio: ergo in conclusione major extremitas, nempè *sensibile* prædicatur formaliter de minori, scilicet *rationali*: & consequenter differentia superior includitur formaliter in infima, videlicet *sensibile* in *rationali*.

Respondetur negando consequentiam; quia ex vi formæ syllogisticæ solum sequitur extremitates, quæ in præmissis vniuntur cum medio, vniri inter se in conclusione; non tamen eodem modo, & perfectate. Vnde ex præmissis veris in sensu formali, infertur aliquandò conclusio vera solùm in sensu identico; vt contingit in præsenti. ¶ Vel dicendum ly *rationale*, quod in conclusione habet rationem subiecti, supponere ex situ propositionis non pro formali, & simplici differentia; sed magis pro supposito, quod de materiali importat, ad quod determinatur per illam particulam *aliquod*. Vnde cum *sensibile*, quod est prædicatum, habeat rationem formæ; non est mirum prædictam propositionem verificari in sensu formali.

QVÆSTIO IV.

An qualibet differentia sit perfectior genere.

15 Comparatio circà perfectionem propriè loquendo solùm fit inter entia completa, quibus perfectio, sicut & esse, simpliciter conuenit. Adhuc tamen licet comparare saltem secundùm quid ipsas partes inter se, & hac ratione comparamus in præsenti genus, & differentiam. Proceditque difficultas de gradu generico, & differentiali formaliter sumptis, vt sunt partes metaphysicæ, ex quibus differentia determinat genus, & constituit speciem.

§. Vnicus.

Resoluitur difficultas.

16 Dicendum est, omnem differentiam addere aliquam perfectionem generi, illudque proinde excedere in perfectione. Hæc assertio est ad mentem Aristot. qui 8. *Metaphys. text.* 10. rerum essentias comparat numeris: quia sicut numeri se excedunt per vltimam vnitatem, ita etiam species per vltimam differentiam. Est etiam expressa Diui Thomæ *de spiritualibus creaturis*, *art.* 8. *ad* 9. vbi ait: *Illud, quod constituit in specie est nobilius eo, quod constituit in genere, sicut determinatum indeterminato, habet enim se determinatum, ad indeterminatum, vt actus ad potentiam.* Idem docet *prima parte quæst.* 50. *art.* 4. *ad primum.* Et est commune placitum Doctorum.

Probatur ratione: quia omne genus est perfectibile vlteriori perfectione: sed est perfectibile per differentias: ergo omnis differentia addit perfectionem generi. Major est certa: nam in hoc distinguitur genus à specie, quod hæc est natura perfecta; illud verò perfectibile. Minor etiam liquet: quia genus perficitur per id, quod species addit suprà genus: sed hoc non est aliud, quam differentia: ergo, &c.

Confirmatur: nam differentia comparatur ad genus, sicut actus ad potentiam, & sicut forma ad materiam, sed omnis actus, & forma tribuit aliquam perfectionem potentiæ, & materiæ: ergo omnis differentia communicat generi aliquam perfectionem.

17 Contrà hanc conclusionem sentit Oña hîc *quæst.* 1. *art.* 5. quem sequuntur aliqui Moderni. Et probatur primò hæc opinio: quia differentiæ non eleuantes genus ad superiorem gradum; vti se habet *rationale* ad *animal*, quæ eleuat illud ad gradum *intellectiui*, limitant perfectionem ipsius generis: ergo non addunt perfectionem generi, sed potius imperfectionem.

Respondetur, illimitationem in potentialitate, & in genere causæ materialis potiùs esse imperfectionem; quia causatur ex carentia actus, qui est perfectio. Et propterea materia inter entia naturalia est imperfectissima; quia est pura potentia, nullam includens actualitatem, siuè determinationem. Et huiusmodi est illimitatio generis; quod proindè perficitur per differentiam, quandò ab ea limitatur, & contrahitur ad speciem.

Secundò arguitur; nam volitio libera est genus ad volitiones liberas, tàm bonas, quàm malas; sed differentia contrahens volitionem ad esse malam est imperfectior, quam volitio libera secundùm se; cùm hæc non importet malitiam: ergo talis differentia nullam addit perfectionem. ¶ Confirmatur: quia sapientia vt sic est perfectior, quam creata: siquidem illa est perfectio simpliciter simplex, seu nullam exprimens imperfectionem; non verò ista: ergo hæc differentia non addit aliquam perfectionem generi.

Respondetur, volitionem peccaminosam metaphysicè, & in esse rei addere perfectionem volitioni vt sic; licèt illam deturpet in esse moris. Sed hoc assertioni stabilitæ non obstat, quæ procedit de genere, & differentiis metaphysicè sumptis. ¶ Ad confirmationem dicimus, sapientiam vt sic non esse genus, sed analogum ad sapientiam creatam, & increatam. In analogis autem perfectiùs est analogum, quam analogata secundaria, & minùs principalia: quia analogum absolutè stat pro famosiori.

18 Tertiò arguitur: quia si quælibet differentia adderet actum, seu perfectionem supra genus, quælibet species infima haberet operationem distinctam ab operationibus aliarum specierum: sed hoc est falsum: ergo &c. Minor suadetur: tùm quia omnes species angelicæ habent easdem operationes, nempè intelligere, & velle. Tùm, quia aliqua animalia non solùm non habent specialem operationem; imò carent aliquibus operationibus, quæ conueniunt ratione generis; siquidem vulgò dicitur talpam carere visu, & pisces olfactu.

Respondetur ex D. Thom. *loco supra cit.* de spiritualibus creaturis, negando sequelam; quia differentia tunc necessariò radicat distinctam operationem, quandò eleuat genus ad altiorem ordinem; vt *animatum*, quæ eleuat *mixtum* ad gradum vitæ. Quandò autem non eleuat, satis est, quòd sit radix, quare operatio generis perfectiori modo participetur a speciebus. Vndè etiam in animalibus imperfectis, quæ carent aliquo sensu, differentia determinat specialem modum operationis sensitiuæ, quæ confusè duntaxat, & indeterminatè conueniebat generi. Et hoc sufficit, vt differentia sit nobilior, quam genus; quia vt docet D. Thom. *in* 2. *dist.* 13. *quæst.* 1. 6. *art. ad* 1. *Habere intellectum sic nobilius est, quam habere intellectum simpliciter; & habere sensum sic, quam habere sensum simpliciter*; hoc est in confuso, & non determinatè.

Obserua tamen, quòd licèt differentia sit perfectior genere in esse rei, vt patet ex dictis, ex parte tamen modi prædicandi non adæquat illud; nam differentia prædicatur in *quale quid*, genus verò in *quid*; qui est perfectior modus prædicationis.

QVÆSTIO V.

Vtrum differentia constituatur in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, quam constituit, vel per ordinem ad eius indiuidua.

19 Titulus quæstionis, claritatis gratia, loquitur determinatè de differentia infima; sensus tamen difficultatis generalis est ad omnem differentiam, vt consideranti constabit. Inquirimus ergo, an differentia infima v.g. *rationale*, sit vniuersalis per respectum ad speciem, cum qua conuertitur, ita vt hæc prædicatio *homo est rationalis*, sit propria huius tertij prædicabilis; an verò per habitudinem ad inferiora speciei, nempè *Petrum*, *Paulum*, & alia hominis indiuidua.

Sed prius quàm ad decisionem dubij accedamus; vt certum omninò supponendum est, propria inferiora differentiæ v. g. *rationalis*, non esse hoc, aut illud *rationale*. Quod sic ostenditur: nam differentia prædicatur de suis inferioribus *in quale quid*: sed *rationale* non prædicatur de hoc, & illo *rationale in quale quid*, sed omninò in *quid*: ergo inferiora illius non sunt hoc, & illud rationale. Minor probatur: nam ideò *animal*, quod ex se est genus, dictum de *hoc animali*, induit conditionem speciei, quia prædicatur, vt tota essentia subiecti; quod est proprium speciei, vt supra vidimus *disp.* 6. *num.* 3. sed etiam rationale prædicatur, vt tota essentia de hoc, & illo rationali: ergo respectu eorum non prædicatur in *quale quid*; sed omninò *in quid*, & per modum speciei.

Dices: cuilibet vniuersali correspondet proprium particulare: sed homo est proprium particulare animalis; & Petrus hominis: ergo proprium particulare *rationalis* non est homo, nec Petrus: sed *hoc rationale*. ¶ Respondetur, diuersa vniuersalia petere diuersa particularia, non materialiter, & in esse rei, sed formaliter, & in esse subijcibilis. Vndè idem *Petrus* v. g. vt respicit totam essentiam est proprium particulare speciei;

vt verò respicit constitutivum suæ essentiæ est proprium particulare differentiæ; vt autem respicit naturam profluentem ab essentia est proprium particulare proprij. Et ideò ad obiectionem neganda est consequentia.

§. I.

Legitima quæstionis resolutio.

20 Dicendum est, differentiam infimam non constitui in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, quam constituit; sed per habitudinem ad indiuidua illius. Hæc conclusio colligitur ex D. Thom. 2. *Poster. lect.* 13. quam defendunt N. Didacus *disput.* 8. *quæst.* 2. & Sanchez *lib.* 3. *quæst.* 25. qui plures alios adducit.

Fundamentum est, quia vniuersale est natura vna dicens ordinem ad plura inferiora, sed differentia non est quid superiùs ad speciem, cum qua conuertitur; benè autem ad illius indiuidua: ergo differentia non est vniuersalis per respectum ad speciem; sed per ordinem ad indiuidua.

Respondebis primò; quòd licèt differentia sit æqualis cum specie physicè, & in esse entis; Logicè tamen, & in esse prædicabilis est superior ad illam: quia differentia prædicatur prædicatione formali de specie, & illius indiuiduis; species verò solàm prædicatur formaliter de indiuiduis: quod sufficit; vt differentia sit vniuersalis respectu speciei.

Sed contrà; quia vniuersale solùm est superiùs Logicè respectu eorum, à quibus abstrahit abstractione vniuersali; sed differentia non abstrahit à specie, & indiuiduis abstractione vniuersali; ergo &c. Probatur minor, quia ab illis abstrahit aliquid abstractione vniuersali, quę vnit in aliqua ratione, & in quibus multiplicatur per contractionem; sed differentia non vnit in aliqua vna ratione speciem, & indiuidua; neque per contractionem multiplicatur in specie, sed solùm in indiuiduis; ergo differentia non abstrahit à specie abstractione vniuersali.

Respondebis secundò, quòd quandò differentia prędicatur de specie, virtualiter prędicatur de pluribus; nempè de indiuiduis, quę in specie continentur; & ita talis prędicatio ęquiualet pluribus prędicationibus formalibus de indiuiduis.

Sed contrà; sicut vniuersale est vnum simpliciter, ita debet dicere ordinem ad multa, quę sint multa simpliciter; sed indiuidua prout continentur in specie non sunt plura simpliciter; quia docente Porphyr. *participatione speciei plures homines sunt vnus homo*: ergo differentia nequit esse vniuersalis per ordinem ad speciem; quia in ea contineantur plura indiuidua.

Deindè pręcluditur hęc euasio; quoniam species non continet indiuidua, nisi quatenùs est vniuersalis, & refertur ad ea: sed quandò differentia prędicatur de specie, tunc formaliter species non est vniuersalis, neque comparatur ad inferiora; sed solùm subijcitur differentię, & comparatur ad eam sicut ad prędicatum: ergo prout sic non continet in virtute indiuidua, sed præscindit ab ea continentia: ergo huiusmodi continentia, quam aliàs habet, non valet conducere ad hoc, vt differentia sit vniuersalis respectu speciei.

§. II.

Respondetur argumentis.

21 Opposita sententia asserit, differentiam constitui in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, cum qua conuertitur: ita vt hæc propositio, *Homo est rationalis* sit propria huius prædicabilis. Sic videntur sentire Caiet. Sot. & Tolet. *in hoc cap.* Et suadetur primò: quia differentia, quatenùs talis, est vniuersalis: sed constituitur in esse talis per ordinem ad speciem: ergo per eundem ordinem constituitur in esse vniuersalis.

Respondetur, negando consequentiam; quia licèt differentia sumpta metaphysicè, constituatur per ordinem ad speciem, & id requiratur præsuppositiuè ad vniuersalitatem Logicam; nihilominùs in esse vniuersalis formaliter, siue tertij prædicabilis constituitur per ordinem immediatum ad indiuidua. Et ratio constat ex dictis; quia nimirùm secunda intentio differentialeitatis ad illum terminum refert directè naturam perfectiuam, respectu cuius potest hæc habere rationem superioris. Quod non conuenit differentiæ per ordinem ad speciem; sed ad indiuidua illius.

22 Secundò arguitur; nam quodlibet vniuersale constituitur in esse talis per ordinem ad ea, de quibus immediatè prædicatur: ex eo namquè genus habet rationem vniuersalis respectu specierum; & non respectu indiuiduorum: quia de illis immediatè, de his verò mediatè dicitur; sed differentia immediatè prædicatur de specie, & media specie de indiuiduis: nam ideò Petrus est rationalis, quia est homo; ergo differentia sit vniuersalis per habitudinem ad speciem.

Respondetur, maiorem esse veram, si intelligatur de eo, quod prædicatur immediatè, sicut superius de inferiori; falsam autem intellectam de eo, quod prædicatur; non vt superiùs, sed alio modo. Cùm ergo differentia non habeat rationem superioris comparatiuè ad speciem, cum qua conuertitur; sit non exercere munus vniuersalis respectu illius. Vndè non sequitur; *Petrus est rationalis, quia est homo*: ergo *rationale* est vniuersale per respectum ad hominem, quia hæc sunt valdè diuersa, vt consideranti constabit.

23 Vltimò arguitur; quia hæc propositio, *homo est rationalis*, est formalis, & directa; ergo est alicuius prædicabilis; sed non alterius, quàm tertij; ergo differentia est vniuersalis per ordinem ad speciem.

Respondetur, non omnes prædicationes formales, & directas pertinere ad quinque prædicabilia; sed solùm eas, in quibus maiora, & superiora de minoribus, & inferioribus prædicantur. Præter quas dantur plures alię, in quibus prędicantur paria de paribus, quę proindè pertinent ad prędicabile de vno tantùm, vt supra diximus *disp.* 4. *n.* 15.

Si autem inquiras, quomodò appellandę sint istę prędicationes, in quibus differentia, & propria passio prędicantur de sua specie? Respondetur, eas appellari communiter prędicationes *tertij, & quarti prædicati*; quia in eis prędicantur res, quę si comparentur ad inferiora speciei, sunt quartum, & quintum prędicabile. Qui modus loquendi frequens est inter Thomistas.

DISPVTATIO VIII.

De Proprio quarto prædicabili.

1 PLVRES proprij acceptiones adducit Petrus Gregorius *lib. 2. syntaxis, cap. 13.* quibus relictis, quæ sunt frequentes apud Dialecticos nunc videamus. Primò enim sumitur proprium, vt distinguitur ab improprio: quo sensu dicimus, *agnum* significare *propriè* quandam speciem animalis, & *impropriè* Christum Dominum. Secundò, vt distinguitur à communi: sicquè sumitur in præsenti. Et proprij in hac consideratione adducit Porphyrius quatuor acceptiones: nam primò dicitur *proprium*, quod conuenit soli speciei; sed non omni illius indiuiduo, vt homini esse *Medicum*. Secundò quod conuenit omni indiuiduo speciei; sed non soli, vt esse *bipedem*. Tertiò quod conuenit omni & soli; sed non semper, vt *canescere*. Quartò quod conuenit omni, & soli, & semper, vt homini esse *risibilem*: & hoc (inquit Porphyrius) *appellatur maximè proprium*. Cuius proindè considerationi hæc disputatio præcipuè insistet.

QVÆSTIO I.

Vtrum proprium acceptum duntaxàt quarto modo constituat hoc prædicabile?

ANte omnia obseruandum est, quòd quamuis Porphyrius expresse non adduxerit definitionem proprij; ex eius tamen verbis formatur sic: *Proprium est, quod conuenit omni, & soli, & semper*: vel aliter, *Proprium est, quod prædicatur de pluribus accidentaliter, & necessariò*. Cum qua coincidit definitio Aristot. 1. *Topic. cap. 4. Proprium est, quod non indicat esse rei, soli autem inest, & conuersim prædicatur*. Quibus suppositis, & ijs etiam, quæ *disput. præced. à num. 3.* circà differentiam diximus, resolutio huius dubij facilè apparet.

§. I.

Deciditur difficultas iuxta communem sententiam.

2 DIcendum est, proprium in vltima solùm acceptione sumptum constituere hoc tertium prædicabile; in alijs verò pertinere simpliciter ad quintum: ac proindè diuisionem proprij traditam à Porphyrio non esse vniuocam, sed analogam. Hæc assertio sumitur ex Arist. 1. *Topic. cap. 4.* ex D. Thom. *Opusc. 48. tract. 1. cap. 6. & 7.* & ex Porphyrio in præsenti, expresse affirmante solum proprium in quarta acceptione esse simpliciter proprium. Quam sententiam defendunt concorditer Thomistæ, & alij plures, quos refert, & sequitur Gallego hic, *controuers. 18.*

Probatur ratione desumpta ex D. Thom. *loc. cit.* quia illud est verè, & simpliciter proprium, quod dimanat à principijs essentialibus. sed illud duntaxàt proprium, quod conuenit omni, & soli, & semper est huiusmodi: ergo illud solum est verè, & simpliciter proprium. Probatur minor: quia si conuenit ex principijs essentialibus: ergo conuenit omni habenti illam essentiam. Rursùs: ergo vbi non fuerit ea essentia, nequè etiam erit tale proprium: ac proindè conueniet soli habenti talem essentiam. Denique: ergo quandiù quis habuerit talem essentiam, tandiù gaudebit eius proprietate: cumque essentia sit inuariabilis, semper habebit proprietatem illam.

Confirmatur primò: quia quod habet necessariam connexionem cum essentia, licèt possit ab ea præscindi abstractione purè præcisiua, nimirùm considerando essentiam absque illo: non tamen abstractione negatiua, seu composita; ita nempè, quod absque præjudicio essentiæ negetur de ea, vel affirmetur eius oppositum. Per quod distinguunt communiter Dialectici proprium ab accidenti communi. Sed esse Medicum, bipedem, aut canum, quæ sunt tres priores acceptiones proprij, possunt negari de homine absque læsione essentiæ, vt patet: ergo non habent necessariam connexionem cum illa, & consequenter nequè veram, & rigorosam conditionem proprij.

Confirmatur secundò: quia proprium, vt distinguitur ab accidenti communi, debet dimanare à principijs essentialibus: sed hoc non conuenit proprio in tribus prioribus acceptionibus considerato: ergo &c. Probatur minor: nam esse Medicum, si sumatur pro habitu Medicinæ, certùm est non fluere ab essentia hominis; si verò sumatur pro speciali inclinatione, aut habilitate ad Medicinam, constat id oriri ex principijs indiuidualibus, & diuerso hominum temperamento. Similiter esse bipedem, aut canescere consequitur ex dispositione materiæ; sicut esse masculum, vel fæminam: ac proindè solùm dimanant ex principijs indiuidualibus, & materialibus. Maneat ergo, proprium tribus prioribus modis acceptum esse simpliciter accidens commune, pertinerequè proindè absolutè ad quintum prædicabile; licèt vtcumque, & sub denominatione proprij possit ad istud quartum reduci.

§. II.

Referuntur opiniones diversæ.

3 Contrà stabilitam conclusionem tres militant opiniones. Prima asserit, proprium tribus prioribus modis acceptum pertinere simpliciter ad hoc prædicabile. Ita Louanienses *in hoc capite*. Hurtado *disp. 6. Logicæ, sect. 5. §. 11.* & alij. Suadetur primò: nam proprium in prædictis acceptionibus vsurpatum habet modum specialem respiciendi inferiora; quem non habet quintum prædicabile: ergo propriè, & per se non pertinet ad illud; sed ad quartum. Probatur antecedens: nam proprium in prima acceptione respicit inferiora, vt conueniens *soli speciei*; sed non omni illius indiuiduo: in secunda, vt conueniens *omni indiuiduo*; sed non soli: & in tertia, vt quid conueniens *omni, & soli*, sed non semper. Accidens autem commune solùm respicit inferiora sub formalitate contingentis, quod scilicet potest esse, & abesse sine corruptione subjecti.

Respondetur, concedendo, quod proprium illis tribus modis consideratum habet formalitates distinctas ab intentione quinti prædicabilis. Cęterùm non constituunt proprium simpliciter: sed tantùm secundùm quid, quia sunt intentiones imperfectę: ad eum modum, quo *disputatione præcedenti, numero quinto*, diximus differentiam propriam, & communem reduci ad differentiam prędicabilem. Et ratio est eadem vtrobique; quia sicut de ratione differentialeitatis simpliciter talis, est, quod sit relatio naturę facientis *aliud*, & simpliciter distinctum: ita ad veram, & rigorosam rationem accidentis proprij exigitur, quod dimanet à principijs essentialibus. Quod tantùm competit proprio quarto modo sumpto.

Sed replicabis: nam licèt actu esse Medicum, bipedem &c. sint accidentia communia orta ex principijs indiuidualibus: aptitudo tamen ad esse Medicum, vel bipedem oritur ex principiis essentialibus naturę humanę: quia ex his prouenit habilitas v. g. ad scientiam: cùm omnis homo naturaliter scire desideret, vt inquit Arist. 1. *Metaph.* ergo huiusmodi accidentia aptitudinaliter sumpta sunt propriæ passiones, pertinentquè simpliciter ad hoc prędicabile.

Respondetur, quod si aptitudo ad Medicinam sumatur pro generali capacitate ad scientias, conuenit homini quarto modo proprij; non primò. Si verò sumatur pro speciali habilitate ad vnam scientiam prę aliis: sic absoluté loquendo est accidens commune. Quia ad rationem proprię passionis requiritur, quòd dimanet ex principiis formalibus, & non tantùm ex materialibus, & indiuidualibus; ex quibus tamen nascitur specialis habitudo ad Medicinam, canitiem &c. Et ideò hęc accidentia, etiam aptitudinaliter sumpta pertinent simpliciter ad quintum prędicabile.

4 Secunda sententia docet proprium in secunda acceptione pertinere simpliciter ad hoc prędicabile. Ita Fonseca 5. *Metaphys. capite vigesimo octauo, sect. 19. quæstione prima ad primum, & secundum*. Cuius fundamentum est: quia quod conuenit omni, & semper, conuenit necessariò: sed proprium in secunda acceptione, vt esse bipedem, conuenit omni, & semper: ergo conuenit necessariò; ac proindè non pertinebit ad quintum, sed ad quartum prędicabile. ¶ Confirmatur; quia si ad veram rationem proprij requireretur, quod *soli* conueniret, iam proprium subalternum v. g. potentia sensitiua, quę consequitur essentiam animalis, non esset accidens proprium; sed commune respectu speciei infimæ: v. g. hominis: siquidem conuenit aliis speciebus; sed hoc est absurdum, vt infrà constabit: ergo &c.

Respondetur ad argumentum negando maiorem; quia vt aliquid conueniat necessariò non sufficit, quòd conueniat omni, & semper; vt patet in albedine cygni, & nigredine corui, quę omni, & semper conueniunt, & tamen sunt accidentia communia, vt docent communiter Dialectici. Sed insuper requiritur, quod dimanet à principiis essentialibus, seu formalibus; & hoc non conuenit proprio in secunda acceptione, vt constat ex dictis.

Ad confirmationem dicimus, quòd ad veram rationem proprij non requiritur, vt hoc quod est *conuenire soli* habeat respectu vniuscuiusque, de quo prædicatur: aliàs *risibile* non esset proprium respectu Petri, cùm etiam conueniat Paulo: sed formalitatem conueniendi *soli*, habere debet respectu essentiæ, à qua dimanat, ita vt conueniat solùm habentibus illam: quod etiam reperitur in proprio subalterno, vt constat.

5 Tertia sententia affirmat, proprium in tertia acceptione pertinere directè ad hoc prædicabile. Ita aliqui moderni, teste Rubio in præsenti, *quæst. 1.* Et suadetur: quia quod dimanat à principiis essentialibus pertinet directè ad hoc prædicabile: sed stat benè, quod aliquid dimanet ab iis principiis, & non conueniat semper habenti illa: ergo quod conuenit omni, & soli; licèt non conueniat semper, pertinet directè ad hoc prædicabile. Minor patet in potentia visiua canis, quæ est proprietas rigorosa illius, & tamen non conuenit ei ante nonum diem.

Respondetur negando minorem: nam quod oritur à principiis essentialibus semper ab eis exigitur; & ideò per se, & naturaliter loquendo, semper debet conuenire. Et ad instantiam in contrarium adductam dicimus, quod cani ante nonum diem non deest potentia visiua; sed solùm actus videndi propter indispositionem organi: actualis autem visio non est passio; sed accidens commune.

6 Ex dictis infertur, non solùm proprium infimum, quod sequitur ad speciem infimam, verum etiàm, & subalternum, quod à gradu generico dimanat, pertinere simpliciter ad hoc prædicabile. Tùm quia Arist. 5. *Topic. cap. 2.* docet aptum esse ad sentiendum, esse passionem animalis. Tùm quia illud est accidens simpliciter proprium, quod non potest negari de essentia absque præiudicio illius: sed potentiæ sensitiuæ nequeunt negari sine destructione animalis: ergo sunt rigorosæ passiones eius, & omnium quę essentiam animalis participant.

Dices: dimanatio passionis ab essentia pertinet ad genus causæ efficientis: sed genus non potest esse causa efficiens: ergo nulla passio dimanat à gradu generico. Probatur minor: quia nihil agit, nisi provt ens in actu; sed genus est quid potentiale; ergo nequit esse causa efficiens.

Respondetur, proprium subalternum non dimanare à genere præcisè, quatenus totum potentiale est; sic enim non habet sufficientem actualitatem ad influendum in genere causæ efficientis; sed dimanat ab illo, quatenùs habet rationem totius actualis; quo pacto habet quidquid requiritur ad dimanationem proprietatum.

QVÆSTIO II.

Respectu cuius proprium constituatur in esse vniuersalis?

SVpponimus, quod proprium non exercet munus quarti prædicabilis per respectum ad inferiora eodem modo significata: v.g. *risibile* respectu huius, & illius risibilis. Quod satis patet ex dictis circà differentiam *disp. praeced. num.* 19. Et licèt resolutio præsentis quæstionis ex ibidem dictis facilè colligatur oportet tamen illam attingere, vt quibusdam specialibus argumentis satisfiat.

§. vnicus.

Defenditur commune placitum.

7 DIcendum est, proprium non esse vniuersale respectu speciei, à qua fluit, & cum qua conuertitur; sed per habitudinem ad inferiora speciei. Hęc assertio non indiget probatione suppositis, quæ suprà *disput. praecedenti, num.* 20. determinauimus circa differentiam; & ideò solum restat occurrere obiectionibus, quæ in contrarium formari possunt.

8 Obijcies ergo primò; quia in hoc distinguitur proprium ab accidenti communi; quod istud conuenit speciei ratione indiuiduorum; illud verò conuenit indiuiduis ratione speciei; ideò enim Petrus est risibilis, quia homo est risibilis; ergo proprium priùs prædicatur de specie, quam de indiuiduis, eritquè proindè vniuersale per respectum ad illam.

Respondetur; differentiam illam procedere de proprio, & accidenti metaphysicè, & realiter sumptis, non verò Logicè, & in esse vniuersalis. Vndè licèt proprium priùs dicatur de specie, quam de indiuiduis; in illa tamen prædicatione proprium solùm habet rationem quarti prædicati, & non quarti prædicabilis. Quia prędicatio illa est proprius actus prædicabilis, in qua maiora de minoribus prædicantur; quod non conuenit proprio respectu speciei, à qua dimanat, cùm ei sit æquale. Et idcircò licèt metaphysicè prius dicatur de specie, quam de indiuiduis; Logicè tamen, & per modum superioris solùm prædicatur de indiuiduis, & nullo modo de specie.

9 Obiicies secundò; nam ex prædicationibus quinque vniuersalium solæ prædicationes huius quarti prædicabilis possunt propriè, & à priori demonstrari, sed proprium demonstratur propriè, & à priori de specie, cum qua conuertitur; ergo habet rationem vniuersalis, & prædicabilis respectu illius. Maior est certa; tùm quia ità docet Arist. 1. *Post. cap.* 4. tùm quia prædicationes accidentis sunt in materia contingenti; & sic nequeunt demonstrari: prædicationes autem generis, speciei, & differentiæ sunt essentiales, & ideò non possunt probari à priori; cùm essentia sit omnium primum. Restat igitur, quòd solùm prædicationes proprii sint demonstrabiles.

Respondetur, negando consequentiam; nam licèt ex prædicationibus vniuersalium solùm illæ, quæ pertinent ad hoc prædicabile, sint demonstrabiles; non tamen sequitur, omnes propositiones demonstrabiles ad istud prędicabile pertinere. Illę namquè, in quibus proprium prędicatur de specie, cum qua conuertitur, demonstrari propriissimè possunt; & tamen non pertinent ad hoc pręd.cabile; sed sunt quarti prędicati, vt constat ex dictis. Vnde Arist. *loco cit.* intelligendus est non solùm de proprio Logicè, & vt est quartum prędicabile; sed etiam de proprio metaphysicè, vt est quartum prędicatum.

10 Obiicies tertiò; quia idem accidens, quod respectu gradus, à quo dimanat, est propria passio, comparatiuè ad gradus inferiores est accidens commune: ergo quartum prędicabile solùm constituitur in esse talis per respectum ad gradum, à quo dimanat. Consequentia patet, & antecedens suadetur; quia aliàs nullum dabitur accidens commune: siquidem respectu subiecti, & principii, à quo oritur, induit rationem passionis.

Respondetur, negando antecedens; quoniam id, quod est vera passio alicuius gradus, semper habet rationem proprii respectu omnium inferiorum, quæ participant illum gradum. Et probatio in contrarium adducta nulla est: plura enim sunt accidentia, quę etiam respectu proprii subiecti nequeunt esse passiones, vt patet in actibus liberis voluntatis creatæ: quæ non conueniunt illi necessariò, tametsi ab ea, sicut à proprio principio oriantur. Et ratio est, quia ad conceptum proprii non satis est habere proprium subiectum, per quod accidens definiatur; sed insuper requiritur, quod fluat per se à principiis essentialibus: vt magis constabit *disputatio sequenti*.

DISPVTATIO IX.

De Accidenti quinto prædicabili.

DVAS *Accidentis* acceptiones adducit, & explicat D. Thom. *de spiritualibus creaturis, art.* 11. Primò sumitur Physicè: secundò Logicè. Accidens physicum est, quod distinguitur à substantia, definiturquè: *Ens in alio*. Et hac ratione appellatur accidens prædicamentale, & diuiditur in nouem genera, de quibus infrà. Accidens verò Logicum diuiditur contrà essentiam: & signi-

significat quidquid contingenter se habet ad illam, siue sit entitatiuè substantia, siue accidens: qua ratione dicimus aurum accidere vasi, & existentiam Petro. Quo pacto definitur à Porphyrio: Accidens est, quod adest, & abest sine subiecti corruptione. Et de accidenti sic sumpto procedit præsens disputatio.

QVÆSTIO I.

An definitio accidentis tradita à Porphyrio sit bona?

1 Dicendum est, definitionem accidentis, qua vtitur Porphyrius, nempè *Accidens est, quod adest, & abest absque subiecti corruptione*, esse rectam. Ita Caietanus, & Soto *in hoc capite*, Sanchez *lib. 3. quæst. 43*. & communiter Thomistæ. Sed ad perfectam eius intelligentiam obseruandum, & supponendum est, definitum illius esse secundam intentionem constitutiuam huius prædicabilis, significatam in concreto. Ponitur autem in hac definitione illud relatiuum *Quod* ad significandam naturam denominatam, quæ ponitur loco generis, vt etiam obseruauimus in definitionibus aliorum prædicabilium. Reliquæ verò particulæ *adest, & abest absque subiecti corruptione*, gerunt vices differentiæ: quæ non sunt intelligendæ de absentia physica, & reali; sed Logica, & per intellectum. Tùm, quia plura dantur prædicata accidentalia; quæ sunt entitatiuè substantia, vel ens rationis: quæ proindè nequeunt adesse, & abesse realiter. Tùm prætereà, quia etiam ex prædicatis, quæ entitatiuè sunt accidentia, plura nequeunt abesse physicè sine corruptione subiecti: vt patet in albedine cygni, & nigredine corui.

Tùm deniquè, quia ipse Porphyrius in præsenti, & D. Thom. *de spiritualibus creaturis art. vlt. ad 7.* explicant prædictas particulas de affirmatione, & negatione per intellectum. Qua expositione optimè declaratur natura, quæ est subjectum intentionis huius prædicabilis: est namquè talis conditionis, vt nequè affirmatio, nequè negatio illius destruat essentiam subjecti; sed possit de eo affirmari, & negari salua manente eius quidditate, & absque corruptione metaphysica, vt optimè exponit Caietanus.

2 Ex quibus facilè apparet veritas nostræ assertionis: nam illa definitio est recta, quæ explicat perfectè naturam definiti: sed definitio, quam tradit Porphyrius explicat benè hoc prædicabile: ergo est recta. Minor constat ex dictis: quia propria ratio accidentaleitatis est facere naturam, quam afficit prædicabilem de suo subjecto sine corruptione illius: sed hoc declaratur in prædicta definitione per illas particulas, *adest, & abest sine subiecti corruptione*: ergo &c. ¶ Confirmatur, & explicatur: quia accidens quintum prædicabile est, quod prædicatur de pluribus in quale, & contingenter, vt omnes Dialectici admittunt: sed hoc ipso, quod aliquid adsit, & absit sine corruptione subjecti, potest prædicari de pluribus accidentaliter, & omninò contingenter, vt patet ex terminis: ergo definitio Porphyrij optimè declarat naturam huius quinti prædicabilis.

§. Vnicus.

Diluuntur aliquæ obiectiones.

3 Sed obijcies primò. Porphyrius post traditam definitionem accidentis statim diuisit illud in *separabile*, vt dormire; & in *inseparabile*, vt nigrum esse in Æthiope: sed hæc diuisio, aut distinctio manifestè procedit de separabilitate reali: ergo in eodem sensu intelligenda est definitio; ne Porphyrius æquiuocè, & inconsequenter procedat: ac proindè expositio nostra est contrà mentem illius.

Respondetur, negando consequentiam: nam absque vlla æquiuocatione, vel defectu post traditam definitionem accidentaleitatis significatæ in concreto potuit Porphyrius diuidere illam, diuisione accidentis in subiecta; in accidens, quod potest realiter separari, vt dormire; & in accidens realiter inseparabile, vt nigrum esse respectu corui. Vtrumque enim potest affirmari, & negari absquè præiudicio essentiæ: in quo consistit propria ratio naturæ extraneæ, quæ est subiectum accidentaleitatis.

4 Secundò obijcies: quia propria passio potest affirmari, & negari de suo subiecto sine corruptione illius: ergo definitio accidentis communis conuenit proprio, atque ideò alijs à definito. Suadetur antecedens: quia propria passio non est de conceptu quidditatiuo rei, cujus est passio; sed quid posterius essentia: ergo siuè affirmetur, siuè negetur, indemnis manebit essentia, metaphysicè loquendo.

Respondetur, negando antecedens: quia licèt propria passio non sit de conceptu quidditatiuo speciei; & ideò possit essentia intelligi, non intellecta passione, per abstractionem purè præcisiuam; nihilominùs connectitur necessariò, & per se cum essentia, à qua dimanat; ac proindè nequit negari de specie absque corruptione illius. Nam sicut benè valet; *est risibilis; ergo est homo*: ita etiam rectè infertur: *non est risibilis; ergo non est homo*. Quod non contingit in accidentibus communibus: hæc enim, quantumuis physicè inseparabilia sint; possunt negari de essentia, quin hæc metaphysicè corrumpatur.

Replicabis: nam hæc propositio, *cygnus est albus*, est vera, quia nullus datur cygnus niger: ergo illa erit falsa: *cygnus non est albus*: siquidem ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa: ergo accidentia inseparabilia nequeunt negari de subiecto: ac proindè nulla est differentia assignata inter accidens commune, & proprium.

Respondetur, nos non affirmare, quòd accidens commune possit semper negari absolutè de subiecto in propositione vera: sed solum intendimus posse negari absquè corruptione essentiæ: eo quod semper saluantur eadem prædicata quidditatiua. Vnde licèt de facto hæc sit falsa, *cygnus non est albus*: quia de facto omnis cygnus est albus: tamen siue ponatur cygnus albus, siue non albus manet integra essentia eius. Hoc autem repugnat propriæ passioni; nam negatio eius infert negationem

5 Tertiò obijcies: quia mors, & existentia actualis accidunt homini, & de illo prædicantur prædicatione quinti prædicabilis: & tamen neque mors adesse, neque existentia abesse potest sine hominis corruptione: ergo definitio Porphyrij non conuenit omni definito.

Respondetur, existentiam posse negari salua manente essentia creaturæ, cùm hæc in suis prædicatis essentialibus non dependeat ab exercitio existendi. Siuè enim existat homo, siuè non; semper manet eadem definitio, & connexio prædicatorum essentialium. Per quod satis constat ad instantiam de morte: nam hæc solum destruit existentiam; sed non tollit definitionem, & quidditatem secundum se, & metaphysicè acceptam.

Sed insuper respondetur cum Caietano *in præsenti dub. 2.* hanc propositionem, *homo est mortuus* non esse quinti prædicabilis, quia prędicatum non est conueniens, sed omninò repugnans subiecto. Vnio enim animę, & corporis, quę est de essentia hominis, rescinditur per mortem: & ita mors facit, quod aliquid non sit homo. Verificatur tamen dicta propositio ratione ampliationis, qua copula extenditur ad tempus prӕteritum: facit enim hunc sensum: *quod est, vel fuit homo, est mortuum*; id *est olim homo, modò est mortuus*. Alijs solutionibus occurrunt huic obiectioni, Socus *in hoc cap.* & Sanchez *lib. 3. cap. 43.* quas breuitatis gratia prętermittimus.

6 Inquires, respectu quorum constituatur accidens commune in esse prędicabilis? Respondetur, constitui per ordinem ad subiecta, quibus accidit; non verò per habitudinem ad inferiora, quibus essentialiter conuenit. Vndè hę prędicationes, *Petrus est albus, equus est coloratus* pertinent ad hoc quintum prædicabile; non verò istæ, *hoc album est album*, & *album est coloratum*. Ratio est manifesta: quia accidens prędicabile est illud, quod prædicatur de pluribus in quale, & contingenter; vel quod adest, & abest sine corruptione subiecti: sed hoc conuenit accidenti per respectum ad subiecta, quæ denominat accidentaliter, non autem comparatiuè ad ea inferiora, de quibus essentialiter prædicatur; ergo solùm est vniuersale per habitudinem ad subiecta, quibus accidit.

Neque hinc sequitur hoc quintum prædicabile non essentialiter; sed duntaxàt accidentaliter esse vniuersale. Quoniam licèt accidentalenas faciat, naturam denominatam prædicari accidentaliter de subiectis; ipsa tamen essentialiter est vniuersalitas. Quamuis enim natura accidentaliter prædicetur; nihilominùs ipsi secundæ intentioni essentiale omninò est, quod sit relatio naturæ contingentis ad subiecta, quibus accidit.

QVÆSTIO II.

In quo differant propria passio, & accidens commune.

AD perfectam notitiam secundarum intentionum huius, & quarti prædicabilis, necessarium est inuestigare, in quo differant propria passio, & accidens commune; seu natura profluens ab essentia, & natura extrinseca: quæ sunt subiecta adæquata harum intentionum. Inquirimus ergo, quæ accidentia dimanent ab essentia, & sint propria; quæ verò sint ab extrinseco, & communia.

§. I.

Propugnatur sententia Aristotelis, & D. Thom.

7 DIcendum est primò, non omnia accidentia esse proprias passiones etiam respectu illius principij, ad quod sequuntur. Hanc assertionem defendunt omnes Auctores referendi prò sequenti. Et probatur: quia aliqua dantur accidentia, quæ quibuscumq; comparentur sunt communia, & conueniunt purè contingenter: ergo non omnia accidentia sunt proprietates. Antecedens patet in actibus intellectus, & voluntatis; aliàs istæ propositiones *Petrus intelligit, Petrus amat* essent necessariæ, & demonstrabiles: quod est absurdum.

8 Dicendum est secundò, illa accidentia esse proprias passiones, quæ oriuntur ab essentia ratione formæ, & per se primò conueniunt speciei: illa verò quæ oriuntur ab essentia ratione materiæ, & per se primò conueniunt indiuiduis esse accidentia communia. Conclusio est communis inter Dialecticos, vt testantur Caiet. *in præsenti*. Masius *cap. de Proprio, quæst. 9.* Et meritò, quia ita expresè docent Arist. 10. *Metaph. textu 25.* & D. Thom. *in 1. dist. 17. q. 1. art. 2. ad 2.* vbi ait, *Quædam sunt accidentia, quæ causantur ex principijs subiectis & hoc dupliciter: quia vel causantur ex principijs speciei, & sic sunt propriæ passiones, quæ consequuntur totam speciem: vel ex principijs indiuidui, & sic sunt communia*. Idem repetit *1. Posterior. lect. 4. & de ente, & essentia cap. 7.* & alibi sæpè.

Probatur ratione: quia illa accidentia sunt absolutè, & simpliciter propriæ passiones, quæ oriuntur ab essentia, quatenùs essentia est: sed essentia constituitur in esse talis per formam, & non per materiam: ergo accidentia quæ conueniunt essentiæ ratione formæ, sunt propria; & quæ ratione materiæ sunt communia.

Confirmatur primò: quia passio sequitur essentiam ratione differentiæ specificæ; non verò ratione differentiæ indiuidualis; siquidem conuenit omnibus participantibus illam essentiam, & non præcisè huic, aut illi indiuiduo: sed accidentia, quæ sequuntur formam, conueniunt subiecto ratione differentiæ specificæ; quæ autem sequuntur materiam, conueniunt ratione differentiæ indiuidualis: ergo illa sunt propriæ passiones; hęc verò accidentia communia. Probatur minor: nam forma est radix differentię specificę; & materia est radix differentię indiuidualis: ergo, &c.

Confirmatur secundò: quia proprietates sequuntur essentiam, prout constitutam in determinato gradu entis; & ideo conueniunt omnibus participantibus illum gradum: sed forma est quę constituit essentiam in determinato gradu entis, siquidem sola ipsa est primus actus simpliciter: ergo illa duntaxàt accidentia sunt proprietates, quę conueniunt subiecto ratione formę.

Ex ijs infertur aliud discrimen, quod insinuauimus in conclusione: nimirùm proprias passiones per priùs conuenire speciei, & media illa, indiuiduis. *Petrus enim est risibilis*, quia *homo est risibilis*: accidentia autem communia per priùs conuenire indiuiduis, & ratione illorum speciei, *homo enim est albus*: quia *Petrus est albus*. Ratio perspicuè depromitur ex dictis: quia forma est prima radix vnitatis, & distinctionis specificæ; & similiter materia est prima radix vnitatis, & distinctionis numericæ, seu indiuidualis: sed proprietates conueniunt subiecto ratione formæ; & accidentia communia ratione materiæ: ergo illæ per se primò conueniunt speciei,

ciei, & ex consequenti indiuiduis; ista verò conueniunt per se primò indiuiduis, & ex consequenti speciei.

§. II.

Satisfit argumentis contrariæ opinionis.

9 Louanienses, & alii quidam Neotherici sentiunt, omnia accidentia esse proprias passiones respectu proprii, & adęquati subiecti, per quod definiuntur: esse verò accidentia communia, si comparentur ad subiecta inadęquata. Probatur primò hęc sententia euertendo discrimen hucusquè traditum, quia ambiguum valdè est, quę accidentia sequantur materiam, & quę formam, maximè in sententia D. Thom. *cap. 7. de ente, & essentia*, vbi asserit, nullum accidens esse, quod oriatur à sola materia; ergo meliùs dicetur omnia accidentia esse proprietates respectu proprii, & adęquati subiecti, & accidentia communia respectu subiectorum inadęquatorum.

Respondetur, quòd licèt ex defectu nostro difficilè sit generalem illam regulam traditam ab Arist. & D. Thoma, cuilibet materię applicare, & determinare in particulari; an hoc accidens sequatur materiam, an formam; non tamen ideò falsa est, aut deserenda, cùm adeò efficacibus rationibus innitatur. Neque Angelicus Doctor sibi, & nobis contrarius est; quia nunquam asserimus, aliqua accidentia à sola materia oriri sine communicatione formę, quòd meritò negat D. Thomas *loco cit.* sed dicimus inter accidentia, quę recipiuntur in toto composito, alia oriri ab eo ratione materię, & alia ratione formę; ita vt prima radix illorum sit materia; istorum verò sit forma.

10 Arguitur secundò; nam quantitas sequitur materiam teste D. Thom. 3. *p. qu. 90. art. 2.* & nihilominùs est propria passio corporis, siquidem semper conuenit omnibus, & solis corporibus; ergo aliquod accidens sequens materiam est propria passio.


Respondetur negando minorem; nam quantitas per se pertinet ad indiuiduationem, & est de numero illorum accidentium, quibus indiuidua differunt inter se. Nunquam enim inueniuntur duo quanta omninò similia; sed differunt saltem propriis sitibus. Ex quo planè colligitur, quantitatem non esse propriam passionem. Hęc enim cùm dimanet ab essentia inuenitur eodem prorsùs modo in habentibus illam essentiam; vel saltem ex se, & ratione sui non habet inęqualitatem istam, quę apparet in quantitate. Vndè licèt semper in omni, & solo corpore reperiatur, adhuc non est appellanda passio corporis: quia consequitur illud ratione materię, & fundat inęqualitatem dictam; in quo satis distinguitur à vera passione.

11 Tertiò arguitur; quia color respectu hominis, & leonis est accidens commune; & tamen respectu gradus mixti est propria passio: siquidem potest demonstrari de illo à priori per temperamentum primarum qualitatum: ergo idem accidens respectu diuersorum est propria passio, & accidens commune.

Respondetur negando minorem; quia color, vt latiùs explicabimus *in lib. de Anima disput.* 10. resultat ex temperamento primarum qualitatum in tali, vel tali proportione; quod nascitur ex principiis indiuidualibus, & est dispositio quędam omninò contingens; ac proindè color ipse non est rigorosa passio. In cuius signum videmus dari aliquod mixtum expers omnis coloris; nam *humidum aqueum* (inquit D. Thom. 2. *de anima lect. 17.*) *quod est in pupilla, caret omni colore vt possit cognoscere omnium colorum differentias*; constat autem pupillam esse corpus mixtum; ergo color non est vera passio mixti, neque potest de illo demonstrari; cùm non nectatur per se, & necessariò cum essentia illius.

12 Vltimò arguitur; nam accidentia, quę causantur ex varia dispositione materię, vt masculinum, & fœmininum in animalibus, sunt verę passiones respectu illius temperamenti, ex quo resultant; ergo omnia accidentia sunt proprietates alicuius gradus. Antecedens est expressè Arist. 10. *Metaph. text. 25.* vbi ait; *Masculus autem, & fœmina propriæ quidem animalis passiones sunt.* Et probatur ratione; quia talia accidentia per se prędicantur de temperamento, ex quo resultant: ergo sunt passiones illius.

Respondetur, masculinum, & fœmininum solùm secundùm quid, & impropriè esse passiones animalis; quia licèt per se sequantur ad talem dispositionem materię, vt puta ex eo quod calor operans sit fortis, vel remissus; tamen hęc ipsa dispositio est per accidens respectu essentię animalis. Vndè Aristot. post verba, in argumento relata, statim subiunxit; *Sed non secundùm substantiam; verùm in materia, & corpore.* Hoc est non sunt passiones simpliciter, & ex parte formę; sed secundùm quid, & ex parte materię, vt explicat D. Thom. Per quod etiam patet ad rationem inductam.



DISPV-



DISPVTATIONES

AD LIBRVM CATEGORIARVM ARISTOTELIS.


PROOEMIVM.



RIMVS inter opera Aristotelis est Liber hic Categoriarum. Inscribitur autem Categoriæ *à verbo græco* κατηγορέω, *quod idem est, ac* prædico, *siue* enuntio. *Categoria enim est series, aut coordinatio prædicabilium, in qua scilicet superiora prædicantur de inferioribus: propter quod apud Latinos* Prædicamenta *appellantur.*

Vtilitas huius libri maxima est: quia summoperè iuuat, vt rerum definitiones, & diuisiones facilè inuenire possimus. Nam cùm omnium rerum quidditates sint in vniuerso (respectiuè ad nostram cognitionem) adeò confusè, & indistinctè dispersæ: non poterat intellectus earum notitiam, sine magno labore assequi; definitionesquè, ac diuisiones absque erroribus efformare. Eadem enim quidditas v.g. albedinis cum substantia, quantitate, relatione, figura, alijsquè pluribus accidentibus permixta est. Idcircò Aristoteles (cui, vt inquit *Cælius Rhodiginius,* collatum est quidquid humano ingenio capi potest) *omnes essentias ad decem classes, vel suprema genera reuocauit, quæ categorias appellauit, seu* prædicamenta. *Vbi ita natura rerum proprijs differentijs distinguntur, proprietatibus insigniuntur, & velut characteribus sigillantur; vt peruium intellectui sit, cuiuslibet rei quidditatem deprehendere, ad superiora genera referre, & in propria inferiora diuidere.*

Continet autem Liber iste tres partes, videlicet ante-prædicamenta, prædicamenta, & post-prædicamenta. *In prima disputat Aristot. de quibusdam prærequisitis ad prædicamenta, explicans, quæ in illis collocanda, quæ autem ab illis reijcienda sint. In secunda ipsa prædicamenta recenset, & rerum naturas ordinatè disponit. In tertia deniquè explicat quædam, quæ consequuntur ipsa prædicamenta, & ad perfectiorem eorum naturam comparandam iuuant. Quem ordinem nos etiam in sequentibus disputationibus obseruauimus.*



ANTE-PRÆDICAMENTA ARISTOTELIS.

DISPVTATIO X.

De Nominum Analogia.

QVAMVIS ad perfectam analogiæ intelligentiam acquirendam, præsens, disputatio principaliter deseruiet; priùs tamen oportet *æquiuocorum, vniuocorum*, & *denominatiuorum* aliqualem notitiam prælibare: tùm ob connexionem doctrinæ, quæ inter ipsa, & analoga datur, tùm, quia Aristoteles de illis disseruit in primo capite. Cuius vestigijs inhærentes in prima quæstione *æquiuoca, vniuoca,* & *denominatiua* curabimus explicare: ad quod præstandum definitiones traditas ab Aristotele exponemus, & propugnabimus. Exindè analogorum notitiæ in alijs quæstionibus operosiùs insistemus.

QVAESTIO I.

Vtrum definitiones æquiuocorum, vniuocorum, & denominatiuorum ab Aristotele tradita sint bona?

1 HÆc tria definit Aristot. sic: *Aequiuoca dicuntur, quorum nomen est commune; ratio vero substantiæ nomini accommodata diuersa*: vt animal dicitur, & ipse homo, & id, quod est pictum. *Vniuoca dicuntur, quorum nomen, & commune est, & ratio substantiæ nomini accommodata est eadem*: vt animal dicitur, & ipse homo, & equus. *Denominatiua dicuntur, quæ ab aliquo nominis appellationem habent, solo differentia casu*.

Vt autem percipiamus ordinem, quem Aristot. in definiendo obseruauit, animaduertendum est, prædicamenta posse tripliciter comparari. Primò ad ens, cuius sunt partes: secundò ad sua inferiora: tertiò quædam eorum alijs. Primò modo sunt æquiuocata, seu analogata respectu entis: secundò modo vnumquodque prædicamentum est vniuocum respectu suorum inferiorum: tertiò modo prædicamenta accidentium sunt denominatiua substantiæ. Quia igitur in quolibet prædicamento priùs consideratur ratio entis, deindè respectus ad inferiora, & vltimò comparatio ad prædicata extranea: idcircò Aristot. priùs explicuit æquiuoca, deindè vniuoca, & tandem denominatiua.

Deindè nota, quod nomen ipsum æquiuocum (& idem est de vniuoco &c.) appellatur æquiuocum æquiuocans, res verò significata per tale nomen dicitur æquiuoca æquiuocata. Vndè constat, res ipsas secundùm se non dici æquiuocas, aut vniuocas; sed provt nominibus significantur. Nam istæ intentiones sunt de numero earum, quæ immediatè fundantur in nominibus: propter quod Arist. non dixit: *æquiuoca sunt, vniuoca sunt* &c. sed dixit. *æquiuoca dicuntur, vniuoca dicuntur*. His suppositis traditas definitiones breuiter exponemus.

§. I.

Explicatur definitio æquiuocorum.

2 DIcendum est primò, definitionem æquiuocorum traditam ab Arist. esse optimam. Hæc assertio est omnium Doctorum, & probatur exponendo singulas definitionis particulas. Ad cuius lucem aduerte, definitum in hac definitione esse secundam intentionem æquiuocationis: quæ, quia definitur in concreto; ideò ponitur loco generis subiectum illius, quod est vox, seu nomen: iuxtà ea, quæ pro definitionibus accidentium supra diximus *disp. 5. à num. 2.*

Inquit ergo Aristotel. *æquiuoca dicuntur*; loquitur de æquiuocis æquiuocatis, provt talibus: ideò non dixit *sunt*, sed, *dicuntur*. *Quorum nomen*. Nomen hic, vt notat Boëtius, accipitur provt comprehendit verbum, participium, & alias partes orationis, in quibus inueniri potest æquiuocatio. *Est commune*, vt innuat, nomen debere esse omninò vnum: sic enim propriè erit commune. Vndè quælibet diuersitas in nomine, etiam si fiat sola mutatione alicuius litteræ, vel solius accentus tollit ęquiuocationem. *Ratio verò* id est conceptus obiectiuus *substantiæ*, idest quidditatis, seu essentię. Substantia enim in præsenti accipitur pro essentia rei; siue entitatiuè sit substantia, siue accidens. *Nomini accommodata, diuersa*, vt ostendat ad ęquiuocationem solùm requiri, vt ęquiuocata, secundùm quod significantur per nomen ęquiuocum, non habeant vnam rationem; licèt aliàs provt aliis nominibus significantur verè habeant vnam rationem, in qua vniuocè conueniant. Et propterea hoc nomen *canis* est ęquiuocum ad canem latrabilem, & marinum; quia quatenùs significari per tale nomen non habent vnam rationem: licèt aliàs in nomine *substantiæ*. & *animalis* vniuocè conueniant. Et ratio est: quia nomen ęquiuocum significat plura, vt plura, hoc est secundùm vltimas differentias: quę sunt omninò diuersę.

Ex ijs apparet veritas assertionis: nam definitio, quę explicat naturam rei definitę, nihilquè continet superfluum, aut diminutum, optima est: sed huiusmodi est definitio ab Arist. tradita; & aliàs obseruat regulas stabilitas ad definienda concreta accidentalia: ergo est optima pro qualitate materię: hoc est, quantùm permittunt concreta accidentalia, quorum definitio nunquam est ęquè perfecta, ac definitio abstractorum.

3 Sed obijcies primò: nam quidquid definitur, debet esse species, ex Arist. 8. *Metaph. text. 9.* ergo vniuocum: ergo ęquiuoca nequeunt definiri.

Respondetur, quòd licèt ęquiuoca secundùm suos conceptus obiectiuos significatos per nomen ęquiuocum, sint simpliciter diuersa, atque ideò indefinibilia vnica definitione: nihilominùs, si sumantur provt denominantur à secunda intentione ęquiuocationis, sunt vnum specifice. Cuius ratio est: quia intentio ęquiuocationis, quę est definitum in hac definitione, & à qua denominantur ęquiuoca, est quędam species secundę intentionis, quę ęqualiter participatur ab his, vel illis ęquiuocis.

Obijcies secundò: quia nomen ęquiuocum non est vnum; sed potiùs plura: ergo non benè dicitur in definitione, *quorum nomen est commune*. Probatur antecedens: quia nomen constituitur per significationem: sed ęquiuoco insunt plures significationes, siquidem significat immediatè plura: ergo non est vnum nomen; sed plura.

Respondetur, ad multiplicationem concreti accidentalis non sufficere multiplicationem formę: nam quamuis aliquis habeat plures artes, dicitur vnus artifex, & non plures. Et ratio est: quia licèt concretum significet formam; ex modo tamen significandi supponit pro subiecto: vndè ad eius multiplicationem debet subiectum multiplicari. Quapropter cum nomen ęquiuocum sit concretum accidentale, importans de formali significationem, & supponens pro entitate vocis: dummodò hęc indiuisa perseueret, semper erit absolutè vnum; quantumvis significationes multiplicentur.

§. II.

Elucidatur vniuocorum definitio.

4 DIcendum est secundò, definitionem vniuocorum superius adductam esse rectam. Ad huius assertionis comprobationem (suppositis ijs, quę pro pręcedenti diximus) sufficit vltimas particulas, nimirùm, *ratio verò substantiæ nomini accommodata est eadem* exponere: quia in eis pręcisè vniuoca differunt ab ęquiuocis. Hęc autem verba innuunt, conceptum obiectiuum immediatè significatum per nomen vniuocum esse simpliciter vnum, seu rationem vniuocatis communem, & in eis omninò eandem. In quo nomina vniuoca ęquiuocis è regione opponuntur: quia hęc non significant vnam ratio-

rationem; sed immediatè plures, scilicet vltimas æquiuocatorum differentias. Quod probat à posteriori Aristot. quia si quis quærat, quæ est ratio canis, quæ inuenitur in latrabili, & marino; non assignabit vnam definitionem illis communem; sed proprias eorum definitiones adducet. Si autem inquirat: quæ est ratio animalis, quæ inuenitur in homine, & equo? respondet vnica definitione animalis, dicendo: *est viuens sensibile*: nequè cogitur proprias hominis, & equi definitiones adducere.

Obijcies omnia genera, quæ maximè videntur vniuoca, sunt etiam æquiuoca, vt docet Arist. 7. *Physic. text.* 31. ergo vniuoca, & æquiuoca non distinguuntur: ac proindè falsa erit differentia in explicatione conclusionis adducta.

Respondetur ex D. Thom. *loc. cit. lect.* 8. quòd genera, physicè loquendo, solent appellari æquiuoca: quia non significant vnam rationem, quæ physicè, seu à parte rei sit vna realiter in speciebus. Animal enim non sumitur ab aliqua forma, quæ realiter sit eadem in homine, & equo: sed à diuersis formis, secundùm quod tribuunt perfectionem sentiendi, & habent à parte rei conformitatem in hoc, vel vnionem conformitatis. Sed hoc non tollit, quod sint propriè vniuoca; siquidem significant rationem, quæ logicè loquendo, & prout abstrahit à differentijs, est eadem omninò in speciebus.

§. III.

Definitio denominatiuorum exponitur.

5 Dicendum est tertiò, Aristotelem rectè denominatiua explicuisse definitione suprà posita *num.* 1. Vt veritas huius conclusionis, quæ communi Doctorum auctoritate fulcitur, manifestè appareat, notandum est in quacumque denominatione tria inueniri, nempè *formam denominantem*, *rem denominatam*, & *ipsum denominatiuum*: vt *albedo* est forma denominans parietem album, *paries* est res denominata, & illud concretum *album* est denominatiuum. Ex quibus forma denominans est radix totius denominationis, à qua denominatiuum accipit appellationem, & vim denominandi. In hac enim prædicatione *paries est albus*, illud denominatiuum *albus* positum à parte prędicati denominat parietem ratione albedinis, quam significat, & à qua differt solo casu, id est cadentia nominis: siquidem nomina in principio conueniunt, & in fine differunt; res vero significata per vtrumque est eadem.

His suppositis perspicua manet definitio: nam reddit hunc sensum: *illa dicuntur denominatiua, quæ cùm solùm differunt casu*, idest cadentia nominis, *ab aliquo alio*, nempe à forma denominante, *ab illo tamen habent nominis appellationem*, idest proprium nomen tanquam à radice sortiuntur: quia forma denominans est prima radix totius denominationis.

In qua definitione tres denominatiuorum conditiones insinuari aduertit benè Caiet. *in præsenti*. *Prima* est, quod nomen denominatiuum debet deriuari ex nomine formæ denominantis: non quidem secundùm regulas Grammaticorum, apud quos frequenter abstractum formatur ex concreto; sed logicè, & secundùm naturam. Quo pacto abstractum est origo concreti: quoniam prius est forma secundùm se, quam forma vt adiacens. § *Secunda est*, quod denominatiuum differat à forma denominante *casu*, idest cadentia nominis. Quod intelligendum est per se loquendo: nam per accidens potest vtrumque nomen in casu, seu cadentia coincidere, vt patet in *Musica* sumpta pro arte, & pro muliere. § Tertia est, quod denominatiuum, & forma denominans non differant in re significata. Per quod non excluditur differentia in modo significandi, quam inter abstractum, & concretum explicuimus suprà *disp.* 4. *num.* 13. Nam hæc diuersitas sequitur ad differentiam nominis secundùm casum: vndè non excluditur per particulam, solum, quia hæc nunquam excludit per se concomitantia.

6 Sed aduersus hanc assertionem obijcies primò: quoniam denominatiua sunt vniuoca, vt patet in quarto, & quinto prædicabili, quæ simul sunt denominatiua, & vniuoca, vt supra diximus *disp.* 4. *num.* 36. ergo malè de[...] iuntur diuersa definitione.


Respondetur, quod sicut species quatenùs subijcibilis non est vniuersalis; quamvis vniuersalitas, & subijcibilitas concurrant materialiter in eadem natura: ita denominatiua, quatenùs talia non sunt vniuoca, nequè è contra; licèt istæ intentiones in quarto, & quinto prædicabili materialiter coincidant. Ratio est: quia album v. g. dicitur denominatiuum per ordinem ad formam denominantem, nempè albedinem: est autem vniuocum per respectum ad subiecta, in quibus æqualiter inuenitur. Quos respectus esse essentialiter diuersos, & disparatos, satis conuincitur ex diuersitate terminorum. Cuius rei euidens signum est, quod ratio denominatiuorum æqualiter saluatur in terminis analogis, & æquiuocis, ac in vniuocis: & è contra ratio vniuocorum æquè benè inuenitur tàm in terminis denominatiuis, quàm non denominatiuis.

7 Obijcies secundò: nam *homo* sumit denominationem ab humanitate, & animal ab animalitate, à quibus solo casu differunt: & tamen non sunt denominatiua: ergo definitio conuenit alijs à definito.

Respondetur, per particulam illam *ab aliquo*, positam in definitione insinuari, quod forma denominans debet esse extra essentiam rei denominatæ: nam quod est de essentia non dicitur aliud ab ipsa, nequè ponit in numero cum ea: & propterea *homo*, & *animal* non sunt denominatiua ab humanitate, & animalitate, quia hæc sunt de conceptu hominis, & animalis. Obseruа tamen ex Caiet. non esse necessarium, quòd forma denominans sit accidens prædicamentale: sed sufficit, & requiritur, quòd sit accidens prædicabile proprium, vel commune; siue in esse entis sit accidens, siue substantia. Et ideò hæc prædicatio, *vas est terreum*, & ista, *cathedra est lignea*, non minùs sunt denominatiuæ quam ista, *homo est albus*.

Tertiò obijcies, quia *studiosus* est denominatiuum, vel à studio; vel à virtute: sed ab illo distinguitur ex parte rei significatæ; & ab ista in toto nomine: ergo malè dicitur in definitione denominatiuum, & formam denominantem solo casu differre.

Respondetur, tres modos denominatiuorum communiter assignari: alia *re*, & *non voce*, vt studiosus à virtute; alia *voce*, & *non re*, vt studiosus ab studio; alia *re*, & *voce*, vt albus ab albedine. Et hæc vltima sunt simpliciter denominatiua: quia esse denominatiua conuenit rebus, vt per voces significantur: & sic requiritur quod denominatiuum, & forma denominans conueniant in principio vocis, & non differant in re significata. Vnde *studiosus* non denominatur à virtute, defectu primi; neque à studio defectu secundi: & ideo ad obiectionem negatur antecedens.



§. IV.

§. IV.

Ostenditur, Aristotelem comprehendisse analoga sub æquiuocis.

ANaloga dicuntur illa, quæ ita inter se differunt, vt tamen inter se habeant aliquam similitudinem, & proportionem. Propter quod sunt quasi media inter æquiuoca, & vniuoca: quia ratio significata per nomen analogum, neque est omninò eadem, sicut in vniuocis: neque omninò diuersa, sicut in æquiuocis: sed partim eadem, & partim diuersa, vt infra in hac *disp.* latiùs declarabimus. Est ergo difficultas, an sub aliquo ex ijs membris definierit Aristoteles analoga: an verò ea prætermiserit.

8 Dicendum est vltimò, Aristotelem comprehendisse analoga sub definitione æquiuocorum. Ita expresse D. Thom. *opusc.* 48. *tract.* 2. *cap.* 1. & communiter Doctores. Quod manifestè ostenditur; tùm quia Arist. proposita definitione æquiuocorum statim vsus fuit exemplo *hominis* respectu viui, & picti: respectu quorum non est purè æquiuocum: sed analogum. Tùm etiam, quia ratio significata per nomen analogum non sic est partim eadem, & partim diuersa, quasi ex æquo importet vtrumque; sed est simpliciter diuersa, & eadem secundùm quid: ergo analogum multo magis approximatur æquiuocis, & simpliciter annumeratur illis: & sub ijs comprehensum est ab Aristotele.

Iuxtà quam doctrinam æquiuoca vt sic diuiduntur in purè æquiuoca, & analoga. Purè æquiuoca sunt, in quibus ratio significata per nomen, tàm simpliciter, quàm secundùm quid est diuersa, & ita est omninò diuersa. Analoga autem dicuntur, quæ important rationem simpliciter diuersam, & eandem secundùm quid. De quibus statim agendum est.

QVÆSTIO II.

Quid, & quotuplex sit analogia.

9 ANalogiæ perfecta intelligentia æquè difficilis, ac necessaria est: quia ex vna parte vix reperitur in scientijs nomen, quod aliqua analogia non sit analogum; ex alia verò quam pauci sunt, qui analogiæ profundam notitiam assequantur. Vndè opportet Aristotelem, & D. Thomam sæpè consulere; quorum mentem plenè assequutus est Caietanus aureo illo opusculo de nominum analogia, à quo veram analogiæ intelligentiam acceperunt alij Thomistæ. Quorum vestigijs inhærentes agemus in præsenti de analogia in communi: & in disputatione sequenti de analogia entis disputabimus.

§. I.

Resoluitur prima pars quæstionis.

NOmen ἀνάλογον quod idem est, ac *proportione respondens, vel ad proportionem similis*, deriuatur à græca præpositione ἀνά, quæ proportionalem quandam distributionem frequenter significat, vt videre est apud Scapulam, & Zeratinum in dictionarijs. Et indè *analogia* græcè idem est, quod latinè *proportio*, aut *proportionalitas*: quæ diuersitatem simul cum aliqua conuenientia important. Illa namquè dicuntur proportionata, aut proportionalia, quæ cùm sint diuersa simpliciter; habent tamen aliquam similitudinem, & conuenientiam.

Vndè quia ratio significata per nomen genericum, ita est eadem secundùm se in omnibus speciebus; quod tamen participatur ab ijs inæqualiter ratione inæqualium differentiarum illam contrahentium: idcircò omnia genera consueuerunt appellari analoga *physicè*, siuè secundùm esse tantùm, & non secundùm intentionem simpliciter: quia illa inæqualitas non se tenet ex parte conceptus obiectiui, & præcisi, quem significat nomen genericum; sed ex parte differentiarum, & secundùm esse physicum; seu existentiam. Vnde hæc analoga physica communiter definiuntur esse, *quorum nomen est commune; ratio verò substantiæ secundùm illud nomen est omnino eadem; inæqualiter tamen participata.*

His ergo analogis relictis, quæ apud Logicum non sunt analoga; sed vniuoca: pro intelligentia veræ analogiæ obseruandum est, quòd inter rationem omninò eandem, & rationem omninò diuersam triplex ratio media potest excogitari. *Primò* si æqualiter participat de vtroque extremo, ita vt simul sit simpliciter eadem, & diuersa simpliciter. *Secundò* ita, vt sit simpliciter eadem, & secundùm quid diuersa. *Tertiò*, ita vt sit simpliciter diuersa, & secundùm quid eadem. Cùm ergo analoga sint media inter vniuoca, quæ important omnimodam identitatem; & inter æquiuoca, quæ dicunt diuersitatem totalem: videndum est quonam ex modis recensitis medient inter illa.

10 Dicendum est primò, analoga mediare tertio modo inter vniuoca, & purè æquiuoca, ac proindè importare diuersitatem simpliciter, & identitatem secundùm quid. Probatur primò, excludendo alios duos modos. quia idem simpliciter, & diuersum simpliciter opponuntur contradictoriè: ergo repugnat, quod ratio significata per nomen analogum sit simul eadem simpliciter, & diuersa simpliciter in analogatis: ergo analoga non mediant primo modo. ¶ Neque etiam secundo modo possunt mediare: tùm quia si ratio significata per nomen analogum esset eadem simpliciter, iam analoga essent simpliciter vniuoca: hoc autem est apertè contra Arist. qui sub æquiuocis comprehendit analoga, vt supra vidimus *num.* 8. eo quod magis in diuersitatem propendant, & declinent: ergo. Tum etiam, quia hoc ipso, quod ratio significata per nomen analogum esset simpliciter abstracta, & vna, & eadem; excluderet prorsus quæcumque principia distinguentia: sed hoc est contra naturam analogorum, in quibus ratio significata debet esse partim eadem, & partim diuersa: ergo analoga nequeunt mediare secundo modo.

Deindè probatur à priori: quia non repugnat; quòd aliqua sint simpliciter diuersa; & nihilominùs habeant aliquam identitatem secundùm quid; quatenùs inter se assimilantur ratione alicuius attributionis, vel proportionalitatis, vt posteà dicemus: ergo non repugnat, quod imponatur nomen ad significanda ea, quæ differunt simpliciter, & conueniunt secundùm quid; vel (quod idem est) ad significandum rationem, quæ est simpliciter diuersa, & eadem secundùm quid: sed tale nomen non est vniuocum, quia hoc significat rationem omninò eandem; neque æquiuocum; siquidem illud importat rationes omninò diuersas: ergo est analogum, de cuius proindè conceptu erit significare plura simpliciter, vt conuenientia secundùm quid.

Ex quibus facilè possumus efformare definitionem analogiæ Logicæ, seu propriè dictæ. Analoga enim Logica illa propriè dicuntur, *quorum nomen est commu-*

ne;

ne; *ratio verò substantia secundùm illud nomen, simpliciter est diuersa, & secundùm quid eadem.* Cuius definitionis bonitas satis liquet ex dictis, neque indiget maiori probatione, aut expositione.

§. II.

Decisio quæstionis quoad secundam partem.

11 Dicendum est secundò, analogiam adæquatè diuidi in analogiam attributionis, seu proportionis, & in analogiam proportionalitatis. Hæc conclusio est communis inter Doctores, sumiturque ex Arist. 1. *Ethic. cap.* 6. & eam expresse tradit D. Thom. *quæst.* 2. *de verit. art.* 2. Et ideò non indiget probatione; sed solùm expositione.

Analoga attributionis sunt ea, *quorum nomen est commune: ratio verò substantiæ secundùm illud nomen, est eadem secundùm terminum, & diuersa secundùm habitudines ad illum*, sic ad mentem Angelici Doctoris 11. *Metaph lect.* 3. definit Caiet. *de nominum analogia cap.* 2. & 3. Vt *sanum* commune nomen est medicinæ, vrinæ, & animali: ratio verò eorum in quantùm sana sunt, est eadem secundum terminum; & diuersa secundùm diuersos modos relationis ad illum. Animal enim, medicina, & vrina respiciunt eundem terminum, nempè sanitatem animalis; diuerso tamen modo habitudinis: animal quidem per modum subiecti, medicina per modum causæ, & vrina per modum indicij.

Appellatur hæc analogia *attributionis*: quia in ea minùs principalia analogata attribuuntur principaliori, & ab eo accipiunt denominationem. Dicitur etiam *proportionis*: vt distinguatur ab analogia proportionalitatis, quę petit quatuor terminos; proportio verò solùm expostulat duos, vt postea dicemus. Vocatur similiter analogia *ab vno*, vel *ad vnum*: eò quod minus principalia analogata aliquandò procedunt tanquam ab efficienti ab vno, nempè à principali analogato; quandoquè verò ordinantur ad illud sicut ad finem. Tandem D. Thom. *in* 1. *dist.* 19. *quæst.* 5. *art.* 2. *ad* 1. eam appellat *analogiam secundùm intentionem tantùm, & non secundùm esse*: quoniam licèt ratio significata respiciatur à pluribus; intrinsecè tamen, & secundùm esse solùm reperitur in vno. *Intentio enim sanitatis* (ait Angelic. Doct.) *refertur ad animal, vrinam, & dietam diuersimodè secundùm prius, & posterius, non tamen secundùm diuersum esse: quia esse sanitatis non est nisi in animali.*

Vbi obserua, hanc analogiam attributionis fieri posse in quolibet genere causę: possunt enim plura referri, vel ad vnum finem, vt patet *in sano* respectu animalis, & Medicinę; hæc enim ordinatur ad animal sicut ad finem. Vel ad vnum efficiens, vt in *medicatiuo*, respectu Medicinę, sermonis medicinalis, & instrumentorum: hęc enim, vt ab efficiente à Medicina procedunt. Vel ad vnum subiectum, vt in *ente* respectu substantię, & accidentium, quę ad substantiam sicut ad commune subiectum ordinantur: vel ad vnum exemplar, vt in *bono* respectu Dei, & creaturarum, istę enim ad Deum, sicut ad exemplar referuntur.

12 Diuiditur autem analogia attributionis à D. Th. *quæst.* 7. in analogiam *vnius ad vnum*, & in analogiam *multorum ad aliquod tertium*. Nam potest aliquid prædicari de pluribus, vel per respectum vnius ad alterum; sicut *ens* dicitur de substantia, & accidenti, & *sanum*, de animali, & Medicina. Vel potest dici de pluribus per ordinem eorum ad aliquod tertium: quo pacto *sanum* comparatur vrinæ, & Medicinæ: quæ solùm dicuntur sana, quatenùs ordinantur ad aliquod tertium, nempè ad sanitatem animalis. Et similiter quando *ens* dicitur de quantitate, & qualitate: hæc enim denominantur entia per respectum ad substantiam. Qui modus comparationis sufficit ad veram analogiam: nàm licèt analogum relatum ad secundaria analogata, æqualiter denominet ea; non ideo est vniuocum respectu eorum: quia talia analogata denominantur per respectum ad aliud tertium, nimirum ad primum analogatum, quod in rei veritate continetur sub diuiso talis diuisionis.

13 Analoga proportionalitatis, vt definit Caiet. *opusc. cit. cap.* 3. sunt illa, *quorum nomen est commune; ratio verò substantiæ secundùm illud nomen, est similis secundùm proportionem*. Vt *videre* est hac analogia commune visioni corporali, & intellectuali: quia licèt ratio significata sit in vtraque visione satis diuersa; est tamen similis secundum proportionem: quia sicut se habet visio ad potentiam visiuam, ita intellectio ad intellectum. Similiter hoc nomen *principium* est commune cordi, & fundamento: quamuis enim significet res simpliciter diuersas, & quarum vna non deriuatur ab alia: tamen proportio cordis ad vitam est similis proportioni fundamenti ad ædificium: quia sic se habet cor ad principiandam vitam, sicut fundamentum ad initiandam domum.

Appellatur hæc analogia *proportionalitatis*, quia versatur inter quatuor terminos: & analogia *secundùm intentionem, & esse*; quia ratio significata refertur ad omnia analogata, in quo conuenit cum analogia attributionis: & reperitur intrinsecè in omnibus, quando est proportionalitas propria; per quod distinguitur ab analogia attributionis, vt constat ex dictis *num.* 11. Ex quo fit, analogiam proportionalitatis esse multo nobiliorem, quam analogiam attributionis: quia in ea propriè intercedit proportionalis comparatio, quam nomen analogiæ significat. Vndè apud Aristotelem, & Græcos sola analogiæ nomen sibi vsurpauit. De quo videantur Ferrar. 1. *contra gentes cap.* 34. & Caiet. *loco cit.*

Subdiuiditur analogia proportionalitatis in analogiam proportionalitatis propriæ, & proportionalitatis metaphoricæ. Quæ in hoc præcipuè distinguuntur, quod in prima ratio significata per nomen analogum intrinsecè reperitur in omnibus analogatis: vt *videre* se habet ad visionem intellectualem, & corporalem. In secunda autem ratio significata intrinsecè est in vno, & extrinsecè in alio: quo pacto *risus* dicitur de risu hominis, & viriditate prati: quia sicut se habet risus ad hominem: ita viriditas ad pratum; in quo tamen ratio significata per nomen *risus* solùm extrinsecè, & per metaphoram reperitur.

QVÆSTIO III.

Quæ sint conditiones analogiæ attributionis?

Vt maior distinctio huic materiæ satis implexæ claritatem conciliet; proponemus in hac quæstione proprias conditiones analogiæ attributionis; postea in sequenti recensebimus illas, quas proportionalitatis analoga sibi vendicant. Quod, vt faciliùs assequamur, aliqua prælibanda sunt, quæ vtriusque difficultatis exactę decisioni aditum prębeant.

§. I.

§. I.

Obseruationes aliquæ ad notitiam vtriusque analogiæ.

14 Obseruandum est primò, quod sicut *magnum*, *& paruum*, *æquale*, *& inæquale*, pertinent propriè ad quantitatem, & indè ad alia prædicamenta per similitudinem transferuntur; ita *proportio*, & *proportionalitas* propriè reperiuntur inter quantitates, cùm sint passiones numeri, & magnitudinis, à quibus tamen transferuntur, & per quandam accomodationem applicantur aliis rebus. Quia ergo non potest perfectè cognosci id, quod dicitur tale per translationem, ignorato eo, cui ea denominatio conuenit cum proprietate: ideò

Obseruandum est secundò, proportionem ita definiri ab Euclide *lib. 5. Elementorum*: *Proportio est certa duarum quantitatum eiusdem generis proximi vnius ad alteram habitudo*. Vel vt definit D. Thom. 5. *Eth. lect. 5. Proportio est habitudo vnius quantitatis ad aliam*. Nam inter quascumque quantitates est aliqua relatio, seu habitudo; quam *proportionem* appellamus. Et hæc relatio aliquando versatur inter quantitates eiusdem extensionis, vt inter duo, & duo, vel palmum, & palmum: quę frequentiùs dicitur *æqualitas*, quam proportio, quia nomen *proportionis* importat aliquam inęqualitatem. Aliquandò autem versatur inter quantitates diuersæ extensionis, vt inter duo, & quatuor, vel inter magnitudines vnius, & duorum palmorum: quæ retento communi nomine frequentiùs, & propriè appellatur *proportio*; diuiditurquè in plures species, de quibus videatur D. Thom. 5. *Metaph. lect. 17.*

Tertiò obseruandum est, proportionalitatem propriè dictam definiri ab eodem Euclide loco cit. *Proportionalitas est similitudo, seu comparatio multarum proportionum*. Vel vt clariùs definit D. Thom. vbi supra: *Proportionalitas est æqualitas proportionum: cùm scilicet æqualem proportionem habet hoc ad hoc, & illud ad illud*. Vt si dicas, ita se habent quatuor ad duo, sicut sex ad tria: quia licèt numeri ipsi sint inæquales, & similiter excessus, quibus extrema videlicet *6. & 4.* superant 3. & 2. proportio tamen inter 4. & 2. æqualis omnino est proportioni, quæ versatur inter 6. & 3. cùm vtrobique sit dupla. Sicut enim sex, bis continent tria: sic quatuor, bis continent duo.

Quamuis autem ad propriam, & rigorosam proportionalitatem non sufficiat qualibet habitudo inter proportiones; sed necessaria sit vera æqualitas; ita vt vtraque proportio sit eiusdem speciei, vt constat in exemplo proximè adducto: nihilominùs quia inter proportiones diuersæ speciei datur habitudo, & dependentia in ratione mensuræ, & mensurabilis: quatenùs vna proportio mensuratur per aliam perfectiorem intra idem genus: indè est quòd inter proportiones diuersæ speciei detur aliqualis proportionalitas, licèt impropria, & imperfecta. Vt si dicas, sicut se habent 4. ad 2. ita 6. ad 4. fiet proportionalitas, quamuis imperfectè: quia tunc secunda proportio dependet à prima, & quasi regulatur per eam, ac proindè intercedit ibi aliqualis habitudo proportionum.

15 Ex quibus possumus colligere quatuor relationes, seu habitudines. Prima datur inter quantitates eiusdem speciei, & appellatur *æqualitas*: secunda inter quantitates diuersæ speciei, & appellatur *proportio*: tertia inter proportiones æquales, seu eiusdem speciei, & appellatur *proportionalitas propria*: quarta deniquè inter proportiones inæquales, aut diuersæ rationis, & appellatur *proportionalitas impropria, & secundùm quid*. Quibus relationibus correspondent quatuor intentiones rationis, quas intellectus format ad instar illarum. Primæ correspondet vniuocatio: secundæ analogia attributionis, siue proportionis: tertiæ analogia proportionalitatis propriæ: & quartæ analogia proportionalitatis metaphoricæ.

Vbi nota, quod quia vnitas, & punctum sunt primæ mensuræ numerorum, & magnitudinum: quantò numerus, vel proportio propinquior est vnitati, aut puncto, tantò plus participat rationem mensuræ. Et ideò in quacumque proportione minor numerus habet rationem mensuræ, & maior dependet à minori, tanquam à regula, per quam cognoscitur. Idem contingit quotiès fit proportionalitas inter proportiones diuersæ speciei: tunc enim minor proportio se habet, vt mensura maioris, & hæc dependet ab illa. Ex quo fit, in *omnimoda æqualitate* vnam quantitatem non dependere ab alia; siquidem vna non mensuratur per aliam, cùm sint eiusdem rationis. Similiter in *proportionalitate propria*, vna proportio non dependet ab alia, quia habent eandem speciem. Cæterùm in proportione vna quantitas dicit habitudinem dependentiæ ad aliam, quia mensuratur per eam. Et idem contingit in proportionalitate impropria, vbi vna proportio est mensura alterius.

16 Quartò, & maximè obseruandum est, quòd licèt proportio, & proportionalitas reperiantur inter numeros, qui aliàs vniuocè conueniunt: non ideò important conuenientiam vniuocam. Vniuocatio enim numerorum attenditur penès gradum communem, & abstractum; non verò penès differentias, à quibus potiùs præscindit. At proportio, vel proportionalitas non attenditur penès gradum communem numeri; sed fundatur immediatè super vniuscuiusque numeri differentiam. Sit exemplum in his numeris 8. 4. 2. quorum conuenientia vniuoca attenditur ex eo, quod intellectus considerat conceptum numeri vt sic, abstrahendo à proprijs eorum differentijs. Proportiones autem duplæ eorum, & consequenter ipsarum proportionalitas immediatè fundatur in hoc, quod *octonarius* vt talis, bis includit *quaternarium*, vt quaternarius est: & hic similiter bis continet *binarium* secundùm quod binarius est. Vndè liquet, vniuocationem importare identitatem simpliciter, quia attenditur penès gradum abstractum, & simpliciter vnum: proportionem verò, & proportionalitatem importare diuersitatem simpliciter, quia considerantur penès gradus differentiales, qui sunt primò diuersi, & simpliciter plures.

Hinc sequitur, posse formari veram analogiam proportionis, vel proportionalitatis inter ea, quæ conueniunt genericè: quia quæ conueniunt in genere necessariò debent habere aliquid primò diuersum, per quod distinguantur, nempè differentias. Constat autem quod inter primò diuersa potest fieri aliqua proportio, vel proportionalitas: ergo vbi datur conuenientia generica, potest etiam reperiri analogia, licèt ex diuersa radice. Non tamen contingit è contra: quia stat benè, aliqua esse primò diuersa, nullamquè proindè habere conuenientiam genericam; & nihilominùs fundare veram analogiam, vt de prædicamentis infra constabit. Quæ est expressa doctrina Arist. 5. *Metaph. text. 12.* quam illustrat D. Thom. ibidem *lect. 8.*

§. II.

Defenditur sententia Angelici Doctoris.

17 Dicendum est, primam, & præcipuam analogiæ attributionis conditionem esse, quòd ratio significata per nomen analogum, vt tali analogia est analogum, intrinsecè reperiatur in primo analogato; in alijs verò per extrinsecam denominationem. Vndè ratio *entis* v. g. quatenùs est analogum attributionis respe. ctu substantiæ, & accidentis, solùm reperitur intrinsecè in substantia; in accidentibus verò extrinsecè: nam quantitas ratione istius analogiæ non dicitur ens, quasi ipsa in se sit ens; sed quia est extrinseco entis, nempè substantiæ. Idem contingit in *sano*, quod significat sanitatem, quæ solùm in animali reperitur formaliter: ipsum enim est intrinsecè sanum, cùm habeat in se sanitatem: medicina autem, & vrina solùm extrinsecè denominantur à sanitate, quia sunt causa, vel signum sanitatis animalis. Assertionem sic explicatam tradunt expresè Aristot. & D. Thom. *locis* statim expendendis, quos sequuntur concorditer Thomistæ, à quibus proindè referendis abstinemus.

Probatur conclusio auctoritate Arist. 11. *Met.* vbi comparat analogiam *entis* respectu substantiæ, & accidentis cum analogia *sani*. Quod explicat D. Thom. *ibi lect.* 13. his verbis: *In his verò, quæ prædicto modo dicuntur; idem nomen de diuersis prædicatur secundùm rationem, partim eandem, & partim diuersam; diuersam quidem quantum ad diuersos modos relationis; eandem verò quantum ad id, ad quod fit relatio: esse enim significatiuum, & esse effectiuum diuersum est; sed sanitas vna est. Et similiter est de multiplicitate entis. Nam ens simpliciter dicitur id, quod in se habet esse, scilicet substantia; alia vero dicuntur entia, quia sunt huius, quod per se est, vel passio, vel habitus, vel aliquid huiusmodi. Non enim qualitas dicitur ens, quia ipsa habeat esse; sed quia per eam substantia dicitur disposita: & similiter est de alijs accidentibus: Et propter hoc dicitur quod sunt entis.*

Confirmatur ex eodem Arist. 4. *Met. text.* 1. vbi docet, ens esse analogum attributionis eo modo, quo sanum, his verbis: *Ens autem multipliciter dicitur; verum ad vnum, vnamque naturam: & non æquiuocè, sed quemadmodùm omne salubre ad sanitatem*, & D. Thom. ibid. *lect.* 1. inquit per illa verba: *ad vnum, vnamque naturam*, significari, quod ratio significata per nomen analogum attributionis est vna numero in omnibus analogatis. Constat autem, eandem numero formam creatam non posse existere intrinsecè in pluribus realiter distinctis: ergo secundùm Arist. & D. Thom. ratio significata per analogum attributionis solùm est intrinsecè in vno ex analogatis; alijs verò conuenit per extrinsecam denominationem. Idem tradit Angelicus Doctor. 1. *Ethic. lect.* 18. vt videbimus *quæst. sequenti*.

18 Probatur primò ratione: quia analoga attributionis sunt, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ secundùm illud nomen est eadem secundùm terminum; diuersa verò secundùm habitudines ad illum: ergo huiusmodi analogata solùm conueniunt in termino, nempè in principali analogato, cui reliqua attribuuntur, & ad quod dicunt habitudinem: sed principale analogatum non potest esse intrinsecè in alijs, vt patet: ergo ratio significata per nomen analogum *attributionis* solùm est intrinsecè in principali analogato; alijs autem attribuitur per extrinsecam denominationem, vt terminus, quem respiciunt.

Confirmatur primò ex ipsa nominis etymologia: nam ideò ista analogia appellatur attributionis, quia in ea secunda analogata participant denominationem per habitudinem, seu attributionem ad principale analogatum: sed dici aliquid tale per habitudinem ad aliquid extrinsecum, est denominari ab eo per denominationem extrinsecam: siquidem à termino extrinseco nequit prouenire intrinseca denominatio: ergo.

Confirmatur secundò: quia tunc est analogia attributionis, seu proportionis inter aliqua: quandò assimilantur numeris inæqualibus, quorum vnus dependet ab alio, & mensuratur per illum: vt constat ex his, quæ prænotauimus *à num.* 15. ergo nomen analogum attributionis debet significare primariò, & distinctè principale analogatum, quod est terminus, & mensura aliorum; reliqua verò secundariò, & cum habitudine dependentiæ ad primum: ergo ratio immediatè, & per se significata in hac analogia solùm reperitur intrinsecè in principali analogato; in alijs autem extrinsecè, & per respectum ad illud.

19 Secundò probatur assertio ratione, qua euertitur fundamentum contrariæ sententiæ: nam ideò *ens* v. g. secundùm quod est analogum attributionis ad Deum, & creaturas, non posset conuenire creaturis per solam extrinsecam denominationem; quia istæ verè, & realiter sunt entia intrinsecè: sed hoc non tollit, creaturas dici extrinsecè entia, quatenùs attribuuntur Deo, vt aliquid eius: ergo proprium est analogiæ attributionis, quòd in ea secundaria analogata dicantur talia extrinsecè per attributionem ad primum. Minor est expressa D. Thom. 1. *part. quæst.* 6. *art.* 4. vbi asserit, creaturas non solùm dici entia, & bona intrinsecè, & formaliter à proprijs entitatibus, & bonitatibus; sed etiam extrinsecè, & causaliter à bonitate Dei, sicut à primo principio exemplari, effectiuo, & finali totius bonitatis. Et insuper suadetur: quia ideò vrina dicitur extrinsecè sana à sanitate animalis, quia dicit ordinem ad eam, vt signum, & effectus illius: sed etiam creaturæ sunt signum, & effectus Dei: ergo poterunt per habitudinem ad ipsum denominari extrinsecè entia ab entitate Dei, quam respiciunt; licèt aliàs sint intrinsecè *entia* à proprijs entitatibus.

§. III.

Diluuntur aduersæ opinionis argumenta.

20 Franciscus Suarez *disputat.* 28. *Metaphys. sect.* 3. *numer.* 14. cui subscribunt alij Moderni, distinguit duplicem modum analogiæ attributionis: alterum in quo ratio analogi reperitur intrinsecè in vno analogato, in alijs autem solùm extrinsecè: alterum, in quo ratio analogi intrinsecè conuenit omnibus analogatis. Quam positionem quoad secundam partem, in qua nobis opponitur, suadere conatur ex Aristotel. 4. *Metaphysic. capite prim. & libr.* 5. *capite sexto*, vbi constituit analogiam attributionis accidentium ad substantiam: quam satis constat (inquit Suarez) talem esse, quod ratio entis intrinsecè, & propriè conueniat omnibus. Adducit etiam in fauorem suæ sententiæ D. Thom. & Caiet. 1. *p. qu.* 13. *art.* 6.

21 Sed mirum planè est, quomodò Suarez pro ista sua opinione referat Aristot. & D. Thomam; cùm nullibi nequè leuiter insinuent rationem significatam per nomen analogum attributionis reperiri intrinsecè in omnibus analogatis. Quinimo positioni Suarez perpetuò refragantur, illamquè *in locis à nobis relatis num.* 17. apertissimis verbis euertunt. Vndè superuacaneum esset il-

lorum

lorum auctoritatibus occursum ire; cùm nihil contineant nobis aduersum: sed quid in hac parte Arist. & Angelicus Præceptor teneant, testimonia ipsa loquantur.

21 Probatur ista sententia ratione primò: quia in ratione entis, creaturæ analogantur analogia attributionis cum Deo, vt sunt effectus illius: sed vt Dei effectus, sunt intrinsecè entia: ergo ratio entis quatenùs est analogum attributionis, reperitur intrinsecè in creaturis, quæ sunt analogata secundaria. Probatur minor: nam creaturas esse effectus Dei, est esse entia per participationem: sed esse entia per participationem conuenit intrinsecè creaturis: ergo vt sunt effectus Dei, sunt entia intrinsecè.

Respondetur, quòd quandò dicimus creaturas analogari cum Deo in ratione entis, vt *sunt effectus illius*, per ly, vt *sunt effectus illius* non significamus ipsam formalem denominationem, qua creaturæ ex vi huius analogiæ dicuntur entia; sed solùm designamus proprium, & reale fundamentum, suprà quod talis denominatio cadit. Sicut etiam medicina dicitur sana, quia est causa sanitatis, ly *quia* dicente fundamentum denominationis: non verò denominationem ipsam. Vndè sicut esse causatiuum sanitatis animalis est quid intrinsecum medicinæ; materialiter tamen, & fundamentaliter se habens ad denominationem sanæ, quæ est illi extrinseca: ita similiter creaturas esse effectus Dei, & entia per participationem intrinsecè conuenit illis; materialiter tamen se habet ad denominationem entis, prout est analogum attributionis. Quia sicut sanum, prout est analogum attributionis, solùm significat sanitatem formalem, quæ intrinsecè est in animali, & respicitur à medicina sicut effectus à causa: ita ens, secundùm quod ista analogia analogatur ad Deum, & creaturas, tantùm significat entitatem increatam, quæ intrinsecè est in solo Deo, & respicitur à creaturis, sicut causa ab effectibus.

Sed insurges: quia creaturæ non possunt dici entia ab entitate Dei: ergo etiam prout analogantur analogia attributionis cum Deo appellantur entia à proprijs entitatibus; & consequenter intrinsecè. Suadetur antecedens: quia entitas Dei est entitas per essentiam: ergo solùm potest denominare ens per essentiam: at creaturæ nequeunt subire istam denominationem, vt patet: ergo &c.

Respondetur negando antecedens, ad eius probationem dicendum est, entitatem Dei denominare ipsum Deum ens per essentiam in recto, quia in eo intrinsecè reperitur: alijs verò, à quibus respicitur, vt terminus extrinsecus, dare denominationem entis per essentiam non in recto, sed in obliquo. Et ideò creatura non dicitur ens per essentiam; sed quid entis per essentiam: sicut medicina non appellatur sana formaliter; sed aliquid sani formaliter, nempè animalis: & accidentia ex vi huius analogiæ non denominantur entia; sed aliquid entis, videlicet substantiæ dispositiones, vel mensura, vt ex Arist. & D. Thom. supra vidimus.

22 Secundò arguitur: nam si ratio significata per analogum attributionis solùm inueniretur intrinsecè in principali analogato, sequeretur analogum, & principale analogatum inter se non distingui; consequens est absurdum: ergo &c. Minor constat: quia hæc propositio *accidens est ens*, est vera; hæc autem falsa, *accidens est substantia*: sed ens est analogum, & substantia principale analogatum entis: ergo analogum, & principale analogatum distinguuntur.

Respondetur, analogum attributionis non importare omnia sua analogata, vt partes principales sui significati, sed principale analogatum significat propriè, & distinctè, alia verò de connotato, & confusè; quatenus ad primum ordinantur, vt constat ex dictis. Vndè absolutè admittenda est sequela obiectionis: quia nomini sic analogo correspondet conceptus, qui à conceptu principalis analogati non distinguitur, nisi penès modum concipiendi, & significandi. Nomine enim *substantiæ* significatur ratio substantiæ in se ipsa considerata; nomine autem *entis*, prout est analogum attributionis, significatur eadem ratio, quatenùs terminat habitudinem accidentium. Et ideò in hac analogia, analogum absolutè prolatum stat pro famosiori, nempè pro analogato principali. Ad probationem autem in contrarium adductam respondemus, propositionem illam *accidens est ens*, verificari ex vi analogiæ proportionalitatis, secundùm quam ratio entis intrinsecè in accidentibus reperitur, vt dicemus *quæst. seq.* Si autem sumatur ens, prout est analogum attributionis, nequit in recto de accidentibus prædicari: & ita ex vi huius analogiæ accidens non est ens; sed quid entis, nempè substantiæ. Alias conditiones huius analogiæ, quæ ex huiusquè dictis colliguntur, commodiùs *infrà à num.* 28. per modum corollarij proponemus.

QVÆSTIO IV.

De præcipua conditione analogiæ proportionalitatis.

ANalogia proportionalitatis duplex est: alia proportionalitatis propriæ, & alia proportionalitatis metaphoricæ, vt constat ex dictis *suprà*. Præsens autem difficultas circa analogiam proportionalitatis propriæ principaliter procedit; quamvis ea etiam, quæ pertinent ad proportionalitatem metaphoricam, intacta non relinquemus. Ad vtriusque verò exactam resolutionem recolenda sunt, quæ prælibauimus *q. præced.* §. 1. quibus suppositis facilè erit quæstionem hanc expedire.

§. Vnicus.

Communis, & vera sententia explicatur.

23 DIcendum est primò, rationem significatam per nomen proportionalitatis propriæ reperiri intrinsecè in omnibus analogatis. Hæc assertio (quæ præcipuam istius analogiæ conditionem explicat) est expressa Angel. Doctoris, vt statim videbimus, cui subscribunt non solùm Thomistæ, sed ferè omnes alij Doctores. Explicatur assertio: non enim intendimus, quod nomen analogum proportionalitatis propriæ significet immediatè rationem simpliciter vnam, seu gradum præcisum, qui intrinsecè reperiatur in vtroque analogato: hoc namquè proprium vniuocorum est, & aduersatur veræ analogiæ, vt magis constabit *disput. sequenti*. Intendimus ergo, quod in hac analogia significentur immediatè ipsa analogata secundùm suas proprias rationes, non absolutè sumptas; sed vt proportionabiliter se habentes inter se: quatenus vnumquodque fundat habitudinem ad suum esse similem habitudini, quam fundat alterum. Vndè cùm esse cuiuslibet analogati sit illi intrinsecum; sequitur quod analogum vtrumque significans importet rationem intrinsecam analogatis, in quo sensu.

Probatur primò conclusio ex D. Thom. 1. *Ethic. lect.* 17. vbi

17. vbi Aristoteles inquirit, quomodò bonum dicatur de omnibus bonis? Et respondet, quod non omninò æquiuocè; sed *quia, vel sunt ab vno, vel ad vnum omnia conferunt: vel comparatione potiùs rationum. Etenim vt est in corpore visus, ita est in anima mens*. In quibus verbis duo priores modi, nempè *ab vno*, vel *ad vnum* sunt proprij analogiæ attributionis: quæ potest esse, vel in genere causæ efficientis, & significatur per ly *ab vno*; vel in genere causæ finalis, & significatur per ly *ad vnum*. Tertius autem modus spectat ad analogiam proportionalitatis propriæ, vt constat exemplo ab Arist. adducto, & communi interpretatione Doctorum. Hunc ergo locum exponens Diuus Thom. inquit: *Ideò hunc tertium modum præfert, quia accipitur secundùm bonitatem inhærentem rebus, primi autem duo modi secundùm bonitatem separatam, à qua non ita propriè aliquid denominatur*. Quibus verbis, tàm præsentem assertionem, quàm conclusionem *quæst. præcedenti* stabilitam manifestissimè illustrat, & obsignat Doctor Angelicus.

24 Secundò probatur ratione: quia non repugnat, quòd dentur à parte rei duæ rationes intrinsecæ, quæ sint simpliciter diuersæ, & abinuicem independentes, & tamen proportionabiliter, & secundùm quid conueniant, vt patet ex exemplis adductis *num. 13. & 15.* ergo neque repugnat, quod istæ rationes sic sumptæ concipiantur ab intellectu, & vnico nomine significentur: sed tale nomen non est vniuocum, cùm significet immediatè rationes simpliciter diuersas; neque æquiuocum, cùm significet rationes aliquo modo conuenientes; neque analogum attributionis, vel proportionalitatis metaphoricæ, cùm importet rationes, quarum vna non dependet ab alia: ergo, à sufficienti partium enumeratione, est analogum proportionalitatis propriæ; de cuius proindè conceptu erit significare immediatè rationes proprias, & intrinsecas vtrique analogato.

Confirmatur, & explicatur: quia tunc est inter aliquas res analogia proportionalitatis propriæ, quandò earum habitudines assimilantur proportionalitati, quæ est inter proportiones æquales numerorum, vt constat *ex supradictis numero decimo quinto*, sed ad veram proportionalitatem numerorum requiritur, quòd ex parte vtriusque extremi, inter quæ fit comparatio, detur intrinseca proportio; siquidem proportionalitas est æqualitas proportionum; quarum neutra mensuratur per alteram, neque dependet ab ea; licèt numeri, & excessus sint inæquales: ergo pariter analogum proportionalitatis propriæ, ita debet significare immediatè analogata secundum proprias rationes, vt neutrum significet secundariò, & per ordinem ad aliud; sed vtrumque æqualiter, & quoad rationes intrinsecas, secundùm quas mutuò assimilantur inter se. Vndè *principium* quatenùs est analogum proportionalitatis propriæ respectu cordis, & fundamenti, ita significat immediatè vtrumque, vt neutrum primariò, aut secundariò importet; sed ambo intrinsecè, & æqualiter, vt fundant similes proportiones. Quamobrem non refert si dicas: sicut se habet cor ad hominem, ita fundamentum ad domum, vel è contra.

25 Sed obijcies: quia si ad propriam proportionalitatem non sufficeret quæcumque habitudo proportionum; sed requireretur æqualitas, ita vt proportiones debeant esse eiusdem speciei: jam ista analoga essent vniuoca, quod est absurdum: ergo &c. Sequela ostenditur: nam a duabus proportionibus eiusdem speciei abstrahibilis est ratio proportionis, quæ sit illis vniuoca: ergo si analogum proportionalitatis propriæ importat istam æqualitatem proportionum, verè significabit conceptum vniuocum inferioribus.

Respondetur negando sequelam: ad cuius probationem dicendum est, quod aliud est loqui de fundamento, & aliud de ipsa relatione. Stat enim relationes conuenire vniuocè in conceptu relationis; licèt earum fundamenta sint primò diuersa. Omnes namquè relationes, quæ consequuntur ad diuersa prædicamenta, collocantur in eodem prædicamento, seu genere relationis. Ideircò licèt nomen significans relationes sit vniuocum; non ideò nomen importans fundamenta vniuocum erit. Quod contingit in præsenti: nam *principium* v. g. non significat gradum relationis, in quo conueniunt proportiones cordis, & fundamenti (hunc enim significat hoc nomen, *proportio*, quod est vniuocum) neque similiter significat ipsam æqualitatem proportionum (hanc enim significat nomen istud, *proportionalitatis*, quod etiam est vniuocum) sed significat res fundantes tales proportiones, & proportionalitatem. Quæ, quia sunt cor, & fundamentum, non penès gradum aliquem sibi communem; sed penès propriam vniuscuiusque differentiam: propterea ab illis, quatenùs analogata sunt, nequit abstrahi aliqua ratio vniuoca; benè tamen ab ipsis relationibus.

Ex quibus fit, quod nomini analogo proportionalitatis propriæ, tot debeant correspondere conceptus objectiui, quòt sunt analogata; cum quadam tamen proportionalitate, quæ non importatur ab analogatis, & propter quam distinguitur ab illis. Vndè *ens*, quatenus est analogum proportionalitatis propriæ, significat substantiam, & accidens secundùm suas proprias, & intrinsecas rationes, non absolutè sumptas; sed vt proportionabiliter se habentes. Quare distinguitur ab analogatis sicut res, vt similis alteri distinguitur à se ipsa absolutè accepta: quod est distingui solùm secundùm quid.

26 Dicendum est secundò, rationem significatam per nomen analogum proportionalitatis metaphoricæ solùm reperiri intrinsecè in vno analogato, in alijs verò solùm extrinsecè, & per ordinem ad aliud. Quomodò *risus* est analogum ad risum hominis, & viriditatem prati. Assertio hæc, suppositis ijs, quæ suprà diximus circa analoga attributionis, est satis euidens; & ideo in ea suadenda non immorabimur. Probatur ergo: quia analogia proportionalitatis metaphoricæ assimilatur proportionalitati secundum quid, & impropriæ, quæ datur inter proportiones inæquales numerorum, quarum vna dependet ab alia, & mensuratur per eam: ergo nomen sic analogum significat vnum analogatum primariò, & distinctè; alium verò secundariò, & confusè, prout à primario denominatur. Qua ratione *risus*, ita significat immediatè risum hominis, & viriditatem prati, vt illum primariò, & distinctè significet, istam autem solùm secundariò, & prout ab illo sortitur denominationem. Videantur supradicta.

27 Aduersus primam conclusionem sentit Suarez *disp. 25. Metaph. sect. 3 num. 11.* asserens, quòd in omni vera analogia proportionalitatis includitur aliquid improprietatis, & metaphoræ. Quæ singularis opinio suadetur hoc vnico fundamento: quia vera æqualitas proportionum inter res vniuocas, & omninò similes inueniri potest. Verè enim dicimus, quod sicut se habent quatuor ad duo, ita octo ad quatuor: vel quod sicut homo comparatur ad suos sensus, ita equus ad suos: & tamen nomen *duplis*, & *animalis* non est analogum, sed vniuocum: ergo sola illa proportionalitas causat veram analogiam, quæ includit aliquid metaphoræ, & improprietatis. Aliàs hæc analogia cum vniuocatione coincidet.

Ad hoc argumentum satis constat ex supradictis *num. 16.* Nam vt ibi obseruauimus, licèt proportionalitas inueniatur inter res, quæ alias vniuocè conueniunt; non

ideò

ideò est conuenientia vniuoca, sed quid ab ea longè diuersum, atque ex distincta radice desumptum. Vniuocatio enim attenditur ex parte gradus communis: non autem ex parte differentiarum, à quibus potiùs præscindit. Vndè hoc nomen *animal*, quod est vniuocum (& idem est de nomine *duplum*) non significat hominis, & equi differentias, quatenùs fundant æquales proportiones in modo se habendi ad suos sensus; sed communem gradum vitæ sensitiuæ ab eis simpliciter abstractum. Cæterùm proportionalitas consideratur non penès aliquem gradum communem; sed penès propriam vniuscuiusque inferioris differentiam, & super eam immediatè fundatur, vt patet ex exemplo adducto *num. citato*. Et ideò si imponeretur nomen ad significandum hominem, & equum secundùm suas proprias rationes, vt proportionabiliter se habentes, verè esset nomen analogum proportionalitatis propriæ. Ex quo manifestè apparet diuersas esse radices vniuocationis, & analogiæ, quas Suarez non distinguens, in adeò singularem dicendi modum prolapsus est. Neque id est admirandum: quia vt inquit Arist. 2. *Elench. Aequiuocatio latens in his proportionalibus, peritissimos etiam latet.*

COROLLARIVM

Præcedentis doctrinæ, in quo aliæ Analogorum conditiones colliguntur, & enucleantur.

28 EX hactenùs dictis facilè deducuntur cætera, quæ de analogis solent disputari: & id ea breuiter perstringemus. Primò igitur infertur in analogia attributionis, & proportionalitatis metaphoricæ secunda analogata definienda fore per primum; secùs autem in analogia proportionalitatis propriæ. Ratio est, quia ad hoc, vt vnum definiatur per aliud, opus est, quòd in sua essentia dependeat ab eo. In analogia autem proportionalitatis propriæ proportiones sunt æquales, & neutra dependet ab alia: cuius contrarium contingit in analogis attributionis, & proportionalitatis metaphoricæ, vt constat ex dictis. Videantur D. Thom. 1. p. q. 13. art. 6. & Caiet. *ibidem*.

Infertur secundò, quare in his duabus analogijs analogum per se sumptum stat pro famosiori analogato; non verò in analogia proportionalitatis propriæ. Ratio est: quia analogum proportionalitatis propriæ non magis significat vnum analogatum, quam aliud; sed vtrumque proportionabiliter, & ideò absolutè prolatum non magis stat pro vno, quam pro alio. Analogum verò attributionis, & proportionalitatis metaphoricæ importat primum analogatum ex prima impositione primariò, & distinctè, reliqua autem solum secundariò, & quatenùs denominantur à primo: & propterea absolutè dictum stat pro illo. Quidquid enim dicitur de pluribus stat absolutè acceptum pro eo, in quo intrinsecè, & secundùm propriam rationem inuenitur; non verò pro ijs, in quibus imitatiuè tantùm, vel significatiuè saluatur. Quare cùm ratio significata per analogum attributionis, vel proportionalitatis metaphoricæ solùm inueniatur intrinsecè, & secundùm propriam rationem in principali analogato; pro eo tale nomen absolutè dictum stare debet.

29 Infertur tertiò analogum attributionis, & proportionalitatis metaphoricæ non posse habere rationem medij in demonstratione; benè autem analogum proportionalitatis propriæ. Ratio est: quia analogum in prioribus analogijs solùm stat simpliciter pro primo analogato; cætera autem confundit, & connotat, vt præcisè denominantur ab illo: vndè non distribuitur secundùm aliquid intrinsecum omnibus: & consequenter præmissa, in qua prædicatur de secundo analogato, est contingens; quod repugnat demonstrationi. At ratio significata per analogum proportionalitatis propriæ æqualiter proportionabiliter inuenitur in omnibus analogatis: & ideò distribuitur secundùm aliquid intrinsecum omnibus; proindeque præmissæ habent sufficientem necessitatem ad demonstrationem.

Infertur quartò, quod ab analogatis non potest abstrahi aliqua ratio, quæ sit vna simpliciter, & præcisa ab eis. Quod in analogia attributionis, & proportionalitatis metaphoricæ satis constat: siquidem in eis idem est conceptus objectiuus analogi, & principalis analogati. De analogia proportionalitatis propriæ idem conuincitur: cùm attendatur penès proprias differentias analogatorum, & immediatè fundetur in eis; vndè repugnat, quod præscindat à multiplicitate, & importet conceptum præcisum, & simpliciter communem. Dicimus tamen, istud analogum abstrahere ab analogatis, eo modo quo distinguitur ab eis: quatenùs res, vt similis alteri abstrahit à se ipsa absolutè considerata: quod est abstrahere secundùm quid. Hoc tamen sufficit, vt prædicetur formaliter de analogatis, & sufficienter distribuatur, vt constat ex proximè dictis.

Sextò tandem infertur analogiam attributionis, & proportionalitatis metaphoricæ causari per dependentiam: siquidem in eis secundaria analogata denominantur per habitudinem ad primum, à quo secundùm illud nomen omninò dependent. Analogia autem proportionalitatis propriæ non importat dependentiam: quia proportiones, quas dicit, sunt simpliter æquales: ac proindè ad inuicem independentes. Quamuis enim analogata secundùm suas proprias rationes possint alias habere dependentiam, vel aliquam subordinationem, vt videre est in accidenti, & substantia: hæc tamen non attenditur in hac analogia, sed potiùs æqualitas proportionum. Vndè sicut accidens, prout analogatum attributionis non importat formaliter intrinsecam entitatem, quam aliàs habet; sed denominatur extrinsecè ab entitate substantiæ: ita idem accidens, quatenùs est analogatum proportionalitatis propriæ, non explicat dependentiam, quam aliundè habet à substantia; sed importat respectum ad proprium esse similem illi, quem substantia dicit ad suum.



DISPVTATIO XI.

De Diuisione entis in sua inferiora.

1 QVÆ de complexis, & incomplexis, & regulis tradidit Aristoteles, nullam continent difficultatem, pro qua necessarium sit instituere specialem disputationem. Quapropter neque notis ea illustrabimus: cùm vt breuitati consulamus; tùm quia ipsorum notitia ex hactenùs dictis, & in progressu huius operis dicendis sufficienter haberi potest. Præsentem autem disputationem entis diuisioni damus: in qua, vt decet Logicum, necessaria ad prædicamentorum exactam notitiam assequendam discutiemus; omittendo alia plura Metaphysicis, quorum est omnes entis, tàm proprietates, quàm diuisiones ex professo pertractare.

QVÆSTIO I.

Vtrum ens sit transcendens respectu suorum inferiorum?

DIsputationem præsentem ab hac quæstione exordimur, quia aditum præstat alijs, quæ in reliquis quæstionibus circa conceptum entis dicenda sunt. Sed vt clarius in huius difficultatis, & sequentium decisione procedamus, opus est nonnulla præmittere, quibus entis, & transcendentiæ ratio, rudi saltem minerua, declaretur.

§. I.

Obseruantur aliqua ad quæstionis decisionem.

2 PRimò ergo explicare oportet, quid significet *ens*: propriè enim definiri non potest, cùm sit vniuersalissimum, suprà quod nihil est assignabile, per quod definiatur. Explicatur autem sic à D. Thom. *Opusc. 42. cap. 1. Ens est, cuius actus est esse: & quodlib. 2. quæst. 2. artic. 3. Ens est id, cui competit esse*. Quæ descriptio, licèt posset extendi ad omnia entia, propriè tamen solùm conuenit enti reali creato. Cuius ratio est, quia *esse* entis rationis non est verè, & absolutè esse, sed solùm secundùm quid, & apparens. Deus autem non dicitur *ens*, quasi habeat esse, vel quia ei conueniat aptitudo ad existentiam: hac enim phrasi, in rigore loquendo, significatur distinctio inter rem habentem esse, & esse habitum. Quod minimè competit Deo: siquidem in eo nulla datur compositio ex actu, & potentia; vel essentia, & existentia; sed dicitur ens, quia est ipsum *esse* irreceptum, & illimitatum. Sicut enim, si daretur albedo separata, & per se subsistens, non diceretur habere albedinem; sed esset ipsa albedo per essentiam, & in genere albedinis infinita: ita cùm Deus sit ipsum esse per se subsistens, non dicitur propriè habere esse; sed esse super omne ens, & ipsum esse. Propter quod, vt obseruat D. Thom. *1. p. quæst. 13. artic. 11. qui est*, seu *esse* est proprijssimum inter diuina nomina, iuxta illud *Exod. 3. Ego sum, qui sum; & qui est, misit me ad vos*.

Ab ipso autem Deo deriuatur esse ad omnes creaturas: quæ propterea dicuntur entia per participationem, quia verè recipiunt esse ab ente per essentiam. Vndè in eis esse non est actus purus, sed recipitur in essentia, quæ est potentia ad ipsum: & ideò realiter distinguuntur inter se. Ex quo fit vniuersalissimam compositionem inuentam in creaturis esse ex vniuersalissimo actu, qui est *existentia*, seu *esse*, & ex potentia vniuersalissima, quæ est *essentia*, seu *ens*. Distinguuntur autem ens, & essentia, sicut viuens, & vita: quemadmodum enim vita est id, quo viuens viuit: sic essentia est id, quo ens est. Vnde magis apparet sensus descriptionis *entis*, quam suprà ex D. Thom. tradidimus. Ens enim propriè significat id, quod est; seu id, cui competit esse, non verò ipsum esse. Et hoc pacto ens est prædicatum essentiale omnium rerum: quia aptitudo ad esse essentialiter conuenit creaturis. Si autem ens sumatur pro ipso esse, seu existere, sic de solo Deo prædicatur essentialiter, vt docet D. Thomas *quodlib. 2. quæst. 2. art. 3.* Nam cum esse creaturarum comparetur ad earum essentiam, sicut actus ad potentiam, nequit illis essentialiter conuenire: eò quod omnis actus est extra rationem potentiæ, quam perficit, & actuat.

3 Ex ijs sequitur, quod ens potest sumi dupliciter: primò vt significat essentiam, seu potentiam ad esse: & sic appellatur *ens nominaliter*, quia in tali significatione non exercetur ipsum *esse*; sed solùm connotatur. Secundò prout includit esse, & est idem, ac existens: & ita dicitur *ens participialiter*, quia tunc exercetur ipsum *esse*: iuxta distinctionem nominis, & participij traditam *lib. 2. institutionum. cap. 1.* Hanc distinctionem entis *nominaliter*, & *participialiter* sumpti explicat benè, & breuiter Ferrara *1. contra gentes. cap. 25.* dicens, ens esse nomen concretum, quod potest significare duas formas, nempè *essentiam*, & *existentiam*. Quandò ergo pro formali dicit essentiam, appellatur ens nominaliter: quandò verò dicit existentiam, appellatur ens participialiter.

Deinde obseruandum est, quod ens in communi acceptum diuiditur essentialiter, & adæquatè, primò in ens reale, & rationis: deindè ens reale in Deum, & creaturas: tertiò ens creatum in substantiam, & accidens.

dens, seu decem prædicamenta. Nam licèt aliæ plures entis diuisiones circumferantur; illæ tamen, vel non sunt essentiales, vel coincidunt cum his tribus. Quapropter omnia inferiora, respectu quorum potest dubitari, an ens sit transcendens, sunt membra in ijs diuisionibus recensita, exhauriuntque omne ens, quod excogitari valet.

Obserua tandem, transcendens appellari id, quod ita est de essentia rerum, vt nihil in eis inueniatur, de quo formaliter non prædicetur, & in eius ratione non includatur. Per quod distinguitur ab vniuoco, quod licèt sit de essentia inferiorum; in eis tamen est aliquid, nimirùm differentia, de quo formaliter non prædicatur vt constat ex dictis *disput. 7. num. 11.* Prædicatum verò transcendens imbibitur etiam in vltimis differentijs, & modis constitutiuis. Quo pacto sex transcendentia communiter numerantur, nempè *ens, res, verum, bonum, aliquid, vnum*. Ex quibus *ens* habet rationem essentiæ, quia est id, quod primò apprehenditur de quacumque re: alia verò sortiuntur rationem passionis, eo quod supponunt, & consequuntur ens. Vndè quidquid in præsenti difficultate dictum fuerit de ente, proportionabiliter applicandum est suis passionibus.

§. II.

Resolutio difficultatis.

4 Dicendum est primò, *ens nominaliter* sumptum esse transcendens respectu omnium suorum inferiorum. Ita D. Thom. *1. p. quæst. 13. art. 5. & 1. contra gentes, cap. 25.* cui subscribunt omnes Thomistæ, & communiter Doctores, quorum plures refert, & sequitur Suarez *disput. 2. Metaph. sect. 5.* Estquè prædicta assertio expressa Aristot. *3. Metaph. text. 12.* vbi ex eo probat ens non esse genus, quia genus non prædicatur de differentijs; ens autem de differentijs prædicatur. Quæ ratio procedit de prædicatione formali: aliàs nihil concluderet; siquidem genus prædicatur identicè de differentijs, cùm ab illis realiter non distinguatur. Constat autem transcendens esse illud, quod in vltimis differentijs imbibitur, & consequenter de illis formaliter prædicatur: ergo ex mente Philosophi ens est transcendens.

Deindè probatur ratione: quia ens, & nihil opponuntur contradictoriè: ergo quidquid non est ens, est nihil: sed vltimæ differentiæ formaliter, & essentialiter sumptæ non sunt omninò nihil: ergo sunt formaliter, & essentialiter ens: ac proindè ens prædicatur formaliter de vltimis differentijs; quod est proprium transcendentis. ¶ Confirmatur: nam obiectum intellectus est formaliter, & essentialiter ens: sed vltimæ differentiæ sunt obiectum intellectus, cùm possit illas cognoscere: ergo sunt essentialiter & formaliter ens.


5 Dicendum est secundo, ens participialiter sumptum non esse transcendens. Hæc conclusio, quæ admittitur ab omnibus suadetur breuiter: quoniam ens participialiter acceptum non includitur essentialiter in vltimis differentijs: ergo non est transcendens. Consequentia patet ex dictis, & antecedens probatur: nam ens participialiter sumptum importat pro formali existentiam: sed hæc non est de essentia alicuius creaturæ: siquidem conuenit ei per causam efficientem, & recipitur in ipsa essentia, de qua proindè accidentaliter prædicatur: ergo ens participialiter sumptum non includitur essentialiter in vltimis differentiis.

6 Aduersus primam assertionem opinatur Scotus *in 1. dist. 3. quæst. 3.* contendens ens non contineri formaliter in vltimis differentiis rerum; sed prædicari de illis identicè, eo modo, quo genus prædicatur de differentiis. Quæ sententia probatur primò: quoniam si vltimæ differentiæ includerent formaliter ens, & in eo formaliter conuenirent, indigerent eo ipso aliis differentiis, quibus inter se distinguerentur: nam quæ conueniunt, differunt, ex Arist. *5. Metaph. cap. 9.* Rursus, si illæ differentiæ includant formaliter ens, indigebunt aliis differentiis, vt inter se simpliciter distinguantur; de quibus iterum fiet idem argumentum: ergo vel dandus est processus in infinitum; vel dicendum, ens nòn includi formaliter in vltimis differentiis, nequè per eas transcendere.

Respondetur, differentias propriè loquendo non conuenire in ente, quasi ens sit aliquid vnum in illis: quod requirebatur ad propriam conuenientiam, de qua loquitur Aristot. *loco citato*. *Conuenire* enim *est* plura simul in vnum venire: & ideò vbi non est aliquod vnum simpliciter, nequeunt duo propriè conuenire. Vndè cùm ens non dicat aliquem vnum gradum, seu conceptum, in illo differentiæ propriè loquendo non conueniunt; sed se totis differunt & consequenter non indigent aliis differentiis per quas distinguantur. Dicuntur tamen differentiæ conuenire in ente secundùm quid, & proportionabiliter: quæ conuenientia proportionalis ex suo conceptu importat diuersitatem simpliciter; vt constat ex supra dictis. Quapropter vltimæ differentiæ per id ipsum, in quo proportionabiliter assimilantur, disconueniunt simpliciter inter se.

7 Secundò arguitur: nam sicut extrema, in quæ vltimò resoluitur compositum physicum, nempè materia, & forma; sunt partes omninò simplices, & se inuicem excludentes: ita conceptus obiectiui in quos vltimò resoluit intellectus compositum, quod format ex diuersis gradibus, debent esse omninò simplices, & se abinuicem formaliter excludentes. Alioqui non poterunt terminare vltimam resolutionem, cùm sint extrema vlterius resolubilia. Sed prædicti conceptus sunt gradus entis, & vltimæ differentiæ: ergo nequè ens importat formaliter differentias, nequè illæ includunt formaliter ens.

Respondetur negando minorèm: quia ens non est gradus verè vnus, in quem compositum metaphysicum possit resolui. Sed conceptus, in quos vltimò fit hæc resolutio, sunt genus supremum illius prædicamenti, in quo existit compositum, & vltima differentia: vt homo vltimatè resoluitur in substantiam, & rationalitatem. Propterea enim prædicamenta dicuntur suprema genera, quia in eis sistit resolutio: cùm sint conceptus omninò simplices, & irresolubiles in alios simpliciores. Dicimus tamen frequenter suprema genera componi ex gradu entis, & modo constitutiuo vniuscuiusque, & in eos resolui: non quia verè habeant plures gradus; quia res simplices non possumus apprehendere absque aliqua compositione. Maximè, quia ens abstrahit secundum quid, siue per non expressionem à modis constitutiuis prædicamentorum: & ideirco resolutionem, quæ reuera sistit in quolibet prædicamento, vlterius progredi concipimus.



QVÆ-

QVÆSTIO II.

Vtrum ens sit purè æquiuocum respectu suorum inferiorum.

§. I.

Communis sententia defenditur.

8 Dicendum est, ens non esse purè æquiuocum respectu entis realis, & rationis, neque respectu Dei, & creaturarum; neque respectu substantiæ, & accidentis. Conclusio hæc est satis communis inter Doctores: & probatur quoad omnes suas partes. Prima quidem traditur ab Arist. 4. *Metaph. c.* 2. & à D. Thom. *ibid.* & *q.* 2. *de verit. art.* 11. *ad* 5. & suadetur breuiter: quia ens rationis fit, & cognoscitur ad modum entis realis: & quidquid dicitur de ente rationis, explicatur per respectum, & proportionem ad ens reale: ergo non dicitur purè æquiuocè de illis. Patet consequentia: nam inter æquiuocata, vt talia nulla attenditur proportio, vel habitudo.

Secunda pars est etiam expressè D. Thom. 1. *p. q.* 13. *art.* 5. & *lib.* 1. *contra gentes, cap.* 34. & probatur ratione sumpta ex Aristot. 11. *Metaph. cap.* 3. nam æquiuocata, quatenus talia, nequeunt cadere sub vna scientia: eò quod æquiuocum non potest esse scibile, neque vt subiectum, neque vt passio, neque vt medium: sed ens provt est commune Deo, & creaturis est obiectum Metaphysicæ: ergo non est purè æquiuocum respectu Dei, & creaturarum. ¶ Confirmatur, quia ex cognitione vnius æquiuocati, nihil potest cognosci alterius; cùm non conueniant, nisi in nomine: sed ex cognitione creaturarum deuenimus in cognitionem Dei, iuxta illud Romanor. 1. *Inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt à creatura mundi intellecta conspiciuntur*: ergo &c.

Tertiam denique partem docent Arist. 4. *Met. c.* 2. & *lib.* 7. *cap.* 8 & D. Thom. *ibid.* conuincuntque rationes pro præcedentibus factæ, vt consideranti constabit. Sed insuper probatur alio argumento generali, quo omnes partes assertionis roborantur: quoniam inter purè æquiuocata nullus attenditur ordo prioris, & posterioris secundum nomen æquiuocum: atqui inter ens reale, & rationis, inter Deum, & creaturas, & inter substantiam, & accidens reperitur ordo in ratione entis: siquidem certum est, quod ratio entis priùs dicitur de ente reali quam de ente rationis; de Deo, quam de creaturis; de substantia, quam de accidentibus: ergo ens non est purè æquiuocum ad sua inferiora.

§. II.

Satisfit aduersariorum argumentis.

9 Prima sententia priori nostræ conclusionis parti contraria asserit, ens esse purè æquiuocum respectu entis realis, & rationis. Ita Soncinas 4. *Met. q.* 5. Bannes 1. *p. q.* 28. *art.* 1. & alij. Probatur: quia inter ens reale, & rationis nulla est similitudo: ergo nihil est illis commune præter nomen entis, quod proindè erit æquiuocum respectu illorum. Probatur antecedens: nam magis distant ens reale, & rationis, quam ens finitum, & infinitum: sed inter hæc nulla est similitudo: ergo neque inter illa. Minor suadetur: quoniam distantia minuit similitudinem: ergo distantia infinita, quæ datur inter ens finitum, & infinitum, debet illam omnino tollere.

Confirmatur: nam talis est diuisio entis in ens reale, & rationis, qualis est diuisio hominis in viuum, & mortuum, vel oculi in cæcum, & videntem: sed vtraque ista est æquiuoca, vt sumitur ex Arist. 2. *de Anima, text.* 9 ergo & illa.

Respondetur ex D. Thom. *q.* 2. *de ver. art.* 11. *ad* 2. quod similitudo est duplex. Alia est similitudo perfecta, quæ versatur inter res eiusdem generis; in quibus eadem ratio reperitur. Et hæc minuitur per distantiam, & consequenter nequit dari inter ens finitum, & infinitum. Alia est similitudo imperfecta, & inter res diuersi generis: & attenditur secundum aliquam proportionem, vel proportionalitatem illarum. Et hæc non minuitur per distantiam: cùm non sit maior similitudo inter duo, & vnum; quam inter centum, & quinquaginta, vt ex se liquet. Vndè ad argumentum dicimus, quod inter ens reale, & rationis, & inter ens finitum, & infinitum datur in ratione entis hæc vltima similitudo, quæ sufficit ad ponendam analogiam, & ad excludendam æquiuocationem.

Ad confirmationem negatur minor, quam non euincit auctoritas ibi inclusa: nam Arist. sub æquiuocis comprehendit analoga; quod ipsi familiare est, vt suprà obseruauimus *disp.* 10. *n.* 8.

10 Secunda sententia, quæ secundæ parti eiusdem assertionis aduersatur, est Rabbi Moysis docentis ens esse purè æquiuocum respectu Dei, & creaturarum, vt refert D. Thom. *quæ.* 5. *de potent. art.* 7. Et probatur primò: quia æterno, & temporali nihil est commune præter nomen, ex Arist. 10. *Metaph. cap. vlt.* sed Deus est æternus, & creatura temporalis: ergo ens nihil importat illis commune præter nomen: & consequenter est æquiuocum respectu eorum.

Respondetur ex D. Thom. *loc. cit.* Philosophum loqui de communitate physica; non verò de communitate Logica. Quia corruptibile, & incorruptibile non conueniunt in aliquo genere physico, sicut conueniunt omnia corruptibilia, in quibus materia prima (a qua sumitur genus) est eiusdem rationis; diuersa tamen essentialiter à materia corporum cœlestium, seu incorruptibilium. Non tamen negat conuenientiam Logicam in aliqua ratione abstracta per intellectum: quo pacto omnia corpora cœlestia, & sublunaria conueniunt in genere substantiæ. Adde Arist. non dixisse: *Æterno, & temporali nihil est commune præter nomen*: sed, *corruptibile, & incorruptibile differunt genere*. Quod de genere physico, nempe materia prima intelligendum esse constat ex nuper dictis.

Secundò arguitur: nam vbicumque est aliqua similitudo, potest esse aliqua comparatio: sed nulla potest esse comparatio inter Deum, & creaturas: ergo neque similitudo, proindéque purè æquiuocè se habebunt. Probatur minor: quia vt fiat comparatio inter aliqua extrema debet dari forma, quæ secundùm magis, vel minus, vel æqualiter participetur ab illis: sed nulla talis forma potest esse in Deo, & creaturis; cùm Deus sit actus simplicissimus, excludens omnem compositionem: ergo &c.

Respondetur, quod sicut similitudo, ita & comparatio est duplex: alia perfecta, quæ sequitur similitudinem vniuocam, & fit inter res eiusdem generis. Et hæc postulat, quod detur vna forma, vel ratio æqualiter, vel secundum magis, & minus participata ab extremis comparatis. De qua loquitur Arist. 7. *Physic. text.* 30. negans comparationem inter res diuersi generis. Alia

est

est comparatio imperfecta, quæ sequitur similitudinem analogicam, & inuenitur inter res diuersi generis: solumque exposcit, quod habeant aliquam proportionem. Sicut ergo inter Deum, & creaturas non datur similitudo vniuoca; sed analogica: ita non debet dari prior comparatio; sed hæc posterior: ex qua nulla in Deo sequitur imperfectio.

11 Tertia opinio vltimæ parti conclusionis aduersa docet, ens esse purè æquiuocum ad substantiam, & accidens, seu ad decem prædicamenta. Ita plures antiqui relati à Masio *hic cap. 6. sect. 1. q. 1.* Et probatur 1. auctoritate Porph. *cap. de spec.* vbi ex Arist. ait: *Si enim omnia quis entia vocauerit, æquiuocè, & non vniuocè vocauit*: ergo ens æquiuocè dicitur de prædicamentis.

Respondetur, æquiuocationem immediatè oppositam vniuocationi continere sub se æquiuocationem puram, siue à casu; & æquiuocationem à consilio; quæ dicitur analogia. Vndè cùm Porphyrius ex negatione vniuocationis inferat, quod prædicamenta conueniunt æquiuocè in ente; non constat ex vi huius textus, quòd ens sit purè æquiuocum ad illa. Oppositum autem satis constat ex dictis pro conclusione.

Secundò arguitur: quia ideò nomen *canis* est purè æquiuocum respectu latrabilis, & marini, quia immediatè significat illos: sed ens significat immediatè omnia prædicamenta: ergo est purè æquiuocum respectu illorum. ¶ Confirmatur: quia magis distant inter se substantia, & accidens, quam canis latrabilis, & marinus: sed nomen *canis* respectu horum est purè æquiuocum: ergo, & nomen *ens* respectu illorum.

Respondetur, ad puram æquiuocationem requiri, quod nomen æquiuocum significet immediatè plura absque consideratione alicuius conuenientiæ: vndè quia nomen canis impositum est ad significandas vltimas differentias canis latrabilis, & marini, sine consideratione alicuius conuenientiæ, vel habitudinis inter se: è contra verò ens significat accidentia cum respectu dependentiæ ad substantiam, vel cum aliqua proportionalitate inter se: idcircò nomen canis est purè æquiuocum; & ens non est æquiuocum, sed est analogum ad sua inferiora.

Ad confirmationem dicimus, quod licèt absolutè magis differant substantia, & accidens, quam canis latrabilis, & marinus; secùs verò prout nominibus *canis*, & *entis* significantur. Cuius rationem tradit D. Thom. *quæst. 2. de Verit. art. 11. ad 7.* quia nimirùm hoc nomen *canis* impositum est ad significandum vltimas differentias illorum animalium, absque consideratione alicuius conuenientiæ, quæ sit inter illas. Hoc autem nomen *ens* impositum est ad significandum substantiam, & accidens, secundùm quod proportionabiliter in *esse* conueniunt. Nam speciebus eiusdem generis potest imponi nomen sine consideratione alicuius conuenientiæ: & rebus diuersi generis potest nomen imponi ex consideratione alicuius proportionis.

QVÆSTIO III.

Vtrum ens sit vniuocum respectu Dei, & creaturarum, & respectu substantiæ, & accidentis.

SVpponimus in præsenti, ens non esse vniuocum ad ens reale, & rationis: siquidem hoc est vmbra, & similitudo imperfectissima entis realis, à quo in suo esse, & cognosci dependet. Quare difficultas solùm procedit de ente respectu Dei, & creaturarum, & respectu substantiæ, & accidentis. Resolutio autem nostra poterit à fortiori applicari enti in ordine ad ens reale, & rationis, vt ex dicendis constabit.

§. I.

Decisio quæstionis quoad primam partem.

12 DIcendum est primò, ens non esse vniuocum respectu Dei, & creaturarum. Ita D. Thom. *1. p. q. 13. art. 5. primo contra gentes, cap. 32.* & alibi sæpè: quem sequuntur eius discipuli, & communiter Doctores. Probatur primò ex illo *Isaiæ 40. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo*: quibus verbis, vt ait D. Dionysius, significatur creaturas esse vestigia quędam, & vmbras ipsius Dei, emendicantes ab illo suum esse: ergo non conueniunt vniuocè in ratione entis. Et sanè si Deus, & creatura non sunt inæquales, & diuersæ rationis in ipso conceptu communi entis: nullibi datur ratio communis participata inæqualiter, siue secundùm prius, & posterius ad inferiora descendens. Quod est absurdum, cùm destruat omnem analogiam, & vbique vniuocationem inducat.

Probatur secundò ratione D. Thomæ: quia cùm effectus non adæquat virtutem causæ, nomen illis commune non est vniuocum: sed creaturæ sunt effectus Dei non adæquantes eius virtutem: ergo nomen illis commune non est vniuocum. Probatur maior: quia effectus non adæquans virtutem causæ non participat similitudinem eius secundùm eandem rationem; sed deficienter, & imperfectè: ergo nomen illis commune non importat eandem omninò rationem, & consequenter nequè est vniuocum.

Respondebis negando maiorem, quæ nequit esse vniuersaliter vera: nam aurum est effectus solis non adæquans virtutem eius, & nihilominùs nomen substantiæ, & corporis est vniuocum respectu illorum. Et idem apparet in aliis causis, quæ conueniunt vniuocè cum suis effectibus in aliquo gradu; tametsi illos excedant in perfectione.

Sed hæc responsio procedit ex sinistra intelligentia illius propositionis. Cuius veritas vt appareat, nota, quod effectus in illa ratione, in qua non adæquat perfectionem suę causę nequit cum illa vniuocè conuenire; licèt aliàs in alia ratione in qua, vel non est effectus, vel adęquat causam, possit cum illa conuenientiam vniuocam habere. Nam cùm ratio significata per nomen vniuocum debeat esse eadem omninò: impossibile est, quod causa, & effectus vniuocentur in ea ratione, in qua sunt inęquales. Quando autem effectus in aliquo gradu non adęquat causam, est illi in eo gradu inęqualis; ac proindè non valet in eo conuenire vniuocè cum illa; licèt aliunde vniuocentur in aliis perfectionibus. Quod apparet ex ipso exemplo solis, & auri: aurum enim secundùm gradus corporis, & substantię non est effectus solis, nisi per accidens: & ideò in eis possunt vniuocè conuenire. Si autem poneretur nomen ad significandam illam rationem, in qua aurum est effectus solis, non adęquans eius virtutem; proculdubio esset analogum, & non vniuocum.

Hinc apparet efficacia rationis D. Thomę: nam effectus non potest conuenire vniuocè cum causa in ea ratione, in qua non adęquat virtutem, & perfectionem illius: sed creaturę sunt effectus Dei non adęquantes virtutem eius; non solùm secundum gradus particulares, sed nequè in vniuersalissima ratione entis: cùm Deus sit ens per essentiam, & creaturę per participationem:

nem: ergo neque ens, neque aliud nomen potest de Deo, & creaturis vniuocè prædicari. Videatur S. Doctor. 1. p. q. 43. art. 3.

13 Secunda ratio nostræ assertionis traditur à D. Th. 1. contra gentes cap. 32. iis verbis: *Omne quod de pluribus vniuocè prædicatur, vel est genus, vel species, vel differentia, vel accidens, vel proprium. De Deo autem nihil prædicatur, vt genus, vt supra (scilicet cap. 26.) ostensum est: & similiter, neque vt differentia, neque vt species, quæ ex genere, & differentia constituitur. Neque aliquid ei accidere potest, vt supra scilicet cap. 34. demonstratum est: & ita nihil de Deo prædicatur, neque vt accidens, neque vt proprium: nam proprium de genere accidentium est. Relinquitur ergo, nihil de Deo, & rebus aliis vniuocè prædicari.*

Occurrunt huic rationi Scotus in 1. dist. 3. quæst. 3. & dist. 8. quæst. 2. & alij asserentes, quod quamuis ens esset vniuocum, non tamen esset genus: quia includitur in vltimis differentiis; quod repugnat generi: neque esset aliud ex quinque prædicabilibus, vt de se constat.

Sed contra: omne nomen vniuocum significat rationem simpliciter vnam respectu suorum inferiorum: ergo talis ratio abstrahit simpliciter ab inferioribus, & solùm in potentia continet illa; aliàs esset simpliciter vna, & simpliciter plures: sed omnis potentia respicit proprium actum: ergo ratio sic abstracta respicit sua inferiora, & consequenter est natura vna relata ad plura, seu vna in multis: quod est proprium naturæ vniuersalis. Constat autem vniuersale adæquatè diuidi in quinque prædicabilia, vt constat ex dictis disp. 4. num. 30. ergo si ens esset vniuocum ad Deum, & creaturas, non posset non esse genus, vel species, vel differentia, vel proprium, vel accidens respectu illorum.

Confirmatur: quia repugnat, quòd alicui conueniat essentia, & quòd ei non conueniat propria passio; vel è contra, quod negetur passio, & non negetur essentia: sed essentia generis sita est in eo, quòd sit natura habens rationem potentiæ respectu inferiorum, per quæ contrahitur: ad quod sequitur non includi in differentiis; quia potentia est extra actus, & actus extra potentiam: ergo qui concedit ens importare rationem quandam abstractam, contrahibilem per varios modos, & habentem rationem potentiæ respectu eorum; tenetur concedere non includi in illis: & si hoc negat, negare etiam debet esse rationem abstractam, & contrahibilem. Vndè apparet, quam friuola sit euasio contrariorum, qui concedentes enti essentiam generis, inficiantur esse genus, eò quod non conuenit illi quædam generis proprietas.

§. II.

Resoluitur secunda difficultatis pars.

14 Dicendum est secundò, ens non esse vniuocum respectu substantiæ, & accidentis. Ita docent Arist. 4. Metaph. cap. 2. & D. Thom. ibidem, & cap. 2. de ente & essentia, & alibi sæpè: quibus subscribunt concorditer Themistæ, & alij plures Doctores, quos refert, & sequitur Masius hic, sect. 1. quæst. 2. Hanc conclusionem probat ratio secunda, quam proxima assertione expendimus: nam si ens esset vniuocum ad substantiam, & accidens, necessario esset genus respectu eorum: sed hoc est falsum: ergo &c. Maior probatur: quia non esset species, differentia, proprium, vel accidens: ergo esset genus. Minor constat quia: genus abstrahit à differentiis: sed ens non abstrahit ab illis, cùm sit de earum essentia: ergo ens non potest esse genus.

Secundò probatur: quoniam vniuocata æqualiter participant rationem vniuocam, & absque dependentia vnius ab alio: sed substantia, & accidens non participant æqualiter rationem entis: ergo ens non est vniuocum ad illa. Suadetur minor; quia ratio entis, quæ est in accidenti supponit ab intrinseco rationem entis, quæ est in substantia, cùm per hanc essentialiter definiatur: ergo accidens participat rationem entis inæqualiter, & cum dependentia à substantia.

Respondebis ex doctrina Suarij disp. 32. Metaph. sect. 2. num. 7. quòd licèt accidens, qua ratione est accidens, definiatur per substantiam; secùs verò qua ratione est ens: quia substantia, & accidens in quantùm entia habent eandem definitionem. Et ita proue sic accidens non definitur per substantiam, neque dependet ab ea.

15 Sed hæc euasio præcluditur primò auctoritate Arist. 7. Metaph. cap. 1. Vbi docet accidentia dici entia, *quia sunt entis*, hoc est substantiæ, *hæc quidem quantitates, illa verò qualitates &c.* Et similiter D. Th. 1. Periherm. lect. 8. & alibi sæpè docet, inter substantiam, & accidens esse dependentiam non solùm secundùm proprias rationes; sed etiam in ipsa ratione entis: ergo non solùm ratio accidentis, sed & ratio entis, quæ est in accidentibus participatur dependenter à substantia.

Deindè impugnatur hæc solutio arguendo ad hominem: nam ideò Suarez ponens in ente respectu substantiæ, & accidentis conceptum communem, asserit non esse vniuocum, sed analogum: quia ipse conceptus præcisus entis petit ex se descendere ad accidens, & substantiam cum subordinatione, secundùm prius, & posteriùs: quia descendit ad accidens media substantia: ergo accidens participat non solùm rationem accidentis, sed & rationem entis cum subordinatione ad substantiam; debent proindè etiam in quantùm ens per substantiam definiri.

Tandem refellitur: quia ideò accidens, vt accidens, dependet à substantia, quia respicit esse in alio, siue diuersum esse, ac ipsa substantia: ergo accidens in ipsa ratione entis, vel ipsa ratio entis, quæ inuenitur in accidenti, dependet à substantia. Probatur consequentia: nam ratio entis consistit in habitudine ad esse: ergo habitudo ad diuersum esse ponit diuersitatem in ipsa ratione constitutiua entis: & consequenter si accidens respicit esse in alio, & dependent ab esse substantiæ, nequit non in ipsa ratione entis esse diuersum ab illa, & ab ea dependere. Alias rationes, quæ nostræ assertioni suffragantur, proponemus quæstione sequenti.

§. III.

Diluuntur argumenta opinionis opposita.

16 Aduersùs vtramque conclusionem sentit Scotus in 1. dist. 3. q. 1. & 3. in 4. Metaph. q. 1. docens ens esse vniuocum, tàm respectu Dei, & creaturarum, quàm respectu substantiæ, & accidentis. Scotum sequuntur eius Discipuli, & Nominales, vt refert Masius loco citato. Et probatur primò hæc sententia: quia mensura, & mensuratum debent esse eiusdem rationis, & consequenter vniuocè conuenire, siquidem mensura debet esse *homogenea*, seu *cognata* mensurato, ex Arist. 10. Metaph. text. 2. sed Deus est mensura creaturarum, & substantia accidentium: ergo sunt eiusdem rationis, saltem in conceptu entis, ac proindè conueniunt vniuocè.

Respondetur ex D. Thom. quæst. 7. de potentia, a. 7. quod mensura est duplex: alia enim est coæquata mensurato, qualis est illa, qua rerum quantitates dimetimur, de earumque magnitudine certificamur. Et huic

est

est primò impositum nomen mensuræ, & debet esse homogenea, siue eiusdem rationis cum mensurato. Alia est superexcedens respectu mensurati; quæ ex eo habet rationem mensuræ, quia per maiorem, vel minorem accessum aliquorum ad eam, illorum perfectionem colligimus. Quo pacto primum in quolibet genere dicitur mensura aliorum: & hæc necessariò est diuersæ rationis à mensurato. Deus autem est mensura creaturarum hoc posteriori modo, cùm illas maximè excedat: idemquè proportionabiliter habet substantia respectu accidentium: vndè non oportet, quod sint eiusdem rationis cum illis, & conueniant vniuocè; sed potiùs infertur oppositum.

17 Arguitur secundò: quia nihil cognoscitur, nisi per speciem eiusdem rationis: sed Deus per suam essentiam cognoscit creaturas: ergo essentia Dei, & creaturæ sunt eiusdem rationis, saltem in conceptu entis.

Respondetur negando maiorem, quia vt docet D. Thom. *loco cit. ad* 5. quantò species intelligibilis eminentiùs, & nobiliùs esse habet; tantò ex ea relinquitur perfectior cognitio. Et ideò cognitio Dei est excellentissima, quia essentia sua, per quam cognoscit creaturas, est supereminens species, seu idea rerum creatarum.

Arguitur tertiò: quia medium demonstrationis debet esse vniuocum; aliàs non diceret rationem vnam, & conceptum communem, qui distribuatur, & vniatur cum extremitatibus in præmissis; sed ens potest esse medium demonstrationis: ergo est vniuocum.

Respondetur negando maiorem, quoniam vt aliquid sit medium demonstrationis sufficit, quod integrè coniungatur cum extremitatibus, & quod distribuatur vnica distributione: ad quod sufficiens est conuenientia analoga, seu proportionalis, & non requiritur vniuoca. Nam quidquid sequitur ad rationem vnius analogati, etiam sequitur proportionabiliter ad rationem alterius. Quod exemplis potest illustrari: nam si ex immaterialitate (quæ est ratio analoga ad Deum, & creaturas) si ex immaterialitate, inquam, animæ rationalis concluditur eam esse intellectualem: ex eadem proportionabiliter immaterialitate posita in Deo concludetur optimè ipsum esse intellectualem: vt quantùm hæc immaterialitas illam superat, tantùm diuina intellectualitas creatam excedat. Similiter si ex eo, quod substantia est ens, probatur eam esse bonam: pariter ex eo, quod accidens sit ens, idem proportionabiliter conuinci debet: vt ita se habeant ad bonitatem, sicut ad entitatem. Rectitudo enim harum illationum innititur principiis vniuersalibus, nempè, *Omne immateriale est intellectuale*, & *Omne ens est bonum*: quæ intelligenda sunt, nequè omninò vniformiter, nequè omninò difformiter; sed proportionabiliter: quippè in hoc præcisè sensu vera sunt. Alia argumenta, quibus vtitur hæc opinio, enodabimus quæstione sequenti.

QVÆSTIO IV.

Vtrum ens dicat vnum conceptum communem, & præcisum à suis inferioribus.

18 QVamuis decisio huius difficultatis ferè constet ex dictis; oportet tamen illam ex professo examinare, tùm ad maiorem penetrationem analogiæ entis: tùm vt peculiares rationes pro sententia D. Thomę expendamus: tùm denique, vt pluribus aduersæ opinionis argumentis plenius satisfiat. Ad illius autem intelligentiam obseruandum est ex dictis *disp.* 3. *num.* 2. quod conceptus est duplex: alius formalis, qui est actus intellectus; alius vero obiectiuus, & est gradus ille, qui cognoscitur per conceptum formalem. Vndè duo inquirimus in præsenti.

Primum est, an enti correspondeat in intellectu vnus conceptus formalis distinctus à conceptibus formalibus inferiorum. Et cùm conceptus formalis sit duplex, alius vltimatus, qui habetur de re significata per vocem, & alius non vltimatus, quo nimirùm cognoscimus ipsas voces: supponimus vt certum, conceptum formalem entis non vltimatum esse vnum, cùm nomen *ens* vnum sit; & difficultas procedit de conceptu formali, & vltimato.

Secundum, & principale dubium est circa conceptum obiectiuum entis, & ita inquirimus, an ex parte obiecti ens significet aliquem gradum distinctum à gradibus, quos important inferiora eius: ita vt sicut genus v. g. *animal* non importat immediatè hominem, & equum, sed gradum sentiendi illis communem, & superiorem; sic *ens* non dicat immediatè substantiam, & accidens, vel Deum, & creaturas; sed gradum aliquem ab eis præscindibilem, & illis communem.

§. I.

Elucidatur sententia Thomistica.

19 DIcendum est primò, ens non habere conceptum obiectiuum simpliciter vnum, & inferioribus communem, sed significare immediatè ipsa inferiora, vt proportionabiliter se habentia inter se. Ita D. Thom. 8. *Metaph. lect.* 3. & *lib.* 10. *lect.* 3. & 1. *p. q.* 13. *art.* 5. & alibi sæpè: quem sequuntur eius discipuli adducti à Masio hic *sect.* 1. *quæst.* 6. & Gallego *controu.* 20. Cui etiam sententiæ subscribit Vazquez appellans eam verissimam 1. *part. disp.* 22. *cap.* 5. & *disp.* 114. *cap.* 2.

Probatur primò ex Arist. 10. *Metaph. text.* 8. vbi satis expressè docet, quod ens non significat aliquem gradum supra prædicamenta; sed immediatè ipsa prædicamenta: sic enim ait: *In prædicatione, vnus homo, non addit aliquid aliud, quam homo, sicut nequè ipsum esse præter quid est, aut quale, aut quantum.* Quem locum in sensu à nobis intento intellexerunt D. Thom. & Auerroës. Iste enim sic exponit. *Ens, & vnum significat id, quod significat in prædicamento substantiæ, aut quantitatis, aut qualitatis, prima significatione, sine medio, & non mediante aliquo communi.* Et Angelicus Doctor sic ait *ibidem, lect.* 3. *Cùm dicitur vnus homo, non aliqua in naturam aliam ab homine prædicat, sicut nequè ipsum, quod est ens prædicat aliam naturam à decem prædicamentis.* Ergo ex mente Arist. D. Thom. & Commentatoris ens non significat vnum conceptum obiectiuum, sed immediatè inferiora. Videatur Caiet. *quæst.* 2. *de ente, & essentia.*

20 Secundò probatur ratione: quia nullum transcendens potest esse conceptus simpliciter vnus, & communis: sed ens est transcendens, vt constat ex dictis *quæst.* 1. ergo non importat conceptum obiectiuum simpliciter vnum, & communem. Probatur maior: quia de ratione conceptus simpliciter vnius, communis, & præcisi est, quòd sit potentialis, & determinabilis per illa inferiora, à quibus abstrahit: ac proindè gradus contrahibilis, & gradus contrahens debent se habere, vt partes metaphysicæ de quarum ratione est comparari, vt extrema se inuicem formaliter excludentia: sed de ratione transcendentis est imbibi in vltimis inferiorum differentiis, & de eis formaliter prædicari: ergo nullum transcendens potest esse gradus simpliciter vnus, & com-

& communis.

Confirmatur, & explicatur: quia ideò genus dicit conceptum simpliciter vnum, præcisum, & communem, quia non est de essentia differentiarum: sed ens est de essentia modorum, quibus ad prædicamenta contrahitur: ergo non dicit vnum conceptum communem, & præcisum. Probatur maior: nam quod est de essentia alicuius, nequit verè præscindi ab illo: ergo ideò genus præscinditur à differentiis, quia non est de essentia illarum.

Neque refert, si obiicias, quod genus abstrahitur à speciebus; licèt sit de earum essentia. Respondetur enim, genus propriè loquendo non præscindi à speciebus, sed à differentiis: nam præcisio importat scissionem: quæ necessariò fit inter partes, vt liquet. Dicimus tamen frequenter partem abstrahi à toto, vt lapidem ab aceruo, vel genus à specie; quia in toto datur alia pars, à qua propriè fit separatio: quia vna pars non includitur in alia. Quod quidem conuenit generi, respectu specierum, minimè verò enti respectu inferiorum: & idcircò dicimus in sensu explicato, genus abstrahi à speciebus: non verò ens ab inferioribus.

21 Tertiò probatur: nam si ens haberet conceptum simpliciter vnum, & præcisum; esset vniuocum; consequens est falsum: ergo &c. Sequela ostenditur: quia illa ratio sufficit ad vniuocationem, quæ actu non includit principia distinguentia; licèt illa includat in potentia: vt patet in animali, quod est vniuocum, quamuis includat rationale, & irrationale: eo quod non importat in actu has differentias; sed solùm in potentia: atqui conceptus obiectiuus entis non includeret actu ea, per quæ multiplicatur; aliàs non esset simpliciter vnus: ergo si ens haberet conceptum obiectiuum simpliciter vnum, non posset non esse vniuocum.

Huic rationi occurrit primò Scotus concedendo sequelam, quia penetrauit vim illationis. Cæterùm quàm falsum sit consequens, constat ex præcedenti quæstione, & ex dictis, & dicendis in præsenti: quare in impugnatione illius non immoramur.

Secundò respondent Suarez, & alii Moderni negando sequelam: quia conceptus analogus, qualis est conceptus obiectiuus entis, petit descendere ad inferiora cum inæqualitate, non solùm ex parte inferiorum; sed etiam ex parte ipsius conceptus analogi: quod non habet conceptus vniuocus. Animal enim non petit inæqualitatem, sed tota oritur à differentiis, quibus contrahitur.

Sed contrà: nam, vel conceptus entis, & cuiuslibet alterius analogi importat inæqualitatem actualem, & formalem: vel solùm dicit inæqualitatem potentialem, & radicalem. Si primum: ergo conceptus ille includit differentias, seu principia actu distinguentia, & causantia inæqualitatem illam: ergo non est conceptus simpliciter vnus, & præcisus à differentiis. Secundum autem non tollit vniuocationem, vt patet in animali: id enim, quod est radix principiorum causantium inæqualitatem, etiam est radix ipsius inæqualitatis: sed animal in potentia, & radice continet differentias, à quibus oritur inæqualitas actualis: ergo dicit inæqualitatem potentialem, & radicalem: & tamen est vniuocum: ergo non impeditur vniuocatio per illam inæqualitatem. Vndè qui enti concedunt conceptum obiectiuum simpliciter vnum, inconsequenter defendunt, non esse vniuocum, sed analogum.

22 Quartò probatur nostra conclusio: quoniam si ens diceret conceptum simpliciter vnum, præcisum à Deo, & creaturis, & à substantia, & accidenti; sequeretur aliquid esse prius, & simplicius Deo; & prædicamenta non esse primò diuersa: sed hæc planè sunt falsa: ergo & id, ex quo sequuntur. Sequela quo ad primam partem suadetur: quoniam iam Deus componeretur ex illo conceptu entis, & ex propria differentia, seu modo, sicut ex duobus gradibus, vel partibus metaphysicis: sed omnis pars est prior, & simplicior, quam compositum: ergo aliquid esset prius, & simplicius Deo. Quo ad secundam etiam ostenditur: nam iam prædicamenta essent composita ex illo gradu entis, & ex propriis differentiis, aut modis constitutiuis: ergo conuenient in illo gradu, qui ab aduersariis dicitur simpliciter vnus, & communis; & consequenter non distinguentur se totis, nequè erunt primò diuersa.

Ex quibus satis constat secunda pars conclusionis: Nam si ens non importat gradum aliquem simpliciter vnum, & distinctum ab inferioribus: ergo significat immediatè ipsa inferiora secundùm suas proprias rationes: & cùm aliàs non sit purè æquiuocum; debet importare illa, vt habent inter se aliquam proportionem, vel proportionalitatem.

§. II.

Alia assertio explicans conceptum formalem entis.

23 EX iis, quæ circa conceptum obiectiuum entis stabiliuimus, facilè apparet resolutio legitima quæstionis, quo ad conceptum eius formalem. Prius tamen obseruare oportet, quod conceptus formalis, seu mentalis est duplex: alius perfectus, seu explicitus, & distinctus; alius verò imperfectus, seu implicitus, & confusus. Primus est actus intellectus attingens plura secundùm aliquam vnam rationem; ita quod immediatè, & distinctè repræsentet vnam perfectionem, seu gradum illis communem. Et conceptus hic est simpliciter vnus, non solùm entitatiuè; sed etiam in esse imaginis: quia res repræsentata est simpliciter vna. Posterior autem est actus attingens, & repræsentans plura secundùm aliquam similitudinem proportionalem: quæ proindè non attenditur penès aliquam rationem simpliciter vnam; sed penès vltimas differentias, vt proportionabiliter se habentes. Et hic conceptus, licèt in esse entis sit vnus simpliciter, in repræsentando tamen, & in esse imaginis solùm est vnus secundùm quid: eò quod res repræsentata non est vna simpliciter; sed tantùm proportionabiliter. Quo supposito,

24 Dicendum est secundò, enti non correspondere in intellectu vnum conceptum formalem perfectum; sed imperfectum, & confusum. Sic docet Caiet. *de nominum analogia capit. 4. & 5. & tractatu de conceptu entis*, qui habetur post tractatum de nominum analogia. Quem sequuntur communiter Thomistæ. Probatur: quia ille conceptus formalis est perfectus, qui attingit in obiecto rationem simpliciter vnam, vel plura secundum rationem simpliciter vnam, & sibi communem; ille verò est imperfectus, cui ex parte obiecti correspondent plura simpliciter, quæ duntaxàt sunt vnum proportionabiliter, & secundùm quid: sed ens non habet conceptum obiectiuum simpliciter vnum; sed importat immediatè sua inferiora, vt proportionabiliter se habentia: ergo enti non correspondet vnus conceptus formalis perfectus; sed solùm imperfectus, & confusus. Maior constat ex proximè prænotatis: & minor ex dictis, *§. praeced.*

§. III.

§. III.

Satisfit argumentis contrariæ opinionis.

25 Scotus *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 3. & Suarez *disput.* 2. *Metaph. sect.* 2. adstruunt, ens habere conceptum obiectiuum simpliciter vnum, & præcisum ab inferioribus. Distinguuntur tamen in hoc, quod ille docet, conceptum subiectiuum entis esse vniuocum; iste vero asserit esse analogum. Scoto subscribunt omnes Scotistæ, & Suario plures iuniores.

Probatur primò hæc sententia ex D. Thom. 1. *part. quæst.* 5. *art.* 3. *ad primum*, vbi ait: *substantia, quantitas, & qualitas contrahunt ens, applicando ens ad aliquam quidditatem, seu naturam*: sed nequit dari contractio sine conceptu præciso: ergo ens importat vnum conceptum præcisum ab inferioribus.

Respondetur, quod sicut analogum abstrahit ab analogatis, ita contrahitur ad ea: non quidem tanquam gradus simpliciter præcisus; sed duntaxat penès maiorem, vel minorem expressionem eiusdem gradus, & conceptus: quod est contrahi secundùm quid. Quo pacto ait D. Thomas, ens contrahi ad prædicamenta; quia nimirùm id ipsum, quod significatur imperfectè, & confusè nomine entis, significatur perfectè, & distinctè nominibus substantiæ, quantitatis, qualitatis, &c. Videatur Angelicus Doctor 1. *contra gentes cap.* 25. vbi negat ens posse propriè contrahi per aliquam differentiam: & *quæst.* 1. *de veritate art.* 1. vbi docet, inferiora contrahere ens, non quia addant aliquam naturam; sed *In quantum inferiora entis* (ait) *exprimunt ipsius modum, qui nomine entis non exprimitur.*

26 Secundò arguitur: quia conceptus obiectiuus, de quo intellectus est certus, distinguitur à conceptu, de quo est dubius; sed frequenter cognoscimus aliquam rem esse ens, & dubitamus, an sit substantia, vel accidens, vt experientia constat: ergo conceptus obiectiuus entis distinguitur à conceptibus substantiæ, accidentis.

Respondetur distinguendo maiorem: & si sensus sit, quòd conceptus, de quo intellectus est certus, debeat distingui à conceptu, de quo est dubius: saltem distinctione secundùm quid, & penès maiorem, & minorem eiusdem conceptus expressionem, conceditur: distinctione verò simpliciter tali, & penès duos conceptus, negatur. Quia de eodem conceptu, vt imperfectè, & confusè sumpto potest intellectus esse certus, quod alicui conueniat, dubitans an illi conueniat idem conceptus absolutè, & vt distinctè significatur.

27 Tertiò probatur: quia ens est prius natura, quam substantia & accidens: siquidem ab illo ad vnumquodque ex his determinatè acceptum non valet consequentia: ergo pro illo priori habet conceptum distinctum à conceptibus substantiæ, & accidentis. ¶ Confirmatur primò: quia audito hoc nomine *ens*, mens non distrahitur ad substantiam, & accidens: ergo concipit aliquid illius commune, & ab eis præcisum. Confirmatur secundò: nam primum in quolibet genere est maximè vnum: sed primùm intelligibile est ens: ergo ens est maximè vnum, & dicit conceptum simpliciter vnum.

Respondetur ad argumentum negando consequentiam: nam conuenientia proportionalis, quam substantia, & accidens habent in ente, sicut sufficit, vt sit superiùs secundùm quid; ita etiam sufficit, vt sit prius, & ab eo non valeat consequentia ad aliquod inferius determinatum. Cùm enim idem, quod ens ponit in substantia, ponat proportionabiliter in quantitate, & alijs inferioribus; minimè sequitur ex eo quod aliquid sit ens, esse determinatè substantiam, vel quantitatem. Et hinc etiam oritur, quod audito nomine *ens* intellectus non determinetur, aut distrahatur ad inferiora determinatè accepta: ad hoc enim requirebatur, quod ens significaret plura, vt plura, seu æquiuocè: quod non habet ens, cùm significet plura quatenùs sunt proportionabiliter vnum. Vndè patet ad primam confirmationem.

Ad secundam dicimus, primum in vnoquoque genere via perfectionis, & dignitatis esse maximè vnum; si verò sit primum ordine generationis, & imperfectionis, includere minimam vnitatem: vt constat in materia prima, quæ idcircò gaudet minima vnitate, quia in genere substantiæ est prima via imperfectionis. Noster autem intellectus in suo intelligere procedit de potentia ad actum, & de imperfecto ad perfectum (quod etiam obseruat natura in cuiuslibet compositi generatione) & ideò prius occurrunt illi vniuersaliora, & potentialiora: & primum inter hæc debet vniuersalissimum esse. Hoc autem est ens; quod propterea minimam habet vnitatem, nempè analogicam.

28 Quartò arguitur: quia ens, vt est analogum proportionalitatis ad substantiam v. g. & accidens non significat immediatè solam substantiam; aliàs hæc esset falsa, *Accidens est ens*: neque solum accidens; aliàs hæc etiam esset falsa, *substantia est ens*, neque vtrumque copulatiuè; aliàs hæc propositio, *substantia est ens*: faciet hunc sensum, *substantia est substantia, & accidens*, quod est absurdum: neque tandem significat vtrumque disiunctiuè; aliàs sensus dictæ propositionis erit, *substantia est substantia, vel accidens*, quod est ridiculum. Restat igitur quòd ens significet aliquem gradum communem substantiæ, & accidenti, actu non includentem illa; sed ab eis simpliciter abstractum.

Respondetur, quod ens significat proprias rationes substantiæ, & accidentis non absolutè sumptas; sed vt proportionabiliter similes inter se, neque de eis prædicat proprias rationes coniunctim, aut diuisim acceptas, vt argumentum benè probat; sed prædicat id vnitatis, & similitudinis, in quo conueniunt, siue quod est vtrique proportionabiliter commune. Ad quod opus non est, vt ens habeat conceptum simpliciter vnum; sed sufficit conceptus proportionabiliter vnus. Vndè in hac propositione, *substantia est ens*, de substantia absolutè sumpta prædicatur ens, quod includitur in substantia, vt est proportionabiliter simile accidentibus: & cum dicimus, *accidens est ens*, de accidenti absolutè accepto prædicatur ratio accidentis, vt est similis proportionabiliter substantiæ. Quod sufficit, vt prædictæ prædicationes non sint identicæ: quia res, vt similis alteri abstrahit vtcumque, & est superior ad se ipsam absolutè consideratam. Ens ergo in dictis propositionibus significat id, quod est, vel quod habet esse commensuratè ad propriam essentiam: quod prædicatur de substantia, & accidenti, non cum omni identitate rationis; sed cum æqualitate proportionis. Et hic est modus proprius quo prædicatur analogum proportionalitatis propriæ & per quem distinguitur ab vniuoco, & æquiuoco, vt suprà diximus *disp.* 10. *num.* 24.

29 Vltimò arguitur: quoniam omnia entia realia debent habere aliquam similitudinem in ente; aliàs ens erit purè æquiuocum ad illa: ergo poterit intellectus abstrahere ab eis id, quod est similitudinis, & conuenientiæ; prætermittendo id, quod est dissimilitudinis, & diuersitatis: ergo ens vere habet gradum vnum, & abstractum, eum nempè, in quo conueniunt inferiora eius.

Huic argumento, quo vt præcipuo vtitur Suarez, respondetur omnia entia in ratione entis habere similitudinem proportionalem, & secundum quid: quæ sufficit ad impediendam puram æquiuocationem. Conuenien-

tia autem, & similitud. proportionalis ex sua ratione formali importat diuersitatem simpliciter: quoniam non fundatur supra gradum vnum, sed supra proprias aliquorum differentias, vt sunt radices similium proportionum. Et ideò quod ibi apparet vnitatis, & conuenientiæ intimè claudit in actu diuersitatem simpliciter. Vndè solùm sequitur omnia entia realia habere conceptum obiectiuum, qui sit vnus, & abstractus secundum quid.

QVÆSTIO V.

Qua analogia ens sit analogum respectu suorum inferiorum?

Constat ex hactenùs dictis, ens non esse purè æquiuocum, nequè vniuocum: vndè necessariò sequitur, esse analogum. Superest, vt videamus, qua analogia: quod breuiter in hac quęstione pręstare curabimus.

§. I.

Expeditur difficultas tribus conclusionibus.

30 Dicendum est primò, ens respectu Dei, & creaturarum esse analogum vtraque analogia, attributionis nempè, & proportionalitatis propriæ. Hæc assertio est communis inter Thomistas, vt testatur Araujo 4. *Metaph. qu.* 3. *art.* 3. Prima pars probatur: quia Deus est ens per essentiam: creaturæ verò dicuntur entia per participationem, & denominantur extrinsecè entia ab entitate Dei, vt eius effectus, & vestigia: sed hæc requiruntur, & sufficiunt ad analogiam attributionis: ergo ens est analogum attributionis respectu illorum.

Secunda pars etiam ostenditur: quia ratio entis intrinsecè, & formaliter inuenitur in creatura: sed hoc non conuenit enti, quatenùs est analogum attributionis, vt constat ex dictis *disp.* 10. *num.* 17. ergo quatenùs est analogum proportionalitatis. ¶ Confirmatur: quia similitudo proportionalis non minuitur per distantiam, vt vidimus suprà *n.* 9. ergo quamuis Deus, & creatura infinitè distent, adhuc sunt similes proportionabiliter: ergo ens respectu eorum est analogum proportionalitatis propriæ.

31 Dicendum est secundò, ens esse etiam analogum attributionis, & proportionalitatis propriæ respectu substantiæ, & accidentis. Prima assertionis pars traditur ab Arist. 4. *Metaph. text.* 3. & à D. Thom. *ibi lect.* 1. quibus subscribunt omnes Thomistæ. Suadetur: quia accidentia in ratione entis dependent essentialiter à substantia, & per illam definiuntur, & ad ipsam, vt ad finem ordinantur: ergo ens est analogum attributionis ad illa. Patet consequentia: nàm proprium est analogiæ attributionis causati per dependentiam ab vno; & attributionem ad illud. Confirmatur: nam, vt sæpè diximus, substantia dicitur ens, quasi habens esse; accidentia vero appellantur entia; quia sunt eius dispositiones, &c ergo dicuntur extrinsecè entia per attributionem ad substantiam.

Secundam partem docet D. Dhom. 12. *Metaph. lect.* 4. & facilè conuincit hæc ratio: nam conceptus entis intrinsecè inuenitur in accidentibus, aliàs hæc à parte rei essent nihil: ergo inter entitatem eorum, & entitatem substantiæ potest attendi vera, & propria proportionalitas; ergo ens est analogum proportionalitatis propriæ respectu illorum.

32 Dicendum est tertiò, ens respectu entis realis, & rationis esse analogum vna, & altera analogia. Probatur: nam in primis ens rationis definitur per ens reale; ab eoque in suo esse dependet: ergo dicitur ens per attributionem ad ens reale: ergo ens vt sic est analogum attributionis ad illa. Deindè constat ex dictis *disput.* 2. *num.* 7. quod essentia entis rationis non consistit in pura denominatione extrinseca; sed in aliquo esse ficto, quod per modum formæ intrinsecæ denominat res: ergo ratio entis intrinsecè inuenitur in ente rationis: ergo sicut ens reale se habet ad suum esse verum; ita ens rationis ad suum esse fictum: & consequenter ens respectu illorum erit analogum, proportionalitatis propriæ.

33 Suarez *disput.* 28. *Metaphys. sect.* 3. *num.* 11. & *disp.* 32. *section.* 2. *num.* 10. negat ens esse analogum proportionalitatis propriæ, tàm respectu Dei, & creaturarum, quàm respectu substantiæ, & accidentis. Et mouetur primò; quia nomen analogum proportionalitatis propriæ non significat analogata vnica impositione, sed pluribus: at hoc non conuenit enti respectu Dei, & creaturarum, nequè respectu substantiæ, & accidentis: ergo &c. Secundò: quia omnis vera proportionalitatis analogia includit aliquid metaphoræ, & impropriętatis: aliàs coincideret cum vniuocatione: sed ens prædicatur propriè, & absque metaphora de Deo, & creaturis, & de substantia, & accidenti: ergo non est analogum proportionalitatis propriæ respectu illorum.

Sed hæc leuia sunt: ad primum enim respondemus, maiorem esse veram de analogo proportionalitatis metaphoricæ; non verò de analogo proportionalitatis propriæ: eò quod maior vnitas reperitur in hac analogia, quam in illa. ¶ Ad secundum neganda est maior: cuius probatio peccat non distinguens radicem vniuocationis, & analogiæ proportionalitatis propriæ. Videantur supra dicta *disp.* 10. *n.* 27.

34 Caietanus *cap.* 2. *de ente, & essentia, quæst.* 3. *conclus.* 2. asserit, ens respectu Dei, & creaturarum solum esse analogum proportionalitatis propriæ, non verò attributionis, seu proportionis. Cui sententiæ expressè opitulari videtur D. Thom. *qu.* 2. *de veritate art.* 11. vbi negat, creaturas conuenire per proportionem cum Deo in aliquo conceptu. Quod suaderi potest ratione Sancti Doctoris: quia inter ea, quæ habent proportionem, debet esse determinata distantia, seu habitudo determinati excessus, vt patet in numeris: sed inter Deum, & creaturas datur infinita distantia, & habitudo excessus infiniti: ergo nequè in ratione entis, nequè in alia ratione possunt conuenire per proportionem.

Respondetur, quod sicut mensura, ita etiam proportio est duplex. Nam alia est passio quantitatis, & cui proportionis nomen primò impositum est: & hæc petit determinatum excessum extremorum, quia vt Mathematici definiunt, est *Certa duarum quantitatum habitudo*. Alia vero non est passio quantitatis; sed ad alia prędicamenta consequitur, & importat habitudinem vnius rei ad aliam, ratione dependentiæ in aliquo genere causæ: per quod, licèt illi non adæquetur, vtcumque tamen assimilatur. Et hæc non postulat determinatum excessum extremorum; sed quod vnum respectu alterius habitudinem imperfectæ similitudinis importet; nam omnis huiuscemodi similitudo, proportio communiter appellatur. Mens igitur D. Thomæ solum est, non dari priorem proportionem inter Deum, & creaturam; quod ratione ab ipso adducta satis conuincitur; posteriorem autem nequaquam excludit; imò potius illam expressè concedit 1. *p. q.* 13. *a.* 5. & *q.* 7. *de potentia, a.* 7.

35 Sed ad perfectam comprehensionem analogiæ aliorum nominum, quæ possunt Deo, & creaturis at-

tribui,

tribui, obserua ea esse in quadruplici differentia. Alia significant infinitam perfectionem, vt *omnipotens*, *æternus*: & hæc sunt propria Dei, nequè tribuuntur creaturis. Alia significant imperfectionem, vt *finitum*, *temporale*: & hæc nequeunt attribui Deo; sed sunt propria creaturarum. Alia significant perfectionem, sed finitam, vt *leo*, *petra*: & hæc propriè prædicantur de creaturis; de Deo autem impropriè, & per metaphoram. Alia deniquè significant perfectionem absolutè non determinando, quòd sit infinita, vel limitata, vt *ens*, *sapiens*; *bonus*, & similia: quæ propriè de Deo, & creaturis prædicantur, & sunt analoga respectu eorum. Quæ; si præcisè ad rem significatam attendamus, per priùs dicuntur de Deo, quam de creaturis: si verò modus significandi præcipuè consideretur, quia hunc semper comitatut aliqua imperfectio; priùs dicuntur de creaturis. Videatur D. Thom. 1. *p. quæst.* 13. *art.* 6.

§. II.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

36 EX dictis in hac *disp.* infertur primò solutio quæstionis, quam excitant aliqui Moderni inquirentes: an analogia entis causetur per dependentiam, vel transcendentiam. Ad quam breuiter respondemus, analogiam attributionis, quam habet ens respectu inferiorum, non causari per transcendentiam, sed per dependentiam, quam in sua entitate habent minùs principalia analogata ab entitate principalioris. Hæc namquè fundat attributionem analogicam; ad quam prorsùs de materiali se habet transcendentia entis. Analogia verò proportionalitatis, qua etiam ens est commune suis, inferioribus, non ex dependentia; sed ex transcendentia illius radicaliter prouenit. Nam, & si ad saluandam hanc analogiam non sit per se necessaria transcendentia, cùm plerumquè inueniatur inter numeros, & alias res vniuocè conuenientes, de facto tamen ideò inferiora entis conueniunt proportionabiliter in ente, quia per ea transcendit. Ex hoc quippè tanquam ex radice prouenit, quòd in illius ratione ita sint primò diuersa, quod simul inter illa secundùm se tota, detur vera conuenientia proportionalis:

Infertur secundò, suprema genera, seu prædicamenta esse conceptus simplices. Cuius ratio est, quia ens (quod solùm potest esse superiùs ad prædicamenta) non significat gradum simpliciter vnum, in quo prædicamenta conueniant: ergo nequit intellectus fundare in illis compositionem ex duobus gradibus, sicut fundat in aliis generibus. Vndè licèt apprehendamus prædicamenta componi ex ente, & peculiari modo vniuscuiusque: id non prouenit ex diuersitate graduum in obiecto; sed quia non valemus res absque aliqua compositione concipere. Ex quo vlteriùs sequitur, prædicamenta esse primò diuersa, & differre se totis: siquidem non important diuersos conceptus, quorum in vno conueniant, & in alio distinguantur.

Infertur tertiò, ens non ideò dici transcendens respectu prædicamentorum, quia includatur in vltimis eorum differentiis; cùm illas non habeant, vt explicatum est: sed quia significat immediatè inferiora secundùm omnem rationem in eis inuentam, & non aliquem gradum illis communem. Vndè transcendentia meliùs explicatur per negationem, dicendo transcendens esse illud, quod ita rebus conuenit, vt nihil in eis inueniatur, de quo formaliter non prædicetur. Ex quo fit, quòd in rebus habentibus differentias transcendens prædicetur de illis.

37 Infertur quartò, ens non solùm, vt abstrahit à completo, & incompleto; sed etiam ens completum esse transcendens respectu prædicamentorum. Ratio est: quia nihil in eis reperitur, de quo ens completum formaliter non prædicetur: siquidem non habent partes, ex quibus componantur; sed sunt entia simplicia, & completa.

Infertur quintò, accidens vt sic non esse vniuocum, sed analogum respectu nouem prædicamentorum accidentium. Tùm quia est transcendens respectu illorum, cùm nihil in eis inueniatur, de quo accidens formaliter non prædicetur: constat autem ex dictis, transcendentiam alicuius conceptus non compati cum illius vniuocatione: ergo accidens vt sic non est vniuocum, sed analogum. Tùm etiam quia accidens vt sic non significat gradum aliquem præcisum à nouem prædicamentis; aliàs esset genus ad illa; quod est falsum, cùm ipsa sint prima, & suprema genera. Est ergo accidens analogum proportionalitatis propriæ respectu illorum, cùm omnia sint intrinsecè accidentia; & ratio accidentis, seu entis in vno, sit eadem proportionabiliter in omnibus. Analogia verò attributionis inter hæc nouem prædicamenta non inuenitur; quia accidentia non dicuntur talia per habitudinem ad vnum, & nobilissimum accidens; sed per respectum ad substantiam.

Infertur vltimò, diuisionem entis in decem prædicamenta æquè immediatam esse, ac est eiusdem diuisio in substantiam, & accidens. Quod traditur à D. Thom. *opusc.* 42. *cap.* 3 & ratione clara suadetur; quia accidens non importat aliquem gradum medium inter ens, & quantitatem, qualitatem, & alia prædicamenta accidentium; sed omnia nouem genera immediatè significat; ergo æquè immediatè diuiditur ens vtraq; diuisione.

QVÆSTIO VI.

Quomodò aliqua dubia antepredicamentalia expedienda sint?

38 AD complementum huius disputationis aliqua examinanda supersunt, à quibus tamen, quia leuia sunt, breuiter nos expedire curabimus. Et ideò omnia sub vna hac quæstione comprehendimus; ne in iis, quæ minoris momenti sunt, plus temporis quam ratio postulat, insumatur.

§. I.

Explicatur, quæ entia, & quomodò collocentur in prædicamentis.

CVm certum sit apud Dialecticos, *prædicamentum esse seriem, & coordinationem prædicabilium*: certum pariter debet esse, ea per se collocari in prædicamentis, quæ sunt simpliciter prædicabilia, & inter quæ potest esse cordinatio essentialis: verba enim in definitione stant simpliciter. Quapropter in recta linea prædicamenti solùm collocantur entia per se, completa, incomplexa, vniuoca, & essentialia: ab eaque proindè remoueri debent entia per accidens, incompleta, complexa, æquiuoca, analoga, & prædicata accidentalia. Cujus ratio est: quia priora duntaxat entia habent esse prædicabilia simpliciter, & important essentialem coordinationem superioris, & inferioris inter se: posteriora autem in prima, vel in secunda conditione deficiunt, vt con-

consideranti constabit.

Hinc etiam fit, differentias essentiales à recta prædicamenti linea excludendas esse. Tùm, quia non prædicantur omninò in *quid*, seu essentialiter; sed in *quale quid*, & per modum alteri adiacentis. Tùm quia non sunt inferiora generis, cum illud formaliter non includant; neque superiora respectu speciei, sed illi æquales: ac proindè inter eas, & alia prædicata essentialia non datur essentialis coordinatio. Cæterùm quia solùm ex modo significantur, vt alteri adiacentes; nam res significata est tota essentia: idcircò inter ea, quæ reductiuè ponuntur in prædicamentis, differentiæ nobiliorem vendicant locum, videlicet ad latus speciei, quam constituunt.

39 Quomodò autem res collocentur in prædicamento, an scilicet in concreto, an in abstracto: satis constat ex dictis *disp.* 4. *num.* 21. vbi determinauimus in Prædicamento substantiæ collocari propriè, & per se concreta; abstracta verò solum reductiuè: & è contrà in Prædicamentis accidentium; ibiquè aperuimus radicem huius diuersitatis. In præsenti solùm obseruare oportet, Caietanum *cap.* 7. *de Ente, & essentia*, asserere concreta accidentium, secundùm quod spectant ad Metaphysicum, directè collocari in prædicamentis: quia Metaphysicus solùm attendit ad res significatas: & concreta accidentium ex parte rei significatæ sunt entia per se. Hæc autem sententia, licèt veram contineat doctrinam; parùm tamen necessaria est, & minus firmitatis habet. Quare in ea explicanda non immoramur; sed standum est communi doctrinæ, quam *loco citato* statuimus, & sine distinctione tradunt Arist. 3. *Topic. cap.* 1. D. Thom. *c.* 7. *de Ente, & essentia*, & *opusc.* 42. *cap.* 19. & communiter Dialectici.

§. II.

Proponitur numerus Prædicamentorum.

40 Magna fuit apud antiquos Philosophos de numero prædicamentorum dissensio: vera tamen, & communis sententia obtinuit prædicamenta esse decem. Quam primus docuit Architas Tarentinus: cui subscribens Aristoteles tantam huic opinioni conciliauit auctoritatem; vt quamuis nequeat euidenti ratione stabiliri, iam tamen paradoxum esset illi repugnare, vt inquit Auicenna 7. *Metaph.*

Sufficientiam huius diuisionis satis congruenter deducit Angelicus Doctor 5. *Metaph. lect.* 9. & 3. *Physic. lect.* 5. Ex cuius verbis ista ratio depromitur: quia prædicamentum est series prædicabilium, ac proindè tòt erunt prædicamenta, quòt potuerint formari series, vel coordinationes prædicabilium: sed hæc sunt decem: ergo etiam prædicamenta sunt decem. Minorem probat D. Thom. ex diuerso modo prædicandi rerum, qui consequenter arguit diuersum modum essendi; & vtitur hoc discursu. Quia prædicatum tripliciter potest se habere ad primam substantiam, seu indiuiduum. Vno modo, quando prædicatum, & subiectum sunt idem; tàm ex modo significandi, quàm ex parte rei significatę, vt cum dicimus: *Petrus est homo*. Et hæc prędicata constituunt prædicamentum *substantiæ*. Secundò modo, cùm prædicatum sumitur secundùm quod inest subiecto. Et tunc, vel prædicatum inest subiecto absolutè, vt consequens materiam, & sic est *quantitas*: vel vt consequens formam; & sic est *qualitas*: vel inest non absolutè; sed in ordine ad aliud, & sic est *relatio*. Tertiò modo cum prædicatum sumitur ab eo, quod est extra subiectum: & hoc dupliciter. Vno modo si id, à quo sumitur prædicatum, non sit omninò extra subiectum; sed secundùm aliquid est in illo, & tunc, si sit secundùm principium est *actio*; si verò secundùm terminum est *passio*. Alio modo, si id, à quo sumitur prædicatum sit omninò extra: & tunc, si non est mensura prædicatur per modum *habitus*. Si verò sit mensura, cùm mensura extrinseca sit tempus, & locus; ex tempore sumitur *quandò*: & ex loco *vbi*, non considerato ordine partium in loco: eo autem considerato erit *situs*: ergo denarius prædicamentorum numerus legitimè designatur. In præsenti autem non determinamus, qualis sit inter prędicamenta distinctio: quia id fusius pręstabimus *disp.* 14.

§. III.

Examinatur, an inhærentia sit de essentia accidentium.

Illud propriè dicitur *inhærere*: seu *inesse*, quod est in alio, sicut in subiecto, à quo sustentatur. Vndè cùm omnia accidentia sint in substantia, ab eaquè sustententur; omnia dicuntur illi inhærere, omnibusquè proindè communis est *inhærentia*, quæ est abstractum illius concreti *inhærere*. Porrò hæc inhærentia est duplex: alia *actualis*, nempè cum accidens actu est in subiecto: alia verò *aptitudinalis*, cùm scilicet consideretur in accidenti aptitudo, seu propensio ad inhærendum. Et ideo dubitari potest, quænam ex iis sit de essentia accidentium. Quæ difficultas pertinet ad anteprædicamenta, quia eius resolutio communis est nouem generibus accidentium.

41 Dicendum ergo est, solam inhærentiam aptitudinalem esse de essentia accidentium. Hanc assertionem statuit D. Thom. *in* 4. *d.* 12. *q.* 1. *art.* 1. *quæstione* 1. *ad* 2. his verbis: *Esse in subiecto non est definitio accidentis; sed è contrario res, cui debetur esse in alio; & hoc nunquam seperatur ab aliquo accidenti; neque separari potest; quia illi rei, quæ est accidens secundùm rationem suæ quidditatis semper debetur esse in alio*. Angelico Doctori subscribunt Thomistæ, & communiter Auctores.

Probatur primò, & principaliter fundamento desumpto ex mysterio Eucharistiæ. Nam ibi accidentia panis, & vini sustentantur absque substantia, quæ est eorum proprium, & connaturale subiectum *quod*: sed implicat rem conseruari sine propria essentia: ergo esse actu in subiecto non est de essentia accidentium.

Respondebis hinc solùm conuinci, quod inhærentia non sit de essentia quantitatis; minimè verò, quòd non pertineat ad quidditatem aliorum accidentium: ista enim sunt in quantitate, et illi inhærent.

Sed contrà: nam esse in subiecto conuenit quantitati, et reliquis accidentibus ex communi ratione accidentis: ergo si non est de essentia quantitatis, non est de conceptu quidditatiuo accidentis. Prætereà; accidentia non respiciunt quantitatem, vt connaturale subiectum *quod*; sed solum, vt subiectum *quo*; quia sustinere alia, est existentis per se, quod quantitati nequit conuenire, sed soli substantię: ergo omnia illa accidentia conseruantur absque inhęrentia ad proprium subiectum. Porrò inhęrentia ad subiectum sustentans supernaturaliter, et per miraculum non potest esse de essentia accidentis: cùm essentia rei sit illi maximè connaturalis: ergo si inhęrentia actualis esset de essentia accidentium; deberet exerceri in substantia, et non solùm in quantitate.

42 Secundò probatur: quia inhęrentia, vel est existentia accidentium in subiecto; vel vnio illorum ad subiectum: sed neutrum est de essentia accidentium: siquidem existentia est extra essentiam creaturę, et vnio distinguitur ab accidentibus; ergo inhęrentia actualis non

non potest ad illorum essentiam pertinere. Maneat igitur accidentium quidditatem consistere in sola aptitudine, et propensione ad essendum in substantia, vt in subiecto sustentationis.

Sed obijcit Scotus *in 4. dist. 2. q. 1.* vtramque inhęrentiam esse relationem; sed essentia accidentis in communi non consistit in relatione; cùm plura sunt entia absoluta; ergo quidditas accidentis non consistit in aliqua ex prędictis inhęrentiis:

Respondetur, quod nomine *inhærentiæ* non intelligimus relationem prędicamentalem, quam fatemur non esse de conceptu omnis accidentis; sed intelligimus fundamentum eius, quod explicamus per respectum transcendentalem accidentis ad substantiam. Quòd si Scotus nomine inhęrentię non hoc, sed relationem prędicamentalem concipiat; erit cum ipso contentio solùm de voce; in qua tamen nulla ratione conuincet, inhęrentiam esse nomen relationis.

DISPVTATIO XII.

De prædicamento substantiæ.

1 ABSOLVTIS iis, quæ ad prædicamentorum notitiam necessariò prælibanda sunt, & propterea *antepredicamenta* appellantur; differit Aristoteles de vnoquoque prædicamento in particulari per quinque sequentia capita huius libri. In quorum primo (quod est quintum secundùm ordinem operis) agit de prædicamento substantiæ: partiturquè Arist. caput istud in tres partes. In prima, subintellecta diuisione substantiæ in primam, & secundam, vtramque definit dicens, *Substantia, quæ propriè primò, & maximè dicitur* (nempè prima, seu singularis) *est, quæ nequè de subiecto aliquo dicitur, nequè in subiecto aliquo est. Secundæ verò substantiæ sunt genera, & species, in quibus insunt primæ.* ¶ In secunda parte ipsas substantias inter se comparat, asserens primas substantias, esse magis substantias, quàm secundas, quia pluribus substant: ex secundis verò species esse magis substantias, quàm genera, quia propinquiores sunt primis substantiis: inter ipsas autem species ad inuicem comparatas, vnam non esse magis substantiam, quam aliam, quia non habent inæqualitatem in modo substantiandi aliis. Quod etiam habent primæ substantiæ, si inter se comparentur. ¶ In tertia tandem parte sex proprietates substantiæ enumerat. Pro quibus, & aliis quæ ad hoc prædicamentum pertinent, exponendis præsentem instituimus disputationem: in qua dumtaxàt examinabimus, quæ sunt dialectici instituti, plura alia omittentes, quæ de substantia, & existentia disputant Metaphysici; & ab aliquibus in præsenti inducuntur intempestiuè.

QVÆSTIO I.

Quenam sit formalis ratio constitutiua substantiæ?

2 AD tituli, et quęstionis intelligentiam obseruandum est, substantię nomen impositum fuisse huic prędicamento ex duplici eius munere, seu proprietate, nempè subsistendi in se, et substandi aliis, vt notat D. Isidorus *lib. 2. originum, cap. 27. & lib. 1. similitudinum cap. 4.* Ex quibus *subsistere* importat esse per se, independenter ab alio, sicut à sustentante; *substare* verò est fulcimentum aliis prębere, vt subiectum eorum. Hinc triplex acceptio substantię orta est. *Primò* enim accipitur pro qualibet essentia, etiam accidentium; eò quod essentia substat suis passionibus. *Secundò* sumitur magis propriè pro entitate distincta ab accidentibus: hęc enim non substant aliis simpliciter, sed solùm secundùm quid. Et hoc pacto materiam, & formam, & modos substantiales appellamus substantias. *Tertiò* sumitur propriissimè pro entitate, quæ simpliciter existit per se, & independenter ab alio, non solùm sicut à subiecto; sed etiam sicut à comparte, seu concausa suæ existentiæ: habetquè consequenter substare simpliciter accidentibus. Et hac ratione importat dumtaxàt substantiam completam, quæ pertinet directè ad hoc prædicamentum. Cujus proprium constitutiuum, & essentialem rationem in præsenti inuestigamus.

§. Vnicus.

Proponitur, & explicatur communis sententia.

3 DIcendum est primò, substantiam non constitui in sua essentia per negationem essendi in alio; neque per hoc, quod est substare accidentibus. Ita docent communiter Dialectici; videatur Masius hic *sect. 2. quaest. 5.* Probatur quoad primam partem: quia in qualibet re essentia est omnium primum, à qua oriuntur cætera, quæ cum illa connectuntur: sed nulla negatio potest esse primum, quod inuenitur in re: ergo negatio essendi in alio nequit substantiam essentialiter constituere. Minor constat: quia omnis negatio innititur alicui affirmationi, & causatur ab ea, vt patet inductione: ideò enim Petrus non est equus, quia est homo, & sic de aliis. ¶ Confirmatur: nam ens positiuum non constituitur per negationem, vt patet ex terminis: sed substantia est ens positiuum; & perfectissimum: ergo non constituitur in sua essentia per negationem.

Ex quibus suadetur secunda pars conclusionis: quia substare accidentibus non est primum, quod inuenitur in substantia: ergo non constituit illam. Antecedens patet: tum quia prius est, rem esse in se, & per se, quam sustentare alia: tùm etiam quia non ideò substantia existit per se, quia substat accidentibus: sed è contra, ideò substat illis, quia est per se. ¶ Confirmatur. Si substantia constitueretur essentialiter per hoc, quod est substare accidentibus, non posset definiri essentialiter; nisi per habitudinem ad illa; quia non potest intelligi hæc sustentatio absque respectu ad accidentia: sed in definitione substantiæ non ponitur accidens, vt docet Arist. 7. *Metaph. cap. 1.* cùm substantia intra proprium prædicamentum habeat complete suam essentiam; & non ex additione, sicut accidentia: ergo subjici, vel substare accidentibus non est constitutiuum substantiæ.

4 Dicendum est secundò, essentiam substantiæ prædicamentalis consistere in eo, quod sit ens, cui debetur existentia per se, prout opponitur existentiæ in alio. Hæc assertio est etiam communis inter Doctores, & sumitur ex libro de causis, vbi definitur hoc prædicamentum sic: *Substantia est, quæ per se stat*, & ex D. Thoma *in 4. d. 12. q. 1. art. 1. quæstiuncula 1. ad 2*, vbi docet definitionem substantiæ esse, quod sit *res, cui debetur esse per se*: sicut definitio accidentis est *res, cui debetur esse in alio*. Explicatur conclusio: nam ly *per se* potest sumi tripliciter. *Primò*, vt significat quod habet vnam essentiam, & distinguitur contra ens per accidens: quo pacto esse ens per se conuenit omnibus prædicamentis, & non est proprium constitutiuum substantiæ. *Secundò*, vt distinguitur contra *per aliud*, vel *ab alio*, & significat ens à se: & hac ratione nulli creaturę conuenit esse ens per se; sed soli Deo: & consequenter nequit constituere hoc prędicamentum. *Tertiò* denique sumitur esse per se, vt distinguitur ab *esse in alio*, quod est proprium accidentium: & sic *ens per se* significat id, quod ex natura sua postulat stare per se, & independenter ab alio, sicut à sustentante. Et in hoc sensu asserimus, propriam rationem essentialem substantię sitam esse in eo, quod sit ens per se, vel ens cui debetur esse per se.

Quod sic suadetur: nam substantia, & accidens constituuntur per modos essendi oppositos, quibus diuidunt ens immediatè, & adęquatè: sed accidens constituitur per habitudinem ad essendum in alio, sicut in subiecto; vel per esse quidditatem, cui debetur inherentia in alio: ergo substantia constituitur per esse *per se* aptitudinaliter, siue per esse rem, cui debetur per se existere independenter ab alio. Quod, simpliciter loquendo, solùm conuenit substantię completę, quę per se pertinet ad hoc prędicamentum: partes enim, & modi, seu termini substantiales, licèt non dependeant ab alio sicut à subiecto inhęrentię; dependent tamen ab alio in existendo, vel sicut à comparte, vel sicut ab essentia, quam modificant: & ideò simpliciter loquendo non sunt entia per se.

5 Aduersùs communem sententiam à nobis stabilitam duplex militat opinio. Prima docet, substantiam constitui per negationem essendi in alio. Ita Soncinas 5. *Metaph q. 24.* Et suadetur: quia ratio constitutiua substantię addit aliquid suprà ens: sed non addit illi aliquid reale positiuum: ergo solùm addit negationem essendi in alio. Probatur minor: tùm, quia ens imbibitur intimè in qualibet re; ergo nihil reale superadditur enti. Tum etiam, quia aliàs committeretur nugatio in definitione substantię; siquidem bis poneretur ens, si ly *per se* diceret aliquid positiuum includens ens.

Respondetur, quod substantia non dicitur addere suprà ens, quia ibi dentur duo conceptus, quorum vnus addatur alteri; sed quia explicat proprium modum, qui nomine entis non exprimitur. Vnde cùm prędictus modus ponatur explicitè in definitione substantiæ, nec aliàs explicetur nomine entis, quamuis in ente includatur: propterea nulla incurritur nugatio in dicta definitione. Per quod patet ad vtramque probationem. Addimus etiam ideò definitiones prædicamentorum non esse rigorosas, quia traduntur per rationem entis: quæ tamen nequit in definitionibus rigorosis apponi loco generis cùm transcendat differentias.

6 Secunda sententia asserit, substantiam prædicamentalem constitui per munus substandi accidentibus. Ita Boëtius, & alij, quos refert N. Didacus à Iesu *disputatione duodecima, quæstione prima*. Probatur: quia substantia dicitur à substando accidentibus, vt *suprà* diximus: ergo eius essentia consistit in hoc officio substandi. ¶ Confirmatur: quia ex eo probat Aristot. primas substantias esse magis substantias, quam secundas, quia pluribus substant; ergo sentit essentiam substantiæ consistere in hoc, quod est subiici accidentibus: aliàs eius ratio nullius roboris esset.

Respondetur argumentum desumptum ab etymologia non esse efficax: nam sæpè significamus essentiam per nomen deriuatum ab aliqua proprietate, vel operatione essentiæ, vt contingit in præsenti. Præterquamquod nomen substantiæ etiam deriuatur à per se stando, seu subsistendo, vt ex D. Isidoro vidimus *in principio quæstionis.* ¶ Ad confirmationem dicimus, rationem illam esse à posteriori ex proprietate substandi ad essentiam substantiæ: quare neque inefficax est, neque nobis opponitur.

QVÆSTIO II.

Qualis sit diuisio substantiæ in primam, & secundam?

SVpponimus, diuisum huius diuisionis esse substantiam completam, directè in hoc prædicamento collocabilem, quatenùs abstrahit à substantia prima, & secunda. Sed quia prædicta substantia potest accipi, vel secundùm suam essentiam, vel secundùm reale munus proprietatem substandi accidentibus, vel secundùm intentionem rationis, à qua denominatur subiectum prædicationis: idcircò dubium est iuxta quam rationem diuidatur

datur substantia in primam, & secundam; & consequenter qualis sit ista diuisio.

§. vnicus

Resoluitur difficultas.

7 Dicendum est primò, diuisum in hac diuisione esse substantiam secundùm suam essentiam consideratam, diuidiquè in duos modos subsistendi, nempè particulariter, & vniuersaliter; ex quibus prior est realis, quem suppositum addit suprà naturam; posterior verò est accidens rationis, à quo substantia constituitur in esse vniuersalis. Hæc assertio sumitur ex D. Thom. cuius verba dabimus conclusione secunda; & est satis communis inter Thomistas. Videantur Zanardus 5. *Metaph. quæst.* 14. Arauxo *ibidem quæst.* 2. *art.* 1. & 2.

Probatur ratione: quia diuisum in hac diuisione est substantia secundùm illam rationem, qua ponitur in prędicamento: sed substantia ponitur in prædicamento: ratione suæ essentiæ: ergo secundùm illam est diuisum in hac diuisione: at subsistere per se (in quo substantiæ essentia consistit) contrahitur per subsistere particulariter in indiuiduis, & per subsistere vniuersaliter in intellectu: ergo substantia secundùm essentiam accepta, diuiditur in prædictos modos subsistendi particulariter, & vniuersaliter.

8 Vndè dicendum est secundò, prædictam diuisionem esse simpliciter diuisionem subiecti in accidentia, & secundum quid analogi in analogata. Hæc est procul dubio mens D. Thom. *q.* 9. *de potentia art.* 2. *ad* 6. vbi inquit: *Cùm diuiditur substantia in primam, & secundam non est diuisio generis in species: sed est diuisio generis secundum diuersos modos essendi. Nam secunda substantia significat naturam generis secundùm se absolutam; prima verò significat eam, vt indiuidualiter subsistentem. Vndè magis est diuisio analogi, quam generis.* Vbi non dixit Angelicus Doctor absolutè, diuisionem esse analogam: quia præmiserat fieri per diuersos modos; quo pacto diuisio est simpliciter subjecti in accidentia: sed dixit magis esse analogi, quàm generis; quoniam magis accedit ad diuisionem analogam, quam, ad vniuocam.

Probatur conclusio ratione desumpta ex verbis D. Thomæ: quia modus subsistendi particulariter, & modus subsistendi vniuersaliter se habent, vt accidentia respectu substantiæ sumptæ secundùm suam essentiam; cùm existere particulariter à parte rei, & existere vniuersaliter in intellectu sint extra conceptum quidditatiuum substantiæ: ergo diuisio illius in prædictos modos est absolutè diuisio subjecti in accidentia. Cumquè aliàs modus subsistendi particulariter sit realis, & perfectus; modus verò essendi vniuersaliter sit dumtaxat intentionalis, & imperfectus: planè fit dictam diuisionem esse quodammodò analogi in analogata.

9 Aliter alij Auctores diuisionem istam exponunt: sed quia eorum expositio, licèt aliàs probabilis, menti Arist. non congruit, ideò à nobis omittitur in præsenti. Maximè cùm nullum alicuius roboris argumentum adducant, cui opus sit satisfacere. Occurrunt tamen duæ objectiones, quas oportet in præsenti diluere; quia doctrinam suprà stabilitam impugnare videntur.

Objicies ergo primò: quia membra diuidentia debent esse opposita, & mutuò se excludere: sed prima, & secunda substantia non opponuntur, imò vna includitur in alia, & prædicatur de illa: ergo non rectè diuiditur substantia in primam, & secundam. Probatur minor: nam homo, & animal, quæ sunt secundæ substantiæ, verè sunt in Petro, qui est prima substantia, & prædicantur de illo.

Respondetur negando minorem, ad cuius probationem dicimus secundam substantiam formaliter sumptam non includi, neque prædicari de prima; quia dicit modum intentionalem subsistendi vniuersaliter, secundùm quam non includitur in inferioribus: Vndè hæc est falsa, *Prima substantia est secunda substantia*: vel, *Petrus est homo subsistens vniuersaliter in intellectu*. Illa igitur dumtaxàt natura, quæ materialiter, & denominatiuè dicitur secunda substantia, est quæ prædicatur de prima, vt homo de Petro: sed prout sic non est membrum diuidens, sed potiùs diuisum; quia est substantia secundùm essentiam, & vt præuenit modos primæ, vel secundæ.

10 Objicies secundò: nam quocumque modo sumatur diuisum huius diuisionis coincidit cum vno membro diuidenti: ergo hæc diuisio est defectuosa. Suadetur antecedens: nam diuisum debet esse substantia vt sic: ergo substantia communis, vel vniuersalis: ergo coincidit cum secunda substantia, quæ est membrum diuidens.

Respondetur, substantiam secundùm sua essentialia præcisè consideratam (quo pacto est diuisum in hac diuisione) non esse formaliter primam, vel secundam substantiam. Tùm quia præuenit modos subsistendi vniuersaliter, & particulariter, quibus illæ formaliter constituuntur. Tùm quia prout sic, neque est positiuè vniuersalis, neque positiuè singularis; sed solùm negatiuè: quatenùs scilicet ad vtrumque indifferenter se habet. Vndè cùm secunda substantia sit vniuersalis positiuè, non coincidit cum substantia considerata secundùm prædicata essentialia: qua ratione diuiditur in præsenti.

QVÆSTIO III.

An definitiones primæ, & secundæ Substantiæ sint rectè assignatæ?

Definit Aristoteles primam substantiam ijs verbis: *quæ neque de subiecto dicitur, neque in subiecto est*: nam alia verba antecedentia, nempè, *quæ propriè, primò, & maximè dicitur*, non ingrediuntur definitionem; sed tenent se ex parte definiti, vt encomia illius. Quæ ideò tribuuntur substantiæ primæ, seu singulari, quia tàm in subsistendo, quàm in substando excedit secundam, seu vniuersalem. Actu enim subsistere est proprium singularium: nam vniuersalia non subsistunt à parte rei, nisi identificata cum singularibus: ideò enim subsistit homo, quia subsistit Petrus. Similiter prima substantia pluribus substat, quam secunda: substat, quippè omnibus, quibus ista subjicitur, & insuper ipsi secundæ substantiæ: vndè dicitur substantia maximè, & propriè, propter excellentiam in vtroque munere. ¶ Secundæ verò substantiæ definiuntur ab Arist. quod sint: *Species, & genera, in quibus insunt primæ*. Et quamuis definitiones istas non esse vitiosas satis probetur, ipsa authoritate Aristot. & communi consensu Dialecticorum; sunt tamen aduersùs illas aliquæ objectiones, quibus oportet occurrere, & sensum prædictarum definitionum clariùs aperire. Quod, vt præstemus, præsentem quæstionem excitamus.

§. Vni-

§. Vnicus.

Vtraque definitio exponitur, & defenditur.

11 AD percipiendum sensum, & artificium harum definitionum obseruandum est, quod cùm prima, & secunda substantia dicant pro materiali essentiam substantiæ, & de formali modos subsistendi, quibus constituuntur, se habent ad modum concreti accidentalis. Vndè illarum definitiones exponendæ sunt juxta modum, quo *suprà disp.* 5. *num.* 16. explicuimus definitionem formæ accidentalis significatæ in concreto. Quare sicut huius definitio conuenit essentialiter vt *quo* ipsi formæ, & vt *quod* denominatiuè subiecto illius: ita similiter definitiones vtriusque substantiæ conueniunt vt *quo* modis subsistendi particulariter, & vniuersaliter, qui pro formali importantur, & vt *quod* quidditati substantiæ, quam modificant.

Sensus igitur definitionis primæ substantiæ est, quod modus subsistendi particulariter est ratio, quare substantia *nequè sit in subiecto*, per quod distinguitur ab accidentibus: *nequè de subiecto dicatur*; per quod distinguitur à secundis substantijs. Quarum definitio, nempè: *sunt genera, & species, in quibus insunt primæ*, similiter exponenda est: nam modus ille, seu secunda intentio, à qua substantia constituitur in esse vniuersalis: est ratio quare in secundis substantijs *insint*, idest contineantur primæ, velut partes subiectiuę, & inferiora essentialia non cuiuscumque; sed generis, vel speciei: hęc enim tantum possunt esse superiora omninò essentialia respectu primarum substantiarum.

12 His suppositis dicendum est, prędictas definitiones esse conuenientes. Suadetur assertio: quia istę definitiones conuertuntur cum suo definito, illiusque naturam manifestant: siquidem secundę substantię à modo vniuersaliter subsistendi participant rationem formalem totius potentialis respectu primarum; istæ verò à modo particulariter subsistendi habent, quòd nequè in subiecto sint, nequè de subjectò aliquo dicantur: ergo dictæ definitiones sunt rectæ.

Sed obserua, quòd cùm prima, & secunda substantia sint termini complexi, ipsæ potiùs sunt definitiones: & ideò nequeunt omninò rigorosè definiri. Poteris tamen breuiùs illas explicare dicendo: *Prima substantia est substantia singularis: & secunda substantia est substantia vniuersalis*.

13 Objicies nihilominùs contra definitionem primæ substantiæ, primo: definitio quæ datur per negationem est vitiosa: hæc datur per negationem: ergo est vitiosa. ¶ Secundò: substantia considerata secundùm se, nequè est in subjecto, nequè dicitur de subjecto: & tamen secundùm se non est prima substantia: ergo huius definitio conuenit alijs à definito. ¶ Tertiò: prima substantia est substantia singularis: singularia autem non sunt definibilia ex Aristot. 7. *Metaph. cap.* 5. *ergo*. ¶ Quartò: prima substantia prædicatur de Petro, & Paulo: ergo malè asseritur, eam non dici de subjecto.

Respondetur ad primam objectionem, verba illa definitionis non esse intelligenda merè negatiuè, sed contrariè; ità vt sensus sit: Prima substantia est id, cui positiuè repugnat esse in subjecto, & de subjecto dici. Adde, definitiones descriptiuas non incongruè dari per negationes, quæ consequuntur essentiam.

Ad secundam dicimus, substantiæ secundùm se consideratæ nequè conuenire, nequè repugnare positiuè, quod de aliquo subjecto prædicetur; sed ad vtrumque negatiuè se habet. Vndè non conuenit illi definitio primæ substantiæ, quæ positiuè importat prædictam repugnantiam, vt nuper diximus.

Ad tertiam respondetur ex dictis *disp.* 6. *num.* 26. singularia determinata, vt Petrum, & Paulum non posse definiri; benè autem singularia indeterminata, seu id, quod pertinet ad communem rationem singularitatis: & sic Boëtius definit personam, & Aristoteles primam substantiam.

Ad quartam respondetur, quòd licèt prima substantia significet modum subsistendi communem; supponit tamen ex modo significandi pro Petro, & Paulo, in quibus exercetur definitio, & de quibus debet verificari, quod non dicuntur de subjecto. Vndè ad bonitatem dictæ definitionis sufficit, & requiritur, quod prima substantia sumpta in actu exercito de nullo prædicetur, licèt in actu signato de aliquo subiecto dicatur.

14 Aduersus definitionem secundæ substantiæ opponet primò; de ratione secundæ substantiæ solùm est, quòd sit vniuersalis; non verò quòd sit genus, aut species: nam esse genus, vel speciem est esse talem, vel talem substantiam secundam, à quibus differentijs secunda substantia abstrahit. ¶ Secundò: Substantiæ secundæ sunt in primis, vt homo in Petro: ergo non rectè dicitur, quod in secundis insunt primæ.

Respondetur, quod de ratione secundæ substantię est esse tale vniuersale, quòd possit esse superius essentiale respectu primę substantię: & hoc necessariò est genus, vel species; quia in his dumtaxat possunt primę substantię essentialiter contineri: & ideò Aristot. sic definiuit secundas. ¶ Ad secundam obiectionem dicendum est, secundas substantias esse actu in primis, quia sunt de essentia illarum, istas autem contineri sub illis in potentia, vt partes earum subiectiuę in quo nulla potest esse contradictio.

QVAESTIO IV.

Quanam substantiæ collocentur in hoc prædicamento.

15 NVlla aptiori via possumus determinare quęnam substantię pertineant directè ad hoc prędicamentum, quę verò arceantur ab illo; quam statuendo prius conditiones requisitas, vt substantia directè in prędicamento collocetur: quod proindè ante alia oportet stabilire. Igitur, vt certum supponendum est, pertinere directè ad hoc prędicamentum omnes, & solas substantias completas, quę componuntur ex genere, & differentia. Cuius ratio liquidò assignari potest: nam illę substantię pertinent directè ad hoc prędicamentum, de quibus supremum illius genus prędicatur in recto: sed supremum genus huius prędicamenti prędicatur in recto de omnibus, & solis substantijs completis ex genere, & differentia compositis: ergo istę sunt, quę in hoc prędicamento directè collocantur. Probatur minor: quia supremum genus huius prędicamenti est substantia completa: hęc autem solùm prędicatur, vt genus, & in recto de substantijs completis compositis ex genere, & differentia: nam supposita de quibus prędicatur, constant ex illa, sicut ex genere; & quę constant genere, etiam constant differentia, per quam genus contrahunt, & in esse specifico constituuntur: ergo supremum genus substantię prędicatur in recto de omnibus, & solis substantijs completis, quæ constant genere, & differentia. Quo supposito, non obscurè apparet decisio prǽsentis difficultatis.

§. vnicus.

Respondetur quæstioni.

16 DIcendum est primò, Deum O. M. non collocari directè in hoc prędicamento. Sic docent communiter Theologi, & Philosophi contra Nominales. Suadetur breuiter: nam vt aliqua substantia directè collocetur in hoc prędicamento debet esse composita ex genere, & differentia: sed Deus non constarx ex genere, & differentia: ergo &c. Probatur minor: quia licèt compositio ex genere, & differentia fiat ab intellectu; requirit tamen ex parte subiecti, seu fundamenti aliquam potentialitatem, vt suprà ostendimus *disp.* 5. *num.* 28. sed Deus nullam habet potentialitatem, cùm sit actus purus, & simplicissimus: ergo non constat genere, & differentia. Videantur Arauxo 5. *Metaph. quæst.* 2. *art.* 3. Ioannes Gonzalez 1. *p. quæst.* 7. *controu.* 15. & Nauarrete *controu.* 20.

Inquires, an Deus collocetur saltem reductiuè in hoc prędicamento, vt principium efficiens omnis substantię creatę?

Respondetur, quod dupliciter potest aliquid poni reductiuè in prędicamento, vt illius principium. Vno modo, vt principium contentum intra ipsum genus: quo pacto se habent materia, & forma respectu substantię corporeę. Alio modo, sicut principium continens ipsum genus. Primò igitur modo, certum est Deum non posse ad aliquod prędicamentum reduci, quia est infinitus, & nullo genere continetur: posteriori autem modo, non est inconueniens ipsum in omnibus prędicamentis collocari, & pręcipuè in prędicamento substantiæ: quia hæc propinquior est Deo, quam accidentia. Et sic concedit D. Thom. *quæst.* 7. *de potentia art.* 3. *ad* 7. Deum esse reductiuè in genere. Quia tamen ex propria acceptione, & communi vsu loquendi ea, quæ in prædicamento collocantur intra ipsum continentur, Deus autem à nullo prædicamento contineri potest, cùm sit principium supereminens totius esse: ideò absolutè asserendum est cum D. Thom. 1. *p. q.* 2. *art.* 5. *&* 1. contra *gentes cap.* 25. ipsum neque per se, neque reductiuè collocari in aliquo prædicamento.

17 Dicendum est secundò, omnes substantias materiales completas, tàm incorruptibiles, qualia sunt corpora cœlestia; quàm corruptibiles, vti sunt omnia sublunaria, pertinere directè ad hoc prædicamentum. Ratio est: quia omnia ista componuntur physicè ex materia, & forma, & metaphysicè ex genere, & differentia, suntquè entia completa: ergo habent quidquid requiritur, vt in recta huius prædicamenti linea constituantur. ¶ Neque aduersatur Arist. 10. *Metaph. cap. vlt.* asserens, quod corruptibile, & incorruptibile differunt genere. Quoniam ibi non loquitur de genere logico; sed solùm de genere physico, nempè de materia prima, quàm docet esse diuersæ rationis in corporibus cælestibus, & sublunaribus. Videantur supra dicta *disp.* 11. *n.* 10.

18 Dicendum est tertiò, spiritus angelicos pertinere directè ad hoc prædicamentum. Quoniam licèt physicè loquendo sint formæ puræ, & substantiæ simplices; admittunt tamen compositionem metaphysicam ex essentia, & existentia, constantquè genere, & differentia logicis, vt supra diximus *disp.* 5. *num.* 30. ergo nihil deest illis, quo minus pertineant directè ad istud prædicamentum.

19 Vltimò dicendum est cum D. Thom. 3. *p. q.* 2. *art.* 3. & communi sententia Doctorum, Christum dominum collocari directè in hoc prædicamento. Et ratio est perspicua: quia res collocantur in prædicamento ratione essentiæ, seu naturæ: sed natura humana Christi domini est eiusdem speciei cum nostra, quam constat collocari directè in hoc genere: ergo non potest non ipse ad hoc prædicamentum pertinere directè. Accedit Christum esse verum hominem, vt definit Alex. III. *in c. Cum Christus, de hæreticis*: ergo constitui debet sub specie hominis, vt indiuiduum illius: species autem humana, & quidquid continetur directè sub illa, collocatur in genere, seu prædicamento substantiæ: ergo &c.

Sed obijcies: id, quod ponitur in prædicamento, debet esse ens creatum: sed Christus non est creatura ex D. Thom. 3. *p. q.* 16. *art.* 8. ergo non ponitur in prædicamento.

Respondetur, quod vt aliquid ponatur in prædicamento sufficit, quod sit creatum secundùm naturam, ratione cuius in genere constituitur. Et hoc inuenitur in Christo: cuius natura humana, secundùm quam asserimus ad hoc prædicamentum pertinere, est quid creatum; licèt suppositum sit diuinum.

Replicabis: hæc propositio, *Christus est creatura*, absolutè non admittitur, quia ponit in eo imperfectionem: ergo neque ista: *Christus est in prædicamento*, admitti potest, cùm etiam ponat imperfectionem in eo. ¶ Respondetur negando consequentiam: nam prima propositio ponit imperfectionem in supposito Christi: creari enim est proprium suppositi; non verò naturæ: secunda autem ponit imperfectionem in natura humana: nam res ponuntur in prædicamento ratione essentiæ; siquidem hæc est; quæ denominatur genus, vel species. Vndè illa absolutè negatur, & hæc conceditur absolutè; quia supposito diuino répugnat imperfectio; non verò naturæ humanæ.

QVÆSTIO V.

Quænam sint proprietates substantiæ, & quomodò intelligendæ.

20 SEx proprietates substantiæ enumerat Aristoteles. Prima est, quod nulla substantia est in subjecto. Secunda, quod differentiæ, & secundæ substantiæ prædicantur vniuocè de prima. Tertia, quod prima substantia significat hoc aliquid, secundæ verò videntur significare quale quid. Quarta, quod substantię nihil est contrarium. Quinta, quod non suscipit magis, & minus. Vltima, & quę videtur substantię maximè propria, est quod eadem manens sit contrariorum susceptiua. Quas oportet explicare in pręsenti, ostendendo fuisse ab Aristotele rectè assignatas.

§. I.

Exponuntur omnes substantiæ propri[...]tes præter vltimam.

PRoprietates substantię fuisse ab Aristot. conuenienter assignatas conuincitur ipsa auctoritate Philosophi, & communi Dialecticorum consensu: manebitquè sufficienter probatum exponendo eas singillatim, & ostendendo qualiter substantię conueniant. Quod breuiter pręstare curabimus.

21 Prima igitur proprietas substantię est, quod tàm prima quàm secunda substantia non est in subiecto. Circa quam, suppositis ijs, quę in prima quęstione diximus, nulla

nulla potest esse difficultas. Constat enim ex ibi dictis primam, & secundam substantiam per se subsistere: ergo ad vtramque sequitur negatio essendi in alio, sicut in subiecto. Obserua tamen, istam non esse rigorosam proprietatem substantię completę: quia non est aliquid positiuum, sed quędam negatio consequens essentiam illius.

22 Secunda proprietas est, quòd differentię, & secundę substantię prędicantur vniuocè de prima. Ad cuius intelligentiam obseruare oportet, quod apud Aristot. illa tantùm dicuntur simpliciter, & absolutè vniuoca, quę prędicantur de inferioribus ęqualiter, & essentialiter. In quo sensu satis constat esse proprium secundarum substantiarum, & differentiarum essentialium prędicari vniuocè de prima substantia: nam transcendentia, vt *ens*, & *bonum* prędicantur essentialiter, sed non ęqualiter: accidentia autem, licèt dicantur ęqualiter, non tamen essentialiter. Quapropter prędicari essentialiter, & ęqualiter (quod est apud Aristot. prędicari vniuocè) solùm competit secundis substantijs, & earum differentijs.

23 Ex quo oritur aliud discrimen, quod inter accidentia, & secundas substantias constituit Aristot. in hoc capite: nempè istas prędicari de primis substantijs nomine, & ratione; illa verò nomine tantùm. Quia prędicari secundùm nomen nihil aliud est, quam rem significatam per nomen prędicati conuenire re ipsa subiecto: prędicari verò secundùm rationem dicit, quod propria definitio prędicati sit definitio adęquata, vel inadęquata subiecti. Accidentia autem, vt albedo, & quantitas, licèt re ipsa conueniant primę substantię, v. g. Petro: nihilominus definitio albedinis non est definitio Petri, vt ex se liquet. At secundarum substantiarum definitio est definitio primarum: vt definitio hominis, qui est prima substantia est definitio Petri, qui est substantia secunda: Petrus enim essentialiter est animal rationale. Vndè liquet, accidentia prędicari de primis substantijs nomine tantùm; secundas verò substantias nomine, & ratione, seu definitione.

Dices: accidens prędicatur vniuocè de primis substantijs, prędicatione quinti prędicabilis: sed vniuoca sunt, quorum nomen est commune, & ratio est eadem in vniuocatis: ergo accidens dicitur de primis substantijs nomine, & ratione.

Respondetur, quòd prędicari secundùm rationem stat dupliciter: vno modo materialiter, ad quod sufficit definitionem prędicati dici accidentaliter, & vtrumquè de subiecto: alio modo formaliter hoc est, qualiter ipsa definitio, vt definitio est, postulat prędicari. Ad quod opus est, quod prędicetur in quid, seu essentialiter de subiecto: quia definitio, vt talis, ita se habet ad id, cuius est ratio, & definitio. Accidentia ergo prędicantur de subiecto secundùm rationem primo modo, vt si dicas Petrus est albus, *Petrus est perspicuum disgregatiuum visus*; & hoc satis est ad vniuocationem. Sed non dicuntur posteriori modo, vt constat; siquidem accid[illegible] disgregare visum: & ideò accidentia non præd[illegible] de primis substantijs nomine; & ratiône, in sensu formali, in quo loquitur Philosophus.

24 Tertia proprietas substantiæ est, quòd prima substantia significat *hoc aliquid*; secundæ verò videntur significare *quale quid*. Circa primam partem huius proprietatis nulla est difficultas: quoniam significare *hoc aliquid* idem est; ac significare vnum numero de genere substantiæ: quia ly *hoc* significat quoddam sensu demonstrabile, vniuersalia autem nequeunt sensu demonstrari: & ly *aliquid* importat, & denotat substantiam, quemadmodum *aliquantum* significat quantitatem. § Difficilior est sensus secundæ partis, nempè qualiter secundæ substantiæ sign[illegible] *quale quid*. Sed huius proprietatis expositionem iam *suprà* dedimus *disp.* 5. *num.* 11. & consistit in hoc, quod omne prædicatum dicitur quadam generali ratione qualitas subiecti, sicut & forma materiæ: secundæ autem substantiæ important prædicata essentialia primarum: & ideo dicuntur significare qualequid: vel potiùs, vt ait Aristot. significare videntur. Quoniam re ipsa præcisè significant *quod quid*, & omninò in *quid* prædicantur de primis substantijs.

25 Quarta proprietas est, quod substantiæ nihil est contrarium. Quia contraria propriè dicta, sunt ea quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt, quod manifestum est substantiæ non conuenire: siquidem non est in subiecto. Vndè solum est notandum in præsenti, hanc proprietatem non conuenire soli substantiæ: nam etiam quantitas caret contrario.

Objicies; nam formæ substantiali contrariatur priuatio, siquidem homo fit ex non homine, vt docet Aristot. 1. *Physic. text.* 10. Elementa etiam sunt inter se contraria, vt idem Philosoph. tradit *lib.* 2. *de generat.* Quod etiam asserit de differentijs substantialibus 10. *Metaph.* ergo substantiæ potest aliquid esse contrarium. § Respondetur, non dari contrarietatem propriam inter formam substantialem, & eius priuationem; quia non sunt sub eodem genere: neque inter differentias essentiales; quia non sunt in subiecto: neque inter elementa propter eandem rationem. Vndè hæc solùm dicuntur ab Aristot. contraria *radicaliter*, quia sunt radices primarum qualitatum, inter quas datur formalis, & propria contrarietas. Sicut etiam differentiæ appellantur ab eodem contraria largè, quia sunt primò diuersæ.

26 Quinta substantię proprietas est, eam non suscipere magis, & minus. Quam recipiunt communiter Doctores, non solùm respectu substantię prędicamentalis, seu completę; sed etiam respectu substantię incompletę: contrà Auerroëm qui 3. *de cœlo com.* 67. asseruit omnes formas substantiales exceptâ anima rationali, suscipere magis, & minus. Sed communis sententia suadetur: quia vt aliquid suscipiat magis, & minus non sufficit, quòd sit perfectius accidentaliter, vel essentialiter altero eiusdem generis, vel speciei: sed requiritur quòd habeat in se ipso latitudinem gradualem, ratione cuius possit magis, & minus imprimi subiecto, ab eoque magis, & minus participari. Quoniam in hoc consistit propria ratio suscipiendi magis, & minus, vt explicat Ang. Doctor 1. *p. q.* 93. *art.* 3. *ad* 3. & 1. 2. *q.* 52. *art.* 1. & hoc significant nomina *intensionis*, & *remissionis*, quę iuxta primam impositionem dicuntur de lyrę fidibus: quę cùm vehementiùs sonant appellantur intensę, quandò verò reddunt grauiorem sonum, dicuntur remissę. Constant autem, nullam substantiam habere subiectum, cui possit magis, vel minus imprimi, seu inhęrere: siquidem omni substantię repugnat esse in subiecto inhęsionis: ergo nulla potest propriè loquendo suscipere magis, & minus.

Vndè licèt vna substantia sit altera perfectior, vt de animabus rationalibus docent cum D. Thom. *in* 2. *dist.* 32. *q.* 2. *art.* 3. & 1. *p. q.* 85. *art.* 7. Caiet. ibidem, Ferrara 1. *contra gentes*, *cap.* 32. & alij: & de generibus respectu specierum est satis perspicuum; animal enim perfectius esse habet in homine, quam in equo: nulla tamen ex illis potest suscipere magis, & minus, propter rationem assignatam. Cui consonat optimum signum: quamvis enim vna substantia sit perfectior alia, eadem tamen non perficitur secundùm essentiam: ita vt Petrus v. g. modo sit minus homo, & postea magis homo. Qualitas verò, cui propriè conuenit intensio, non solum

lùm inuenitur secundùm magis, & minus in diuersis subiectis; sed etiam in eodem, saltem de possibili. ¶ Sed obserua, hanc non esse proprietatem solius substantię: quia etiam in pluribus alijs inuenitur, vt in quantitate, figura, & relatione.

§. II.

Elucidatur vltima substantiæ proprietas.

27 SExta, & vltima proprietas substantię est, quòd eadem manens sit contrariorum susceptiua. Circa quam dubitant communiter Doctores, an conueniat substantię quarto modo proprij. Ad quod respondendum est affirmatiuè cum D. Thom. *opusc.* 48. *tr.* 2. *cap.* 4. cui subscribunt Caiet. Sot. Mas. Sanchez hic, & communiter Dialectici. Quę est expressa sententia Arist. in hoc capite asserentis esse *maximè proprium* substantię, quòd sit contrariorum susceptiua: constat enim id, quod est maximè proprium alicuius rei, conuenire illi quarto modo proprij.

Quod, vt conuincatur ratione, animaduertendum est priùs, sententiam Aristot. procedere non de quocumque subiecto, siue susceptiuo, sed de eo, quod est tale absolutè, & simpliciter, nempè de subiecto, *quod*. Hoc enim pręcisè habet simpliciter rationem subiecti: nam subiectum *quo*, seu ratio recipiendi secundùm quid dumtaxàt illam mutuatur. Similiter loquitur Philos. de reali, & intrinseca susceptione contrariorum, quæ fieri nequit sine intrinseca mutatione subiecti, vt ex se patet.

Ex quibus sic arguitur: quoniam semper omni, & soli substantiæ conuenit esse susceptiuum *quod* contrariorum: ergo hæc est rigorosa proprietas substantiæ. Consequentia constat, & antecedens quoad primam partem suadetur: nam id, quod per se subsistit, potest vt *quod* suscipere, & sustentare non solùm accidentia propria, sed etiam communia, quorum plura sunt inter se contraria: sed omnis substantia prædicamentalis est per se subsistens: ergo omni substantiæ conuenit necessariò proindèque, & semper esse susceptiuam, vt *quod* contrariorum.

Secundam partem antecedentis, videlicet, quod soli substantiæ conueniat esse vt *quod*, & absolutè susceptiuam contrariorum docent expresśè Arist. 4. *Met. t.* 14. vbi ait: *Accidenti enim non est accidens, nisi quia ambo eidem accidunt*. Et D. Thom. *quæst.* 2. *de virtutibus art.* 3. *ad* 2. vbi inquit: *Forma non est forma, ita quod vna forma præstet subiectum alteri. Nihil tamen prohibet, plures formas in eodem subiecto esse secundùm quendam ordinem, scilicet vt vna sit formalis respectu alterius, sicut calor est formalis respectu superficiei*, &c. Idem tradit 1. 2. *qu.* 7. *art.* 1. *&* *in* 3. *dist.* 33. *quæst.* 2. *art.* 4. *quæstiunc.* 1. & pluribus alijs in locis, in quibus perpetuò asserit, vnum accidens non posse suscipere aliud vt *quod*, sed solùm vt *quo*, & tanquam medium recipiendi illud in proprio subiecto *quod*, nempè in substantia. Et fundamentum est satis euidens: nam suscipere vt *quod* contraria, & quæcumque alia accidentia est eius, quod subsistit per se, & vt *quod*: sed hoc est solius substantiæ; siquidem nullum accidens habet propriam subsistentiam: ergo soli substantiæ conuenit, quod sit susceptiua contrariorum, vt *quod*.

28 Aliqua tamen sunt argumenta, quæ resolutionem nostram labefactare videntur, & quibus oportet satisfacere. Obijcies ergo primò: quia suscipere, vt *quod* contraria conuenit dumtaxàt substantiæ, quæ est vna numero: sed sola prima substantia est vna numero: ergo soli illi conuenit, & non secundæ, ac proindè non conuenit omni substantiæ. Major est Aristot. *in hoc cap.* vbi ait: *Maximè substantiæ proprium esse videtur, cùm vnum, idemque numero sit, contrariorum susceptiuum esse*.

Respondetur, etiam secundas substantias contraria suscipere: nec oppositum docet Aristot. Non enim ait, solas substantias singulares contraria suscipere; sed proprium esse substantiæ, quod seruata vnitate numerica, sit susceptiua contrariorum. Quod etiam conuenit secundis substantijs: homo enim seruata vnitate numerica, quam habet v. g. in Petro, contraria suscipit.

Dices: dato, quòd secundæ substantię recipiant contraria, tamen id habent ratione primarum: si enim homo recipit calorem & frigus; ideò est, quia Petrus recipit illa: sed propria passio priùs conuenit secundę substantię, quam primę: & speciei, quam indiuiduis: ergo esse susceptiuum contrariorum non est propria passio substantię. ¶ Respondetur, quòd licèt actualis receptio contrariorum per priùs conueniat primis substantijs, quam secundis: aptitudo tamen ad illa priùs competit speciei, quam singularibus. Ideò enim Petrus potest suscipere contraria, quia substantia est susceptiua illorum; licèt ideò substantia actu recipiat, quia Petrus actu recipit. Proprietas autem substantię, quam modo explicamus, non consistit in actuali contrariorum receptione; sed in eo, quod sit apta ad illa recipienda.

29 Secundò obijcies: nam Angeli, & cœli nequeunt recipere contraria, aliàs possent corrumpi: ergo hęc proprietas non competit omni substantię prędicamentali.

Respondetur negando antecedens: nam Angeli possunt habere contrarios actus, & oppositos affectus, vt scientiam, & errorem, amorem, & odium. Corpora autem cœlestia contrarios motus de facto recipiunt: ex quo non sequitur esse corruptibilia; quia non omnia contraria possunt substantię corruptionem inducere.

Tertiò obiicies: quia idem intellectus recipit scientiam, & errorem, & eadem oratio recipit contraria, nempè veritatem, & falsitatem: nam hęc propositio, *Petrus sedet*, eo sedente est vera: & surgente illo, est falsa: ergo hæc proprietas non conuenit soli substantię.

Respondetur, quòd intellectus solùm vt *quo*, & vt ratio recipiendi suscipit contraria, non verò vt *quod*, & vt subiectum simpliciter tale. Idemque dicendum est de oratione respectu veritatis, & falsitatis: quamvis posset etiam dici orationem non mutari intrinsecè; sed totam variationem esse ex parte obiecti, per cuius mutationem oratio extrinsecè dicitur transire de vera in falsam. Substantia autem propriè recipit contraria: quia in se ipsa mutatur amittendo vnum, & recipiendo aliud. In quo sensu intelligenda est hęc proprietas, vt suprà prænotauimus.

30 Quartò, & vrgentius obiicies: nam quantitas recipit albedinem, & nigredinem, & alia contraria, vt integrum, & immediatum subiectum *quod* illorum, ergo suscipere vt *quod* contraria non est proprium substantię. Probatur antecedens ex mysterio Eucharistię nam qualitates panis, & vini per eandem inhærentiam, qua ante consecrationem inhærebant quantitati, conseruantur peracta consecratione: sed posteà sunt in quantitate, sicut in subiecto *quod*, & adæquato: ergo & anteà inhærebant illi, vt susceptiuo *quod* immediato.

Huic obiectioni (omissa quadam doctrina Suarij *disput.* 14. *Metaph. sect.* 4. vbi admittit vnum accidens esse subiectum integrum, & immediatum, vt *quod* alterius: in quo sententiæ Angelici Doct. supra *num.* 27. à nobis stabilitæ directè opponitur) respondetur negando

do antecedens: ad cuius probationem dicendum est, quod licet quantitas in Eucharistia recipiat, vt *quod* accidentia per antiquam inhærentiam; id tamen non præstat ratione sui, sed in virtute substantiæ, cuius vices gerit, vel potiùs virtute diuina, à qua conseruatur sine substantia: vndè substentare ex se contraria soli substantiæ conuenit, vt proprium. Accedit, quòd etsi illarum qualitatum inhærentia non varietur totaliter, ita vt vna corrupta, alia succedat; variatur tamen ex parte termini; quatenùs ea, quæ priùs exercebatur circa substantiam, modò exercetur circa solam quantitatem; quæ diuinitùs subsistit vt *quod*, & substat alijs accidentibus. Videatur Nazarius 1. *part. quæst.* 3. *art.* 3. *controu.* 1.

In fine huius *disp.* lectorem admonere volumus; Dialecticos modernos in præsenti *cap. de substantia*, vel in sequenti de *Quantitate* communiter disquirere: an substantia corporea habeat ex se, & intra proprium genus partes entitatiuas actu distinctas. Sed quia validiora argumenta, quibus communitur sententia nostra, ex principijs Philosophiæ omninò dependent; maluimus ab hac quæstione modo abstinere, quam intempestiuam doctrinam inducere, quæ captum excedat studentium nouitiorum: quorum præcipuè profectui laborem istum dicamus. Et idcircò huiusmodi quæstionem ad libros de generat. remittendam duximus, vbi majori luce in *disp.* 5. ventilabitur ex professo.

DISPVTATIO XIII.

De prædicamento quantitatis.

1 QVIA quantitas inhæret immediatè substantiæ corporeæ, illamquè in munere substandi alijs valdè imitatur: ideò Aristot. post substantiam, statim disputat de quantitate. Cuius tractatum diuidit in tres ejusdem capitis partes: Prima continet duas diuisiones quantitatis: nam quantitas primò diuiditur in continuam, cujusmodi sunt *linea*, *superficies*, & *corpus*, & in discretam, quales sunt *numerus*, & *oratio*. Secundò diuiditur in quantitatem habentem situm, seu positionem partium inter se, vti se habent *linea*, *superficies*, *corpus*, & *locus*, & in quantitatem tali positione carentem, quales sunt *tempus*, *numerus*, & *oratio*. ¶ In secunda parte capitis asserit, omnes has species quantitatis esse quantas per se, & ratione sui; alia verò omnia esse quanta per accidens. ¶ In tertia parte enumerat tres proprietates quantitatis. *Prima* est non habere contrarium. *Secunda* est non suscipere magis, & minus. *Tertia*, & maximè propria quantitatis proprietas est, vt secundùm eam res dicantur æquales, vel inæquales. Et sic absoluit caput istud. Quamvis enim alia plura circa quantitatem possent inquiri; consultò tamen Aristot. ea prætermisit in præsenti, quia acturus de illis erat *in libris Physicorum*. Propter quod nos etiam essentiam tantùm, & species quantitatis, quas hic statuit Arist. studebimus declarare.

QVÆSTIO I.

In quo consistat ratio formalis, & essentia quantitatis?

QVantitatis quidditas non facile deprehenditur; tùm propter accessum ad substantiam materialem; cùm propter diuersos effectus quos habet: vndè opus erit aliqua breuiter prælibare, vt facilior, & expeditior ad decisionem huius difficultatis aditus pateat.

§. I.

Præmittuntur aliqua ad decisionem quæstionis.

2 PRimò supponendum est, quantitatem distingui realiter à substantia. Quòd licèt aliqui immeritò negauerint, est iam communis consensus Philosophorum, ratione satis manifesta firmatus: nam implicat accidens reale esse realiter idem cum substantia; siquidem eadem entitas nequit esse realiter per se subsistens, & alteri inhærere realiter: sed quantitas est verum, & reale accidens, cùm constituat diuersum prædicamentum à substantia: ergo distinguitur realiter ab illa. Accedit specialis ratio desumpta ex principijs fidei: quoniam realis separatio, est signum euidens distinctionis realis:

sed

sed in mysterio Eucharistiæ quantitas panis, & vini separatur à substantia: ergo prius distinguebatur realiter ab illa.

Neque satisfacit solutio Nominalium, qui respondent perire tunc quantitatem substantiæ, quæ est idem realiter cum ipsa substantia; manere tamen quantitatem coloris, & aliorum accidentium, quæ distinguuntur realiter à substantia, licèt sit idem realiter cum colore, & aliis accidentibus, quæ facta consecratione perseuerant. ¶ Hoc, inquam, non satisfacit: tùm quia transsubstantiatio est conuersio totius substantiæ panis in corpus Christi, manentibus eisdem accidentibus, vt sumitur ex Concilio Tridentino *sessione 13. canone 2.* sed quantitas panis est verum accidens, adhuc in sententia Nominalium: ergo debet ipsa quantitas panis permanere. Tùm etiam: quia effectus formales eiusdem rationis debent prouenire ab eadem forma: sed extensio substantiæ, & extensio coloris v. g. sunt eiusdem rationis: ergo proueniunt ab eadem forma, & consequenter omnia hæc extenduntur per eandem quantitatem. Tùm deniquè: quia si accidentia Eucharistiæ non vnirentur in quantitate panis tanquam in communi subiecto, nullo modo vnirentur; siquidem inter se non comparantur per modum actus, & potentiæ: ergo vt vniantur, requiritur aliquod subiectum, cui insint: quod non potest esse aliud, nisi quantitas panis, vt constat.

3 Quo supposito, quia plura experimur competere quantitati, de quibus potest dubitari, an illius essentiam constituant; ea oportet breuiter recensere, vt maiori claritate procedamus. Et ideò supponendum est secundò quinque ad minùs esse affectiones quantitatis. *Primò* habet partes extra partes, siue actualiter inter se distinctas, ex quibus integratur, vt numerus habet vnitates, & vlna palmos, & per hoc redditur quantitas extensa in se, seu in ordine ad se. *Secundò* est diuisibilis in prædictas partes, ex quibus constituitur. *Tertiò* habet extensionem partium in ordine ad locum, per quam illum replet modo diuisibili: ita nimirùm, vt vna pars sit extra locum alterius, & totum corpus locatum toti loco, & pars parti correspondeant. *Quartò* habet impenetrabilitatem, ratione cuius excludit alia corpora à loco, quem replet, & illorum coëxistentiæ in eodem situ resistit.

Quintò, & vltimò quantitas est mensura rerum corporalium. *Mensura* enim, vt definit Aristot. 10. *Metaph. text. 2. est id, quo magnitudo rei cognoscitur*, per quantitatem autem cognoscimus magnitudinem substantiæ, & aliorum accidentium; & ideo quantitas habet rationem mensuræ. Porrò mensura est duplex, vt docet D. Th. *in 2. distinction. 2. quæst. 1. art. 2. ad primum*: alia intrinseca, quæ est accidens subiecti mensurati, & quæ proinde multiplicatur ad multiplicationem illius; alia verò extrinseca, quæ non est accidens subiecti mensurati, sed quid extrinsecum: quo pacto motus primi mobilis mensurat motus corporum inferiorum. Quamvis autem vtraque ratio quantitati conueniat, prior tamen potissime: quia quælibet quantitas principaliter extendit, & mensurat intrinsece magnitudinem subiecti, cui inhæret.

Ad cuius perfectiorem intelligentiam obseruandum est tertiò ex eodem Angelico Doctor. *primo distinctione 8. quæstion. 4. art. 2. ad 3. & 10. Metaph. lect. 2.* quòd cum mensura debeat esse fixa, & vniformis (aliàs non possemus de magnitudine mensurati certificari) importat in suo conceptu formali indiuisibilitatem: vel simpliciter, si sit prima mensura; vel saltem secundum quid, si sit mensura secunda, quæ videlicet ita mensurat, vt simul mensuretur. Vndè cum quantitas sit simpliciter diuisibilis, quia constat partibus, & solum habeat indiuisibilitatem secundum quid, quatenùs nimirùm sumitur in ratione vlnæ, cubiti, palmi &c. idcircò non est mensura prima sui generis, sed secunda. Prima enim mensura quantitatis discretæ, seu numeri est vnitas; quantitatis verò continuæ, punctum: quia carent diuisibilitate intra genus quantitatis. Et ab ijs transfertur nomen mensuræ ad species perfectissimas, & simpliciores aliorum generum, iuxtà commune dictum: *Primum in vnoquoque genere est mensura cæterorum*: quoniam per accessum, vel recessum à prima nobiliori specie regulamus aliarum perfectionem in illo genere.

4 Vltimò supponendum est tanquam certum, essentiam quantitatis non consistere in extensione partium in ordine ad locum; neque in impenetrabilitate, neque in mensuratione actuali. Cuius ratio est: quoniam essentia rei non potest per vllam potentiam separari ab illa: omnes autem huiusmodi affectiones sunt separabiles à quantitate: ergo istius quidditas in nulla earum consistit. Minor quoad singulas partes ostenditur: nam quantitas Christi Domini in Eucharistia non est extensa in ordine ad locum; cùm totus Christus contineatur in qualibet parte hostiæ. Deindè eadem quantitas fuit de facto penetrata cum aliis corporibus in natiuitate, resurrectione, & ascensione Domini, vt communiter docent Theologi contrà Durandum. Deniquè in Eucharistia quantitas panis non mensurat intrinsecè substantiam panis; cum ibi esse desierit: ergo istæ affectiones possunt à quantitate separari. Quapropter difficultas præsens deuoluitur ad extensionem in ordine ad se, diuisibilitatem, & rationem mensuræ radicaliter, seu aptitudinaliter acceptas; & ita inquirimus, in quonam ex ijs constituenda sit essentia huius prædicamenti.

§. II.

Statuitur vera sententia.

5 Dicendum est, essentiam quantitatis consistere in extensione partium in ordine ad se, siue in hoc, quod est habere partes formaliter integrantes, quarum vna non est alia. Ita D. Thom. *prima parte quæstion. 14. articul. 13. ad 1. & 4. contra gentes, cap. 65.* Quem sequuntur Ferrara *ibidem cap. 87. §. ad euidentiam*, Nuño *3. part. quæstion. 76. articul. 4. dub. vnico*, Arauxo *lib. 5. Metaph. quæstion. 3. art. 1.* Gallego *controuers. 14.* ac dens esse communem inter Thomistas: quibus consentiunt Tolet. Vazq. Rub. Fonseca, & alij plures ab eodem relati.

Probatur primò: hæc sententia per exclusionem aliarum: nam essentia quantitatis nequit consistere in diuisibilitate, vel in ratione mensuræ aptitudinaliter etiam acceptæ, siue vt quantitas mensuret quasi actiuè, siue vt mensuretur passiuè: ergo consistit in extensione partium in ordine ad se. Antecedens suadetur: quia nulla ratio demonstrabilis à priori de quantitate potest illius essentiam constituere; essentia enim cùm sit primus rei conceptus, est indemonstrabilis à priori: sed rationes in antecedenti recensitæ sunt à priori demonstrabiles de quantitate: ergo nulla ex illis constituit essentiam quantitatis. Minor constat: quoniam ex hoc, quòd quantitas habeat partes, probatur à priori esse diuisibilem in illas: nam omne totum est diuisibile in partes, ex quibus constat. Similiter esse mensuram, siue intrinsecam proprij subiecti, siue extrinsecam aliorum; tàm passiuam, quàm actiuam supponit partes extra partes, vt liquet: ergo vtraque ratio est demonstrabilis à priori.

6 Secundò probatur ratione fundamentali: quia essentia rei est illa, quæ radicat omnes proprietates illi conuenientes: sed extensio partium in ordine ad se radicat

omnes proprietates conuenientes quantitati: ergo istius quidditas consistit in prædicta partium extensione. Minor probatur: quia ideo quantitas potest esse æqualis, vel inæqualis; quia est extensa: ideò potest mensurare, vel mensurari; quia in se habet extensionem, quæ mensuret, vel mensuretur: ideò est diuisibilis in partes; quia habet illas: & sic de aliis proprietatibus, & affectionibus quantitatis: ergo prædicta extensio partium in ordine ad se radicat omnes proprietates quantitati conuenientes. Cumquè aliàs non sit assignabilis alia ratio prior, ob quam sit quantitas extensa in se, nisi quia est quantitas, planè sequitur huius essentiam in tali extensione consistere.

Confirmatur: quia essentia quantitatis consistit in ea ratione, per quam distinguitur per se primò, & essentialiter ab aliis rebus: constitutiuum enim, & distinctiuum sunt idem: sed quantitas distinguitur per se primò, & essentialiter ab aliis per extensionem partium in ordine ad se; siquidem nulla est assignabilis ratio, per quam intimius, & prius distinguatur ab aliis: ergo quantitatis quidditas sita est in hac extensione.

§. III.

Referuntur opiniones aduersæ.

7 PRima sententia nostræ assertioni contraria docet, essentiam quantitatis consistere in ratione mensuræ. Ita B. Albertus Magn. *hic tract. 8. cap. 1.* cui suffragari videtur D. Thom. *opuscul. 52. circa finem* his verbis: *Propria ratio quantitatis, quæ competit quantitati, quatenus quantitas, est ratio mensuræ.* Probatur primò ex Aristot. in hoc capite: nam ostendit orationem esse speciem quantitatis; quia mensuratur syllaba breui, & longa: ergo essentia quantitatis consistit in ratione mensuræ. § Confirmatur: quia illa est ratio essentialis quantitatis, quæ contracta per differentias constituit diuersas species: sed huiusmodi est ratio mensuræ; ergo. Suadetur minor: nam superficies, & locus sunt diuersæ species quantitatis, vt tradit Aristot. in hoc capite: & tamen non differunt in extensione, sed duntaxat in ratione mensuræ; nimirùm quatenùs eadem superficies, quæ mensurat intrinsecè subiectum, in quo est, mensurat extrinsecè corpus locatum, quod continet; qua ratione appellatur locus.

Sed hæc leuia sunt: nam ad auctoritatem D. Thom. respondetur opusculum illud non esse legitimum, & indubitatum D. Thom. sed potiùs ex spuriis, iuxta censuram D. Antonini 3. *part. historial. tit. 18. cap. 10.* quam admittunt communiter Doctores. Adde primò, mensuram esse duplicem, aliam proximam, quæ est passio quantitatis; aliam radicalem, quæ coincidit cum eius essentia. Et de hac vltima intelligendus est D. Thom. *loco citat.* etsi quandò alibi explicat essentiam quantitatis per rationem mensuræ. Adde secundò, quod vt obseruat idem Angelicus Doctor. 5. *Metaph. lect. 15.* Logicus agit de quantitate sub ratione mensuræ, vt statim magis constabit; quod volens D. Thom. explicare in illo opusculo (si proprium eius est) asseruit rationem mensuræ esse essentiam quantitatis.

Vt argumento, & confirmationi simul occurramus, obseruandum est, Aristotelem in prædicamentis egisse de quantitate secundum rationem mensuræ: quia in illis Logicum agebat, cuius consideratio attingit quantitatem sub ratione mensuræ; fortè quia hæc ratio nobis notior est, quamvis essentia quantitatis in ea sita non sit, vt liquet ex dictis. In Metaphysica verò tractauit de quantitate considerata secundum suam essentiam, quæ consistit in extensione partium in ordine ad se: & ideircò ibidem eas dumtaxat species quantitatis recenset, quæ habent extensionem per se, & non per aliud, seu deriuatam ab alio. Cuius discriminis signum satis manifestum est, quod in Metaphysica non meminit loci inter species quantitatis, quia reuera non est species illius, vt dicemus q. 3 in præsenti autem illum inter veras species enumerat, quoniã loquitur de quantitate in ratione mensuræ. Locus autẽ differt in esse mensuræ à superficie: nam hæc mensurat magnitudinem rei, quam afficit, & extendit; locus verò mensurat corpus locatum, & illius distantiam ad polos mundi. Per quod satis constat ad argumentum, & cõfirmationem in contrarium adducta.

8 Secunda sententia asserit, essentiam quantitatis consistere in diuisibilitate. Ita Scotus *hic quæ. 17. & 5. Metaphysic. quæstion. 6.* & eius discipuli, quibus ex Thomistis consentiunt Soncinas 5. *Metaphyca quæst. 21.* Aquirius *quæstion. 11.* Iauelus *quæstion. 20.* & alij. Probatur primò ex D. Thom. *in primo distinctione 19. quæstione prima, articul. 1. ad 1.* vbi inquit: *Æqualitas consequitur rationem quantitatis, quæ consistit in quadam diuisibilitate,* &c. § Confirmatur primò: quia definitio explicat essentiam rei: sed quantum, vt definitur ab Aristotele 5. *Metaphysic. text. 18. est id, quod est diuisibile in ea, quæ insunt, quorum, vtrumque, vel vnumquodque vnum quid aptum est esse*: ergo essentia quantitatis in diuisibilitate consistit. § Confirmatur secundò: nam iuxta diuersos modos diuisibilitatis ponuntur diuersæ species quantitatis, vt patet in linea, superficie, & corpore: nam linea est diuisibilis secundùm longitudinem, superficie secundùm latitudinem, & corpus secundùm profunditatem: ergo diuisibilitas est propria ratio constitutiua quantitatis.

Respondetur, quod cum D. Th. asserit, essentiã quantitatis sitam esse in diuisibilitate, non loquitur de diuisibilitate proxima, quæ est passio consequens quantitatis essentiam; sed loquitur de diuisibilitate radicali, quæ coincidit re ipsa cum essentia quantitatis, nempè cum extensione partium in ordine ad se: quamuis quidditatem quantitatis non satis explicet.

Ad primam confirmationem respondemus, Aristot. definisse quantitatem descriptiuè per diuisibilitatem, tanquam per propriã passionem, quæ nobis notior est, & ex qua facilè possumus colligere ipsammet quidditatem. Per quod patet ad secundam confirmationem: nam diuersitas illarum specierum sumitur ex diuerso modo diuisibilitatis, sicut à signo essentiæ nobis notiori: sed indè solum sequitur, diuisibilitatem esse passionem quantitatis.

QVÆSTIO II.

An linea, superficies, & corpus sint veræ species quantitatis continuæ.

9 SVpponimus in præsenti, quod quantitas in communi diuiditur prima diuisione in quantitatem continuam, & discretam: quæ diuisio est essentialis, & generis in species, vt sumitur ex D. Tho. 1. *p. quæst. 31. art. 3. & quodlib. 10. art. 1.* quem sequuntur concorditer eius discipuli. Ratio est: nam habere partes, quæ est essentia quantitatis, formaliter diuiditur per habere partes termino communi vnitas, & per habere partes disiunctas: sed quantitas continua habet partes vnitas, discreta autem coalescit ex partibus disiunctis, licet ordinatis: ergo diuidunt essentialiter quantitatem vt sic.

Cum-

Cumque vtraque sit verè, & simpliciter quantitas, vt ex dicendis magis constabit, sequitur prædictam diuisionem esse generis in species.

Potiò quantitas continua diuiditur in lineam, superficiem, & corpus. Linea significat longitudinem, quæ intelligitur causari ex ductu puncti: superficies verò latitudinem, quæ intelligitur causari ex ductu lineæ: corpus autem profunditatem, quæ intelligitur causari ex ductu superficiei. Vnde superficies supponit longitudinem, & addit latitudinem: corpus verò supponit longitudinem, & latitudinem, & addit profunditatem. Ex quibus possumus deducere harum quantitatum definitiones: nam *Linea est quantitas continua punctis: Superficies est quantitas continua lineis: Corpus est quantitas continua superficiebus*. De his igitur tribus dimensionibus inquirimus, an sint veræ species quantitatis continuæ.

§. Vnicus.

Defenditur pars affirmatiua.

10 DIcendum est, lineam, superficiem, & corpus esse verè, & propriè species quantitatis continuæ. Ita Aristot. *in hoc cap. & 5. Metaph. cap. 13.* D. Thom. *ibidem lect. 15.* & alibi sæpè, quem sequuntur eius discipuli, & communiter Doctores. Videatur Arauxo *5. Metaph. quæst. 3. art. 5.*

Probatur ratione: nam species essentiales alicuius generis sunt illæ, quæ constituuntur per differentias oppositas, & illi intraneas: sed linea, superficies, & corpus constituuntur per differentias intraneas quantitati continuæ; & inter se oppositas: ergo sunt propriè, & per se species illius. Probatur minor; quia illæ differentiæ sunt intraneæ quantitati continuæ, & inter se oppositæ, quæ diuersificant ipsum modum continuationis: sed huiusmodi sunt differentiæ constitutiuæ lineæ, superficiei, & corporis; siquidem linea continuatur punctis, superficies lineis, & corpus superficiebus: insuper linea extenditur versus longitudinem, superficies versus latitudinem, & corpus versus profunditatem: ergo.

Confirmatur; quia quæ habent diuersas proprietates, opus est, vt habeant diuersas essentias: sed prædictæ dimensiones habent diuersas proprietates pertinentes ad genus quantitatis continuæ: ergo habent distinctas essentias spectantes ad idem genus. Probatur minor: nam productum, & breue sunt passiones lineæ; latum, & strictum superficiei: celsum, & humile corporis, vt docent Aristot. & D. Thom. *locis cit.*

Inquires: an istæ dimensiones sint species infimæ quantitatis continuæ; ¶ Respondetur affirmatiuè: quoniam nullius extensio continet sub se extensiones essentialiter diuersas in ratione extensionis; sed solùm accidentaliter propter diuersas figuras, quæ sunt accidentia quantitatis. Hinc enim prouenit, quòd linea diuidatur in rectam, & obliquam; superficies in quadratam, & circularem; corpus in pyramidale, & curuum. Sed omnes hæ sunt differentiæ accidentales, vt diximus; cuius manifestum signum est, quod eadem numero linea, quæ prius erat curua, potest fieri recta: & sic de alijs.


11 Aduersus nostram, & communem sententiam opinantur Hurtado *disp. 13. Metaph. sect. 6. &* Cabero *hic disp. 2. dub. 5.* negantes, lineam, & superficiem esse veras species quantitatis. Mouentur: quoniam ex speciebus vnius generis vna non ordinatur ad aliam; hoc enim est proprium entitatis incompletæ, vt apparet in motu, qui ordinatur ad terminum, & in puncto, quod ordinatur ad lineam: sed ex dictis speciebus linea ordinatur ad superficiem, & superficies ad corpus: ergo sunt entia incompleta, sicut motus, & punctum; & consequenter nequeunt esse veræ species quantitatis.

Confirmatur primò: nam species vnius generis excluduntur ab inuicem; neque vna includit aliam: sed superficies continet lineam, & corpus vtramque: ergo linea, & superficies non sunt rigorosæ species quantitatis. ¶ Confirmatur secundò: quia quantitas est naturaliter impenetrabilis: sed superficies est penetrabilis; nam si super corpus perfectè planum ponatur aliud æquale, superficies vltimæ vtriusque tangent se secundùm omnes suas partes, in quo penetratio consistit: ergo superficies non est vera quantitas.

Respondetur ad argumentum, quod linea (& idem proportionabiliter intelligendum est de superficie) potest sumi dupliciter: primò versus longitudinem, penès quam est diuisibilis; secundò versus latitudinem, qua ratione indiuisibilis est: Priori igitur modo sumpta non ordinatur formaliter ad superficiem, & ita est vera species quantitatis continuæ: Posteriori autem modo accepta ordinatur ad superficiem: at prout sic non est species quantitatis, sed continuatiuum illius. Differt tamen à puncto, & motu, quia tota istorum ratio adæquatè consistit in ordine ad lineam, & terminum: ratio verò formalis lineæ sita est in extensione versus longitudinem; cui aliàs annectitur ordo continuationis ad superficiem.

Ad primam confirmationem respondetur, non esse contra diuersitatem, & oppositionem specierum eiusdem generis, quòd vna præsuppositiuè, & materialiter includat aliam: vt patet in quaternario, qui materialiter continet ternarium, non vt formaliter ternarius est, sed ratione trium vnitatum: et in demonstratione, quæ præsuppositiuè importat alias secundas intentiones, ex quibus resultat. Hoc autem modo, et non aliter superficies continet lineam, et corpus vtramque: nam vt docet D. Thom. *opusc. 48. tract. 3. cap. 5.* corpus non dicit essentialiter trinam dimensionem; sed pro formali solam profunditatem importat: et similiter superficies formaliter solam latitudinem significat. Quia tamen superficies supponens vnam dimensionem, nempe longitudinem, addit aliam nimirum latitudinem; dicitur includere duas: et corpus supponens duas, et addens aliam, dicitur includere tres. Sed hoc veritati nostræ assertionis minimè præiudicat, vt constat ex exemplis adductis.

Ad secundam dicendum est, penetrationem non contingere, nisi cum duo corpora versus profunditatem se tangunt secundùm omnes partes, et eidem loco coëxistunt. Quod non contingit in casu posito: nam illa duo corpora solùm se tangunt penès superficies et consequenter in indiuisibilibus versus profunditatem: non secus ac superficies concaua loci tangit absque penetratione superficiem conuexam corporis locati. Vndè nulla ibi intercedit penetratio; sed contiguitas, media qua indiuisibilia vtriusque corporis correspondent eidem indiuisibili loci: quod commune est omni contiguitati, nam contigua sunt, quorum vltima sunt simul.



QVÆSTIO III.

An locus, tempus, & motus sint vera species quantitatis continua.

11 MOuetur hæc quæstio præcipuè propter Arist. qui *in hoc cap.* numerauit locum, & tempus inter quantitates continuas, quibus alij etiam addunt motum: cùm tamen 5. *Metaph. cap.* 13. nullum horum constituerit sub quantitate continua. Ad decisionem autem difficultatis necessarium omninò est, explicare, rudi saltem minerua, quidditatem istarum rerum: prolixior enim, & exactior discussio pertinet ad Philosophiam, vbi de illis tractabimus ex professo: *Locus* ergo, vt definit Aristot. 4. *Physic. est Vltima superficies corporis continentis immobilis primi*: ob idque duo includit in sua ratione formali, videlicet superficiem aptam circunscribere, & continere corpus locatum; & relationem continentiæ ad illud. Verbi gratia, vas continens aquam est locus eius: quia secundùm suam vltimam superficiem concauam circunscribit aquam; & importat relationem distantiæ, & continentiæ ad illam, quorum quolibet deficiente destruitur ratio loci.

Tempus est numerus (idest mensura, vel extensio) *motus secundùm priùs, & posteriùs*, vt definit ipse Philosoph. ibidem *cap.* 11. Motus autem strictè sumptus, prout distinguitur à simplici, seu instantanea mutatione est actus imperfectus, vialis, & ordinatus ad terminum, componiturquè ex parte priori, & posteriori continuatis simplici mutatione, quæ dicitur mutatum esse. Vndè motus, & habet extensionem in se ipso, & radicat extensionem temporis; istud namquè dimanat, quasi effectiuè à quantitate permanenti rei mobilis medio motu, sicut ipsa quantitas permanens resultat à substantia corporea, vt docet Arist. 5. *Metaph. lect.* 13. Quod tamen non tollit, quominùs ipsum tempus extendat, & mensuret in genere causæ formalis motum, & quantitatem permanentem, à qua oritur. Vndè apparet, quare tempus dicatur mensura, & extensio motus secundùm priùs, & posteriùs: quia nimirùm non extendit, aut mensurat substantiam secundùm se, seu in esse quieto; sed dùm est in motu, & successione, quæ necessariò importat priùs, & posteriùs.

§. Vnicus.

Dissoluitur quæstio tribus assertionibus.

13 DIcendum est primò, locum non esse veram speciem quantitatis continuæ, sed reduci ad eam ratione superficiei, quam includit. Hæc est mens Aristot. & D. Thom. *loc. cit. Metaph.* quibus subscribunt communiter Philosophi. Fundamentum est: quia ea, quæ non habent diuersum modum extensionis non possunt esse diuersæ species quantitatis: sed locus non habet extensionem distinctam ab extensione propria superficiei: ergo non constituit speciem distinctam; sed reducitur ad eandem. ¶ Confirmatur: nam locus præter superficiem importat relationem: ergo prout sic est ens per accidens, & nequit esse vera species quantitatis.

Sed oppones auctoritatem Arist. qui in hoc *cap.* numerauit locum inter quantitates continuas: ergo sentit esse veram speciem. ¶ Respondetur Logicum agere de quantitate sub ratione mensuræ: Vndè quia locus differt à superficie in officio mensuræ, idcirco Aristot. *in hoc cap.* vbi Logicum agebat, constituit locum inter species quantitatis. Cæterùm *in* 5. *Metaphys. cap.* 13. non recenset locum inter eas: quia reuera species non est, vt constat ex nuper dictis, & *supra* traditis *num.* 7.

14 Dicendum est secundò, motum non esse veram speciem quantitatis continuæ. Hæc etiam conclusio est communis inter Doctores, deduciturquè ex Aristot. 5. *Metaph.* & suadetur breuiter: quia ens incompletum nequit esse vera species alicuius generis: sed motus est ens incompletum, & imperfectum, cùm sit quidam fluxus, & transitus de vno in aliud, vt docent Aristot. & D. Thom. 11. *Metaph lect.* 9. ergo non est vera species quantitatis. ¶ Confirmatur: nam post-prædicamentum non est species alicuius generis, seu prædicamenti: at motus est post-prædicamentum, vt infra constabit ex Aristot. ergo.

Objicies: motus habet propriam extensionem, & continuitatem, eiquè assignantur propria continuatiua, nempè mutata esse: ergo est vera species quantitatis. ¶ Respondetur negando consequentiam, quia licet motus habeat propriam extensionem, est tamen actus incompletus, & vialis in suo genere, & consequenter insufficiens ad constituendam veram, & propriam speciem.

15 Dicendum est tertiò, tempus esse veram speciem quantitatis continuæ, quamuis imperfectam, & valde tenuis entitatis. Ita Aristot. *in hoc cap.* quem sequuntur Aquarius 5. *Metaph. quæst.* 11. Masius *hic sect.* 3. *quæst.* 5. N. Didacus à Iesu, & alij. Probatur ratione: nam id, quod habet diuersam extensionem partium, & diuersa continuatiua, nequit non esse vera species quantitatis ab alijs distincta: sed tempus est huiusmodi; componitur enim ex partibus successiuis, præterita videlicet, & futura copulatis instanti præsenti: ergo est vera species quantitatis continuæ distincta ab alijs.

Dices: extensio, & continuitas temporis dimanat ab extensione, & continuitate motus, vt supra diximus: sed motus non est vera species quantitatis: ergo nequè tempus. Patet consequentia: quia in extensione, & continuitate inter se adæquantur. ¶ Confirmatur: quia passio nequit esse perfectior, quam essentia; cum dimaner ab illa: sed tempus resultat ex motu; ergo vel motus est vera species; vel tempus non valet veræ speciei conditionem sortiri.

Respondetur ad obiectionem negando consequentiam: quia adæquatio, quæ adest inter tempus, & motum non tollit, quin tempus sit ens completum in suo genere, idenquè vera species illius; motus verò est ens incompletum, & viale: ob quam rationem excluditur à numero specierum quantitatis continuæ. Motus enim ex natura sua est via ad terminum, & ordinatur ad illum, sicut ad id, à quo completur in esse entis; quod non habet tempus, vt liquet.

Ad confirmationem dicimus, motum non comparari ad tempus, sicut essentiam ad proprietatem, sed sicut subiectum ad formam. Porrò subiectum est duplex, aliud *quod*, & aliud *quo*. & quamuis accidens nequeat esse perfectius, quam subiectum *quod*, siue substantia; benè tamen, quam subiectum *quo*, siue ratio recipiendi: vt patet in figura, & alijs qualitatibus corporalibus, quæ recipiuntur media quantitate, vt subiecto *quo*, & illam excedunt in perfectione. Atque ita contingit in præsenti: nam motus non est subiectum *quod* temporis, sed solum est id medio quo extensio temporis recipitur in re mobili.

16 Aduersus primam, et secundam assertionem non est

est opinio alicuius momenti, cuius argumenta opus sit dissoluere. Contra tertiam sentiunt Sanchez *lib. 5 quæst.* 17. Arauxo 5. *Metaph. quæst.* 3. *art.* 5. et alij: quorum præcipuum fundamentum sumitur ex Aristot. 5. *Metaph.* vbi insinuare videtur, quod tempus sit quantum per accidens: ergo non est vera species quantitatis. ¶ Sed huic motiuo facilè est occursum ire, prænotando, quod duobus modis potest aliquid dici quantum per accidens. Primò, quia de se nullam habet extensionem; sed extenditur per ipsam extensionem subiecti, vt musicum, & album: & hoc nequit constituere veram speciem, vt patet. Secundò, quia est quantum per aliud: quia videlicet, quamuis in se habeat propriam extensionem, illa tamen deriuatur, & resultat ex alia, quam præsupponit. Et hoc pacto tempus potest appellari ens per accidens, seu per aliud: quia eius extensio resultat ab alia, quam præsupponit, & à qua eius extensio dependet: sed id non tollit, quin reuera sit species quantitatis, licèt satis imperfecta. Superficies enim necessariò supponit extensionem lineæ, & corpus superficiei, oriunturquè quodammodò ex eis, & tamen sunt veræ species quantitatis, vt supra vidimus.

QVÆSTIO IV.

Vtrum numerus prædicamentalis sit vera species quantitatis.

17 HAbita notitia specierum quantitatis continuæ; superest, quod explicemus alias duas species, quas Aristot. constituit sub quantitate discreta, numerum videlicet, & orationem. Numerus autem est duplex: alius numerans, & alius numeratus. Numerus numerans solet appellari actus intellectus, quo aliquam multitudinem numeramus: numerus verò numeratus est ipsa multitudo rerum, quas recensemus, & definitur à D. Thom. 1. *p. q.* 7. *art.* 4. quòd sit *Multitudo mensurata per vnum*. Porrò hic numerus bipartitur: nam alius est transcendentalis, alius verò prædicamentalis, seu quantitatiuus. Prior est multitudo vnitatum transcendentalium, siue pertinentium ad alia prædicamenta, vt multitudo Angelorum, vel relationum &c. posterior autem est multitudo consurgens ex vnitatibus quantitatum: & de hoc agimus in præsenti. Ad cuius perfectam notitiam opus est explicare quid sit vnitas prædicamentalis, & quid addat supra quantitatem continuam: indè enim apparebit principalis radix distinctionis inter numerum transcendentalem, & prædicamentalem; & quare iste sit ens per se, et vera species quantitatis.

§. I.

Exponitur, quid sit vnitas prædicamentalis.

18 PLures Doctores non distinguentes inter vnitatem transcendentalem], quæ est passio entis, et vnitatem prædicamentalem, quæ consequitur quantitatem, in extremas abierunt opiniones: quarum meminit D. Thom. 1. *p. quæst.* 11. *art.* 1. *ad* 1. his verbis: *Pytagoras, & Plato* (quibus etiam adhærent Durandus *in* 1. *dist.* 24. *quæstion.* 2. Suarez *disp.* 4. *Metaph. sect.* 9. et alij ex Societate) *videntes, quod vnum, quod conuertitur cum ente, non addit aliquam rem supra ens, sed significat substantiam entis, prout est indiuisa, existimauerunt sic se habere de vno, quod est principium numeri. E contrariò autem Auicenna* (cui subscribunt Scotus *in* 2. *dist.* 3. *qu.* 2. et eius Discipuli) *considerans, quod vnum, quod est principium numeri, addit aliquam rem supra substantiam entis* (*aliàs numerus ex vnitatibus compositus non esset species quantitatis*) *credidit, quod vnum, quod conuertitur cum ente, addat rem aliquam supra substantiam entis &c.*

Ipse autem Ang. Doctor inter primam sententiam asserentem, quod neutra vnitas dicit aliquid supra essentiam, ad quam consequitur, et secundam defendentem, quod vtraque addit aliquid positiuum: mediam statuit viam iis verbis: *Sic igitur dicendum est, quod vnum, quod conuertitur cum ente, non addit aliquam rem supra ens, sed vnum, quod est principium numeri addit aliquid supra ens, ad genus quantitatis pertinens.* Ex quibus liquidò deducitur secundùm D. Thom. vnitatem prædicamentalem non esse solam quantitatem continuam, vt indiuisam; sed supra ipsam addere aliquid incompletum, pertinens reductiuè ad prædicamentum quantitatis, ratione cuius ipsa quantitas continua est pars numeri prædicamentalis. Quod tradunt Capreolus *in* 1. *dist.* 24. *quæst. vnica*. Iauel. 8. *Metaph. quæst.* 9. Gillego *contron.* 25. Arauxo 5. *Metaph. quæst.* 3. *art.* 3. et communiter Thomistæ. Et meritò: tùm quia est expressa sententia Angelici Doctor. non solùm *loco citato*, sed etiam *in* 1. *dist.* 24. *quæstiunc.* 1. *articul.* 3. *&* *quodl.* 10. *art.* 1. *&* 4. *Metaph. lect.* 2. & alibi sæpè.

Tùm etiam, quia in quantitate continua datur aliquid incompletum, quòd est principium magnitudinis, nempè punctum: ergo etiam in quantitate discreta debet dari aliqua entitas incompleta, quæ sit principium numeri, videlicet vnitas. ¶ Tùm prætereà, quia mensura debet esse indiuisibilis in illa ratione, in qua est mensura: ergo ad rationem mensuræ simpliciter primæ in genere quantitatis requiritur, quod sit simpliciter indiuisibilis in tali genere: sed quantitas continua, quantumvis sit indiuisa, est simpliciter diuisibilis: ergo vltra illam ponenda est aliqua entitas, quæ careat omni diuisibilitate, & sit à quantitate distincta, & illi superaddita: quam appellamus vnitatem quantitatiuam, seu prædicamentalem. ¶ Tùm deniquè, quia quantitas non potest per se ipsam esse pars numeri prædicamentalis: ergo debet illi superaddi vnitas, à qua denominetur vna, & sit pars talis numeri. Probatur antecedens, quia aliàs vbi semel daretur talis numerus, semper inueniretur: & vbi non esset à principio, nunquam esset: vt contingit in vnitatibus, & numero transcendentalibus, eò quod vnitas transcendentalis non distinguitur ab entitate. Oppositum autem experimur in vnitate, & numero prædicamentali: nam in ligno continuo non est numerus, sed vnitas: quod si diuidatur, jam non est vnitas, sed numerus: ergo quantitas fit vna, & pars numeri per aliquid sibi superadditum, quod aliquandò producitur, & aliquandò deperditur. Vndè etiam colligitur distinctio ante intellectum inter hoc superadditum, & quantitatem continuam.

19 Sed aduersùs hanc doctrinam objicies primò: quia vnitas propria quantitatis nequit esse relatio; quia priùs quantitas est vna, quàm quod relatio aliqua resultet in illa: & propter eandem rationem nequit esse res alterius prædicamenti. Similiter non potest esse quantitas discreta, seu numerus, siquidem vnitas potiùs dicit indiuisionem: ergo est realiter ipsa quantitas continua; supra quam proindè non addet nisi carentiam diuisionis.

Respondetur, vnitatem quantitatiuam esse aliquid absolutum, incompletum tamen, & indiuisibile: quod pertinet ad prædicamentum quantitatis, non per

per se, vt species eius, sed reductiuè, vt principium numeri: eo modo, quo punctum est principium magnitudinis. In explicanda autem huius incompleti natura plures sunt modi dicendi: ex quibus duo apparent probabiliores, quos proponit Capreolus vbi supra. Nam primò respondet cum Auicen. 3. *Metaph. cap.* 2. hoc incompletum esse ipsum esse indiuisum, vel existentiam quantitatis continuæ. Existentia enim cuiuslibet rei, etiam compositæ est omnino simplex, & indiuisibilis: ac proindè quando quantitas continua diuiditur, esse primum non permanet, nequè diuiditur, sed perit, & quęlibet pars diuisa habet nouum esse. Et quia sola quantitas inter cætera prædicamenta est diuisibilis in partes eiusdem rationis: idcircò vendicat sibi peculiarem modum vnitatis iam explicatum, qui ab illius entitate distinguitur.

Secundò respondet *quod vnitas ista, nequè est forma continuitatis, nequè esse talis formæ; sed quoddam accidens indiuisibile consequens quantitatem continuam. Et differt à puncto in hoc, quod punctus habet situm in linea, vel continuo, non autem vnitas, sed habet pro subiecto adæquato totum continuum: ita quod aucto, vel diminuto tali continuo, non remanet prior vnitas, sed alia.* Videatur Zanardus 10. *Metaphysic. quæstion.* 3. *&* 6. vbi hanc doctrinam prosequitur, & illustrat.

20 Obijcies secundò; nam duæ substantiæ, v. g. aut duæ qualitates per suasmet entitates sunt vnæ, & constituunt numerum binarium: ergo idem dicendum est de duabus quantitatibus continuis. Probatur consequentiam, nam ideò D. Thom. probat substantiam per suam entitatem esse vnam, & non per aliquod superadditum; quia aliàs hoc additum etiam esset vnum per aliquid aliud, & sic infinitum. Quæ ratio idem probat de quantitate, vt consideranti constabit.

Respondetur negando consequentiam; quoniam solùs quantitatis est propria diuisibilitas in partes eiusdem rationis; & ideò inter omnia alia entia habet proprium, & singularem modum vnitatis, quæ propterea specialiter appellatur prædicamentalis, & consistit in eo quòd sit vna, non per suam entitatem, sed per aliquod superadditum. Hoc autem est vnum per se ipsum: cùm quia est essentialiter ipsa vnitas: tum quia est indiuisibile, & ideò nequit amittere rationem vnius, sicut potest quantitas. Vndè licèt hæc indigeat aliquo sibi addito, vt fiat vna; vnitas tamen ipsa non eget: & sic non proceditur in infinitum. Obseruandum tamen est quod hæc vnitas non est vna quantitatiuè, nisi solùm vt *quo*: vt *quod* verò est vna vnitate transcendentali.

21 Obijcies tertiò: nam hoc ipso quòd aliquid sit vnum vnitate transcendentali potest cum alio constituere numerum: at vnitas hæc non addit supra ens aliquid positiuum, sed solam indiuisionem: ergo hoc ipso quòd quantitas sit indiuisa; potest alteri annumerari, & constituere numerum prædicamentalem, & consequenter absquè necessitate, & ratione asseritur, vnitatem prædicamentalem addere aliquid positiuum supra quantitatem ab ea distinctum.

Respondetur illud, quod est vnum vnitate transcendentali (cum hæc non distinguatur ab entitate rerum) solum posse constituere numerum transcendentalem; qui propterea non est ens per se; quia non est aliquid distinctum à rebus numeratis, sicut nequè ipsæ vnitates; ex quibus constat. Quapropter oppositum asserendum est de vnitatibus quantitatiuis constituentibus numerum prædicamentalem: cùm iste sit ens per se, & vera species quantitatis, vt statim dicemus. Et quamvis quantitas, hoc ipso, quòd sit indiuisa, possit constituere numerum; hoc tamen non ideò est, quia quantitatem esse vnam importet solam indiuisionem: sed quia talis indiuisio supponit in quantitate continua illud incompletum & indiuisibile, per quod est vna positiuè, & fundat negationem diuisionis.

§. II.

Propugnatur sententia Diui Thomæ.

22 His suppositis dicendum est, numerum prædicamentalem esse ens per se, & veram speciem quantitatis. Sic docent Aristot. *in hoc cap. &* 5. *Metaphys. cap.* 13. & D. Thom. *ibidem lect.* 15. *& lib.* 8 *lect.* 3. vbi inquit: *Est enim per se vnum numerus, in quantum vltima vnitas dat numero speciem, & vnitatem &c.* Quem in hoc sensu intelligunt, & sequuntur omnes eius discipuli, vt testatur Sanchez *lib.* 5. *Logicæ quæst.* 21. Plures refert Gallego hic *controuer.* 25. quibus consentiunt Scotus 5. *Metaphys. quæst.* 9. Euclides *in sua Arithmetica*, & omnes Mathematici.

Probatur ratione primò: nam obiectum formale scientiæ debet esse verum ens per se: at numerus prædicamentalis est obiectum formale Arithmeticæ: ergo est ens per se, & consequenter vera species quantitatis. Maior probatur ex Aristot. 6. *Metaph. cap.* 2. & alibi sæpè asserente, quod de ente per accidens non est scientia. Et ratio est perspicua: quia passio sequitur essentiam constitutam in aliquo determinato gradu per differentiam essentialem: sed ens per accidens non habet vnicam, & determinatam essentiam: ergo nequit habere proprietates, quas de illo scientia demonstrat, ac proinde non potest esse obiectum illius.

Respondent aliqui, quòd licèt numerus in esse entis, & provt est à parte rei sit ens per accidens; accipit tamen vnitatem deriuatam ab intellectu, qui apprehendit illum, vt vnum ens simpliciter, quæ vnitas sufficit, vt sit obiectum Arithmeticæ. ¶ Sed hæc solutio facilè refellitur: quoniam obiectum formale Arithmeticæ non est ens rationis; sed verum ens reale: cùm hæc scientia non agat per se primò de aliquo ente rationis, sed de reali numero quantitatum, cuius proprietates demonstrat, videlicet proportionem, & proportionalitatem: ergo vnitas, qua numerus constituitur in esse obiecti Arithmeticæ, est vnitas realis, & per se.

Secundo respondent alij, obiectum formale Arithmeticæ non esse numerum pro formali; sed numerum materialiter acceptum pro ipsis quantitatibus continuis, ex quibus consurgit. ¶ Sed contrà: quantitas continua, quæ est materiale numeri, est, provt sic, obiectum formale Geometriæ: ergo non est obiectum proprium Arithmeticæ: aliàs eæ scientiæ non distinguerentur inter se. Deindè: Arithmeticus non considerat, an binarius v. g. sit linearum, vel corporum: ergo obiectum, quod per se respicit, non est numerus materialiter acceptus, sed sumptus formaliter pro ipsa multitudine. Prętereà: passiones, quas de numero demonstrat Arithmetica, nimirum proportio, & proportionalitas non conueniunt illi ex materiali ratione quantitatis continuæ, sed secundùm formalissimam rationem numeri: ergo secundùm eandem rationem est obiectum istius scientiæ.

23 Secunda ratio nostræ assertionis desumitur ex D. Thom. 7. *Metaphys. lect. vlt.* vbi hæc habet: *Compositum quandoquè sortitur speciem ab aliquo vno, quod*

est

est vel forma, vt patet in corpore mixto: vel compositio, vt patet in domo: vel ordo, vt patet in syllaba, & numero, & tunc oportet, quòd totum compositum sit vnum simpliciter. Quandoquè verò compositum sortitur speciem ab ipsa multitudine partium collectarum, vt patet in aceruo, & populo, & in talibus compositum non est vnum simpliciter, sed, tantùm secundùm quid. Ex quibus verbis sequens ratio formatur in fauorem nostræ assertionis.

Vt aliquid sit ens per se. saltem in infimo gradu perseitatis, sufficit quòd coalescat ex partibus habentibus vnitatem compositionis, vel ordinis: sed huiusmodi sunt partes numeri: ergo numerus ex illis compositus est verè ens, & vnum per se; licèt perseitate infima. Major probatur, & declaratur, tùm in entibus artificialibus: domus enim formaliter sumpta est ens per se, quia omnes illius partes ordinantur, & constituuntur sub vna figura, quæ est forma ipsius. Tùm etiam, quia ratio entis, & vnius non consistit in indiuisibili, sed habet plures gradus: nam Deus est magis ens per se, & vnum, quam Angelus; & Angelus, quam substantia materialis; & hæc quam quantitas continua, ergo poterit aliquid esse ens per se; saltem in infimo gradu, si partes eius habent inter se vnitatem compositionis, & ordinis. Minor autem constat: quia numerus prædicamentalis coalescit ex vnitatibus, non vtcumque acceptis, sed vt coordinatis realiter sub vltima vnitate, sicut sub forma aliarum: ergo partes numeri habent inter se vnitatem ordinis. Quod vt intelligatur perfectiùs.

§. III.

Declaratur quomodò vltima vnitas sit forma numeri.

24 VLtimam vnitatem esse formam numeri concors Thomistarum sententia est: quam tradit Angelic. Doctor. 8. *Metaphysic. lect.* 3. dicens: *Est enim per se vnum numerus, in quantum vltima vnitas dat numero speciem, & vnitatem: sicut etiam in rebus compositis ex materia, & forma, per formam est aliquid vnum, & vnitatem, & speciem sortitur.* Sed non facilè percipitur qualiter, cùm omnes vnitates sint eiusdem rationis, detur re ipsa vna, quæ sit vltima, & forma aliarum. Vndè plures sunt modi dicendi in huius difficultatis expositione: quibus tamen omissis, curabimus breuiter, & dilucidè veritatem ostendere.

Primò igitur animaduertendum est, quod forma compositi est duplex: alia Metaphysica, quæ consistit in differentia essentiali, per quam determinatur gradus genericus ad certam speciem: vti se habet *rationale* in homine. Alia forma est Physica, quæ nimirùm distinguitur realiter à constituto, saltem distinctione includentis ab incluso: & hæc iterùm est duplex: alia enim est forma totius, vt humanitas; & alia partis, vt anima. Cùm ergo asserimus, vltimam vnitatem esse formam numeri; non loquimur de forma metaphysica, vel de forma physica totius. Et ratio quoad vtramque partem est satis perspicua: nam forma metaphysica, seu differentia est re ipsa tota essentia rei: & de illa in recto prædicatur, vt diximus *disp.* 5. *num.* 21. sed vltima vnitas non est totus numerus, nec prædicatur in recto de illo, vt constat: ergo non est forma metaphysica illius. Similiter forma physica totalis numeri binarij v. g. non est secunda vnitas; sed dualitas, quæ ex vtraque vnitate resultat: ergo vltima vnitas non est forma totalis numeri, eo modo, quo equinitas est forma equi. Vndè si vltima vnitas est forma numeri, solùm erit forma physica partialis, vti anima rationalis est forma hominis: & hoc est, quod intendimus.

25 Secundò nota, quod licèt vltima vnitas sit forma numeri, nulla tamen est vnitas determinata, cui singulariter competat esse vltimam, & formam aliarum. Tùm quia omnes vnitates sunt eiusdem rationis: ergo nulla ex natura rei est vltima, & cæterarum forma: maximè quandò omnes simul producuntur, quod est possibile. Tùm etiam quia aliàs in quaternario v. g. stante illa vnitate, quæ ex se, & determinatè esset vltima, & forma aliarum, staret semper numerus quaternarius; licèt auferretur aliqua ex aliis tribus vnitatibus: siquidem per ablationem partis materiæ non corrumpitur species, si maneat forma, vt patet quandò homini abscinditur brachium. Sequela autem est manifestè falsa: quia est impossibilis quaternarius absque quatuor vnitatibus: ergo in eo nulla vnitas est determinatè quarta, seu vltima, & forma aliarum.

Vndè opus est, in vltima cuiuslibet numeri vnitate duo distinguere, nempè & ipsam formalem rationem vltimæ, & entitatem materialem vnitatis, quæ denominatur vltima. Entitas materialis iuxta ea, quæ diximus §. 1. consistit in entitate quadam incompleta consequente quantitatem continuam, à qua habet ista esse formaliter indiuisam, & vnam. Et huiusmodi entitas præscindit quantum est de se ab hoc, quod sit prima, vel secunda; vltima, vel non vltima: potest tamen vltimitatem induere, vel per operationem intellectus numerantis illam vltimo loco; vel per operationem agentis naturalis diuidentis quantitatem continuam. Ratio autem formalis vltimæ, vel vltimitas ipsa, duo importat: primò positiuam terminationem præcedentium vnitatum, quarum multitudo est de se indeterminata; secundò negationem vlterioris vnitatis: vnitas quippe, cui succedit alia, non est vltima.

Tertiò obseruandum est, quòd licèt vnitas, quæ subijcitur vltimitati, & denominatur vltima, possit pro nostro libito persistere in hac ratione, vel ab ea excludi: quia possumus in eius locum, & officium aliam subrogare: ipsa tamen formalis ratio vltimæ est omninò inuariabilis. Semper enim importat eadem prædicata, nimirum positiuam terminationem præcedentium vnitatum, & negationem vlterioris: siue hæc vltimitas subjectetur in hac numero vnitate, siue in alia: hoc namquè pertinet ad esse materiale vltimæ vnitatis. Vndè, quia rerum essentiæ sunt inuariabiles, species numeri desumenda non est à multitudine vnitatum, quæ indeterminatæ sunt: sed ab vltima vnitate, quatenus vltima formaliter, & reduplicatiuè; cum sic accepta sit prorsùs semper eadem, & inuariabilis.

26 Ex ijs iam constat, qualiter vltima vnitas sit forma numeri: nam cùm de ratione formæ sit materiam de se indifferentem determinare, & in certa specie constituere: in quolibet autem numero detur re ipsa vnitas formaliter vltima, quæ per rationem inuariabilem vltimitatis alias terminat, & in certo quantitatis discretæ gradu constituit; nequit non prædicta vnitas sortiri rationem formæ, & totum numerum in specie determinata constituere.

Explicatur exemplo: etenim forma contractus humani v. g. matrimonij est consensus secundus, vel vltimus: nam ex vi primi consensus manet contractus suspensus, & informis; formatur autem, & perficitur per vltimum, qui consequenter habet munus proprium formæ. Cæterùm, quod ratio formalis consensus vltimi subjectetur in consensu viri, vel in consensu mulieris; id prorsus de materiali est: nam semper constituit eundem speciè contractum. Semper enim consensus vltimus, quicumque pro materiali sit, habet rationem formæ respectu contractus:

tractus: cùm determinet, perficiat, & constituat. Sic in numero vltima vnitas est forma illius: quia quæcumque pro materiali sit, determinat præcedentes, & confusam multitudinem earum sub certa, & definita extensione discreta constituit: quæ sunt propria munera formæ, vt ex se liquet. Et indè fit, quod licèt materialiter loquendo nulla vnitas sit determinatè vltima, prima, vel secunda: tamen formaliter loquendo in qualibet specie numeri semper vna vnitas est formaliter vltima, v. g. in binario secunda, & in ternario tertia, quæcumque illa de materiali sit.

27 Nec refert si in contrarium objicias primò: partes quantitatis sunt eiusdem rationis: ergo non se habent per modum materiæ, & formæ. ¶ Secundò: ad compositionem ex materia, & forma requiritur vnio vtriusque, & intrinseca informatio: sed vnitates non copulantur aliquo nexu, neque vltima recipitur in alijs: ergo. ¶ Tertiò: in ternario trium vnitatum simul productarum nulla vnitas est determinatè vltima; ergo nulla sortitur rationem formæ.

His objectionibus (quas opponunt Suarez, Rubio, & alij, quibus communis inter Thomistas opinio displicet) facilè est occurrere ex prænotatis. Ad primam dicimus, compositionem numeri non esse ex materia, & forma omninò physicis, seu ex partibus primò diuersis; benè tamen ex partibus habentibus rationem materiæ, & formæ: quod sufficit ad vnitatem, & perseitatem saltem infimam, vt patet in exemplo contractus. ¶ Ad secundam respondetur, quòd licèt vltima vnitas non recipiatur in alijs; tamen est pars intrinseca numeri, & actuat alias vnitates: non quidem afficiendo ipsas, sed terminando illarum multitudinem, quæ de se erat informis, & indeterminata, vtpotè carens termino vltimante. ¶ Ad tertiam respondemus, quod in composito ex partibus primò diuersis vna pars debet esse determinatè forma realiter, & entitatiuè: at vt numerus sit determinata species, non requiritur, quod vna pars materialiter, & entitatiuè accepta sit determinatè vltima, & forma; sed sufficit, quod habeat formaliter vltimitatem jam explicatam.

§. IV.

Enodantur argumenta opinionis aduersæ.

28 OPpositam sententiam negantem, quod numerus sit ens per se, & vera species quantitatis tenent Durandus *in* 1. *dist.* 43. *quæst.* 2. *art.* 1. Gabriel, Gregorius, & alij Nominales, quos referunt, & sequuntur Conimb. *in hoc cap. art.* 1. Suarez *disp.* 41. *sect.* 1. Vasquez 1. *parte, disp.* 26. *cap.* 3. & alij.

Arguunt primò Conimbric. ex Arist. 8. *Metaph. cap.* 3. vbi ait: *Numerum non esse vnum, sed sicut cumulum.* ¶ Confirmatur: numerus pro formali idem est, ac numerus abstractus: hic autem est ens rationis; cùm solum reperiatur in intellectu, vt docet D. Thom. 1. *p. q.* 30. *art.* 1. *ad* 4. *&* *art.* 2 *ad* 5. ergo numerus formaliter acceptus non est aliqua vera, & realis species.

Respondetur, prædictam auctoritatem non esse fideliter relatam: Aristot. enim sic ait: *Et numerum oportet aliquid esse, quo vnus, si vnus est: aut enim non est, sed quasi congeries, aut si est, dicendum est quidnam illud sit, quod eum ex multis facit.* Vbi non asserit absolutè, numerum esse sicut aceruum; sed quod si vnus est, aut erit sicut aceruus, aut explicandum erit, quid sit illud, quod ipsum vnum constituit. Quod statim præstat dicens, id prouenire, quia vnaquæque pars numeri est *endelechia*: deest, vt explicat D. Thom. *lect.* 3. *Numerus est vnum per se, ex eo quod vna pars eius est, vt forma alterius.*

Ad confirmationem respondetur, D. Thomam solùm intendere, quod sicut natura animalis abstracta à speciebus est secundùm sua prædicata realis species viuentis; quamuis status ille abstractionis solùm conueniat ei ab intellectu: ita numerus abstractus ab omni subjecto est ens per se, veraquè species quantitatis; licèt status abstractionis competat illi per intellectum, qui separat formam à materia, & vniuersale à particularibus.

29 Secundò arguitur: quia ex pluribus entibus in actu, & completis non fit vnum ens per se, siquidem est contra rationem entis completi, quod sit pars: sed numerus prædicamentalis constat ex pluribus entibus in actu, & completis, nempè ex pluribus quantitatibus continuis: ergo nequit esse ens per se, & vera species quantitatis.

Respondetur negando minorem: nam vt diximus §. 1. numerus prædicamentalis coalescit ex vnitatibus prædicamentalibus: quæ distinguuntur à quantitate continua, & sunt quid incompletum illi superadditum: ac proindè possunt esse veræ, & propriè partes entis completi, qualis est numerus.

Tertiò arguitur: nam accidens, quod est per se vnū, non potest esse in pluribus subjectis realiter distinctis: sed numerus est in pluribus subiectis realiter diuisis, videlicet in quantitatibus, vel vnitatibus, ex quibus constat: ergo non est ens, & vnum per se.

Respondetur, accidens, quod est per se vnum, non posse existere in pluribus subjectis adæquatis, & totalibus; benè tamen in pluribus partialibus, & inadæquatis: & hoc pacto est numerus in pluribus quantitatibus realiter distinctis. Nam sicut integer binarius non est quælibet vnitas, sed ambæ simul; ita adæquatum illius subjectum non est vna quantitas, sed duæ.

30 Vltimò arguitur: quia vnio ordinis, quę posset esse inter vnitates, non est sufficiens ad constituendum vnum per se: ergo numerus nequit ratione illius constitui in esse entis, & vnius simpliciter. Probatur antecedens: tùm quia exercitus, & ciuitas habent vnitatem ordinis: & tamen non sunt entia per se: ergo. Tùm etiam: quia vna vnitas non est à parte rei prima, & alia secunda, & alia tertia; sed id prouenit ab intellectu recensente vnam post aliam: ergo ordo illarum est ordo rationis, & insufficiens ad constituendam veram speciem entis realis.

Respondetur negando antecedens, ad cuius primam probationem dicendum est, quod in hominibus, quatenùs sunt partes populi, vel exercitus, non inuenitur aliqua realis entitas incompleta, per quam possint esse veræ partes vnius entis completi, & per se: & ideò ciuitas, & exercitus non sunt entia per se, physicè loquendo, sed tantùm moraliter, & in æstimatione hominum. Vnitates verò prædicamentales, ex quibus constat numerus prædicamentalis, sunt quid physicè incompletum: & idcircò numerus potest esse ens completum, & per se. ¶ Ad secundam probationem respondetur, non requiri ad hoc, vt ordo inter vnitates sit realis, quod vna sit prima, vel vltima determinatè, determinatione materiali: sed sufficit, quòd detur re ipsa vnitas formaliter vltima, quæcumque illa sit, quæ habeat rationem formæ, & respectu cuius cæteræ induant modum materiæ, iuxta dicta §. *præcedenti*.

Ex dictis infertur, numerum prædicamentalem non esse speciem infimam quantitatis, sed subalternam, & sub se continentem plures species numerorum. Nam multiplicata specificè forma, opus est multiplicari speciem constitutam per illam: constat autem, vltimam vnitatem, quæ in numeris habet rationem formæ, distingui formaliter in ternario, quinario, &c. cùm inter-

ternario sit tertia, & in quinario quinta: vndè ipsi numeri debent specie inter se distingui. Quod etiam patet ex eo, quod Arithmericus sæpè demonstrat de aliquo numero passionem, quæ minimè conuenit aliis, vt quòd ternarius sit primus impar: quod signum est distinctionis essentialis. Et hæc est expressa doctrina Aristot. 8. *Metaphys.* vbi propterea aliarum rerum species comparat numeris.

QVÆSTIO V.

An oratio sit vera species quantitatis?

31 PLures sunt orationis acceptiones: nam apud Theologos est actus religionis, quo mens fertur in Deum, & petit ab eo decentia. Apud Dialecticos est vox significatiua ad placitum, cuius aliqua pars separata significat. Apud Rhetores est instrumentum quoddam ad persuadendum. Tandem apud Musicos sumitur pro oratione externa, secundùm quod est multitudo vocum, seu syllabarum, quæ successiuè, & discretè proferuntur: & hoc modo sumitur in præsenti quæstione. Cuius resolutio, vt clarior appareat.

Obseruandum est primò, quod sonus est quædam qualitas causata in aëre ex collisione duorum corporum. Vox autem propriè sumpta, & sonitus causatus in ore animalis ex collisione quarundam partium, nempè palati, linguæ, dentium, &c. Vbi sonitus ponitur loco generis, quia in illo conuenit vox cum aliis sonitibus, qui non sunt voces; à quibus tamen distinguitur per subsequentes particulas: est enim de ratione vocis causari in ore animalis ex collisione linguæ. Iuxta quam doctrinam vnica vox erit, quæ vna collisione causatur, siue vnica syllaba: & plures voces, plures syllabæ prolatæ in ore animalis: quarum prolatio non est intrinsecè continua; sed interrupta, & discreta diuersis percussionibus: inter quas intercedit aliqua quies, licèt non semper à nobis percipiatur.


Obseruandum est secundò, quod in voce plura concurrunt: primò aër repercussus, & hic est substantia: deindè sonus causatus ex tali percussione, & hic est qualitas: tertiò ipsa percussio, & hæc est actio; tandem duratio mensurans motum prolationis syllabarum: & hæc est quantitas vocis, quæ etiam dicitur tempus eius: secundùm quod syllaba dicitur magna, vel parua, longa, vel breuis. Oratio igitur consistit essentialiter in multitudine illorum temporum, seu extensionum syllabarum ordine quodam, & cum interruptione succedentium. Et hoc ipsum intelligendum etiam est de aliis sonis, aut motibus musicis, qui quodammodo dearticulantur, & ideò solent appellari voces.

His suppositis dicendum est, orationem esse veram speciem quantitatis. Sic docet Aristot. *in hoc capite* quem sequuntur D. Thom. *in* 4. *d.* 3. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 4. *ad* 1. *& opusc.* 48. *tract.* 3. *cap.* 2. B. Albertus *tract. de quantitate cap.* 2. Soncinas 5. *Metaph. quæst.* 4. Arauxo *ibidem quæst.* 3. *art.* 4. & communiter Doctores. Probatur breuiter: nam id, quod habet veram, & specialem extensionem partium est vera, & specialis quantitas: sed oratio habet veram extensionem partium distinctam ab aliis quantitatibus: ergo est vera species quantitatis. Minor suadetur: quia oratio constat sicut ex partibus, ex quantitatibus intrinsecis syllabarum discretè sibi succedentium, vt prænotauimus: sed partes discretæ, & cum fluxu succedentes efficiunt extensionem diuersam à qualibet alia quantitate: quia alia extensio, si est successiua, est continua, vt tempus: si verò discreta, est permanens, vt numerus: ergo partes orationis efficiunt specialem extensionem, videlicet discretam, & successiuam.

Confirmatur: quia ideò numerus est vnum ens per se, & vera species quantitatis, quia partes eius, licèt non vniantur termino communi; formaliter tamen habent verum ordinem prioris, & posterioris, vt vidimus *quæst. præcedenti*: sed etiam partes orationis habent verum ordinem secundùm concentum, seu in ordine ad consonantiam: ergo constituunt vnum ens per se, & consequenter oratio erit vera species quantitatis. Maximè quia si ex diuisione quantitatis continuæ permanentis resultat quantitas discreta permanens, nempè numerus: non est ratio quare ex diuisione quantitatis continuæ successiuæ, nimirùm temporis non resultet quantitas successiua discreta, quam appellamus orationem.

Inquires, an oratio sit species subalternæ quantitatis? Respondetur affirmatiuè: quia ex diuersa ordinatione vocum resultant diuersæ species orationis. Vndè videmus, orationes diuersas secundùm multitudinem, & quantitatem syllabarum fundare diuersas proportiones, & consonantias, vt apparet in tonis musicis *Diapente*, *Diapasaron*, &c. & in diuersis generibus carminum, vt sunt *Exametrum*, *saphycum* &c. & in pedibus carminum, quales sunt *spondæus*, *Pirrichius* &c. Videatur Soto hîc *quæst.* 1. *art.* 4.

Explicatis essentia, & speciebus quantitatis, solùm superest ad perfectam illius notitiam, quòd eius proprietates proponamus; quæ tàm ex se, quàm ex dictis in hac disputatione facilè apparent: & ideò non immorabimur in earum expositione. Prima est non habere contrarium. Secunda non suscipere magis, & minùs. Sed istæ non sunt rigorosæ proprietates quantitatis, quia etiam conueniunt substantiæ, vt vidimus *disp. præcedenti*. Tertia est, quòd secundùm quantitatem res dicantur æquales, vel inæquales, & consequenter magnæ, vel paruæ: & hæc est in omni rigore propria passio illius; nam sola quantitas fundat relationes æqualitatis, vel inæqualitatis. Si enim res aliorum prædicamentorum æquales, vel inæquales dicuntur, id fit per analogiam ad veram æqualitatem, quæ inter solas quantitates reperitur. Nam sicut per analogiam ad quantitatem perfectio cuiuslibet rei appellatur quantitas; ita per similitudinem ad veram æqualitatem conuenientia, vel excessus rerum dicitur æqualitas, & inæqualitas. Quo sensu Christus Dominus dicitur æqualis patri secundùm diuinitatem, & inæqualis secundùm humanitatem.



DISPV-

DISPVTATIO XIV.

De Prædicamento Relationis.

1 NOTITIA relationis valdè necessaria est, non solùm ad scientias naturales: sed etiam, & maximè ad sacram Theologiam, vbi de relationibus diuinis disputatur. Relationis autem nomine intelligimus entitatem, cuius propria ratio est habitudo ad aliud, siuè quæ refert suum subiectum ad aliquem terminum: includitquè proindè duplicem conceptum, alium communem, quo respicit subjectum, & dicitur *in*; alium differentiale, & proprium, quo trahit subjectum ad aliquem terminum, & dicitur *ad*. Agit autem Arist. de relatione significata in concreto, & in plurali, dùm inquit: *Ad aliquid, seu relatiua dicuntur* &c. In concreto quidem, quia relatio est minimæ entitatis: accidens autem in concreto apparet magis ens. In plurali verò, quia sic meliùs significatur relationem exerceri inter duo. Relicta autem definitione antiquorum, propriam definitionem proponit in hunc modum: *Relatiua sunt, quibus ipsum esse est ad aliud quodammodò se habere*. Ex qua infert, esse proprium relatiuorum, quod dicantur ad conuertentiam, & sint simul natura, & cognitione: ita vt qui perfectè cognoscit vnum, cognoscat etiam alterum perfectè, & definitiuè. Quæ omnia majori expositione egent; & ideò in hac disputatione singula elucidare curabimus.

QVÆSTIO I.

An dentur relationes reales, & quid sint?

§. I.

Sententia communis duabus assertionibus illustratur.

2 DIcendum est primò, verè dari relationes, etiam in creaturis. Hęc est communis Philosophorum sententia, quam omnes Platonici, & Peripatetici defendunt; sequunturquè Scholastici cum Magistro *in* 1. *distinct.* 30. & Theologi cum D. Thom. 1. *p. quæst.* 13. *art.* 7. *& quæst.* 28. *art.* 1. Quos proindè superuacaneum est in particulari referre.

Probatur primò; quia in diuinis dantur relationes reales, vt sunt paternitas, & filiatio; quia vna persona realiter procedit ab alia, vt filius à patre; sed etiam in creatis datur realis processio vnius personę ab alia; homo enim generat alium hominem, & est principium illius; ergo etiam in creaturis dantur relationes reales; cum hoc tamen discrimine à diuinis, quod illę sunt substantia, istę verò accidentia.

Secundò probatur alia ratione, quam D. Thom. *quæst.* 7. *de potentia, art.* 9. sic proponit: *Perfectio, & bonum, quæ sunt in rebus extra animam, non solùm attenditur secundùm aliquid absolutum inhærens rebus; sed etiam secundùm ordinem vnius rei ad aliam. sicut etiam in ordine partium exercitus bonum exercitus consistit: cui ordini comparat Philosophus ordinem vniuersi 11. Metaphys. ergo oportet in ipsis rebus ordinem quendam esse. Sed hic ordo est relatio quædam; ergo oportet in rebus ipsis relationes quasdam esse, secundùm quas vnum ad alterum ordinatur.*

Confirmatur; nam à parte rei vna quantitas est ęqualis alteri eiusdem magnitudinis, & vna albedo similis alteri eiusdem intensionis; sed ęqualitas, & similitudo non important pro formali entitatem absolutam, sed relatiuam; siquidem nihil est sibi ęquale, vel simile, sed alteri; ergo à parte rei dantur relationes reales, etiam in creaturis.

3 Dicendum est secundò, relationem in concreto optimè describi hac definitione; *Relatiua sunt, quibus ipsum esse est ad aliud se habere*; & hanc etiam esse congruam definitionem relationis in abstracto; *Relatio est accidens faciens respicere aliud*. Hęc assertio admittitur communiter ab omnibus Dialecticis, & solùm indiget explicatione. Nomine relationis nihil aliud intelligimus, quam formam, cuius formalis, & primarius effectus est trahere, seu referre suum subiectum ad aliquem terminum: per quod distinguitur ab aliis entibus, quæ solent appellari relatiua secundùm dici, vt sunt habitus, & potentiæ. Horum enim primarius effectus formalis non est ipsum respicere; sed aliquid absolutum fundans, vel inuoluens respectum. Constat autem in adductis definitionibus sufficienter explicari prædictum relationis effectum: ergo sunt rectæ. ¶ Accedit per ly *accidens* exprimi rationem relationi, & aliis accidentibus communem; & per reliquas particulas significari conceptum *ad*, siue purum respectum ad terminum, per quem re-

altio

ratio distinguitur ab aliis entibus.

§. II.

Proponitur opinio contraria.

4 ZEno perantiquus Philosophus negauit relationes reales, eique subscripsere Stoici cum aliis pluribus. Quam opinionem postea suscitauit Aureolus 1. *dist.* 30. *quæst.* 1. *art.* 2. solas diuinarum personarum relationes reales admittens.

Probatur primò: quia relatio nequit habere differentias diuisiuas reales: ergo non est speciale genus entis realis. Probatur antecedens: nam differentiæ diuisiuæ alicuius generis opponuntur inter se contrariè, & quasi priuatiuè, sicut perfectum, & imperfectum: sed inter differentias diuisiuas relationis solùm datur oppositio relatiua: ergo &c. ¶ Confirmatur: quia relatio diuagatur per alia prędicamenta, & ad illa consequitur; siquidem ordo vnius ad aliud in pluribus generibus reperitur: ergo relatio nequit esse speciale genus entis realis. Patet consequentia: nam ob hanc rationem *prius*, & *posterius oppositio*, & alia excluduntur à linea prędicamentali, & sunt post-prędicamenta.

Respondetur, differentias diuisiuas relationis opponi inter se contrariè, & priuatiuè, sicut alię cęterorum generum; quatenùs nequeunt conuenire eidem speciei relationis, & comparantur sicut perfectum, & imperfectum. Insuper verò gaudent oppositione relatiua ipsis specialiter conueniente. ¶ Ad confirmationem dicimus, quod relatio solùm ratione fundamenti inuenitur in aliis prædicamentis; sed ratione sui dicit essentiam completam ab omnibus aliis generibus diuersam: & idcircò debet constituere peculiare prædicamentum. *Prius* autem, & *posterius* &c. sunt puri modi, & quid ex sua ratione incompletum, & non perfectæ relationes: quapropter excluduntur à prædicamentis, vt infrà constabit.

Secundò arguitur: quoniam in prædicamentis non ponitur accidens in concreto, sed in abstracto, vt constat ex dictis *d.* 11. *n.* 39. at relatio nequit poni in abstracto: ergo non constituit aliquod prædicamentum reale. Suadetur minor: quia esse relationis est esse ad aliud: sed quod propriè refertur ad aliud non est ipsa relatio, sed fundamentum, aut concretum: ergo relatio in abstracto non constituitur in genere.

Respondetur negando minorem: licèt enim relatio in abstracto considerata non referatur vt *quod*; refertur tamen vt *quo*: in quantum est id, medio quo fundamentum respicit terminum: & provt sic collocatur in prædicamento.

5 Arguitur tertiò: nam si relatio, vt constituit speciale genus, esset forma realis, non contineret sub illo relationes rationis, vt de se constat: sed illas admittit: ergo secundùm suam rationem differentialem non est ens reale. Minor probatur ex Diu. Tho. 1. *p. quæst.* 28. *art.* 1. vbi hæc habet: *Solum in his, quæ dicuntur ad aliquid inueniuntur aliqua secundum rationem tantùm, & non secundum rem: quod non est in alijs generibus.* Idem docet *quodlib.* 9. *art.* 4.

Huic argumento respondent Canariensis *loc. cit.* ex prima parte, & Medina relatus à Sanchez *lib.* 5. *Logicæ quæst.* 32. quod in creatis relationes sunt aliquid reale ex communi conceptu *in*: non vero ex proprio, & differentiali conceptu *ad*: asserunt enim illas ex hac parte esse quid rationis, vel abstrahere ab vtroque.

Sed hæc solutio, & doctrina est falsa, quam possumus facile sic refellere: quoniam relatio, quæ constituit hoc prædicamentum, secundùm suam vltimam differentiam determinat ens reale, vt sit speciale genus entis realis: ergo non solùm communis ratio accidentis inuenta in relatione, & significata per esse *in*, est aliquid reale; sed etiam specialis ratio, qua relatio constituitur in esse talis accidentis, & significatur per esse *ad*. Patet consequentia: nam determinatio entis realis ad prædicamenta fit per transcendentiam, & inclusionem in illis: sed implicat, quod ens reale transcendat per ens rationis: ergo repugnat, quod in relatione ratio communis entis, & accidentis sit quid reale; ratio verò vltima, & propria non sit realis, sed rationis, aut abstrahens ab vtraque.

6 Pro legitima ergo difficultatis enodatione obserua, hoc interesse discriminis inter relationem, & alia accidentia, quod relatio secundùm suam vltimam differentiam non exprimit realitatem; secùs autem alia genera accidentium. Quoniam realitas accidentis sumitur per ordinem ad subiectum, cùm accidentis esse sit inesse: relatio autem in suo conceptu differentiali non explicat habitudinem ad subiectum, sed ad terminum: quantitas verò, & qualitas, & alia accidentia dicunt ordinem ad subiectum, etiam secundùm propriam vniuscuiusque rationem: & idcircò relatio ex proprio conceptu non exprimit realitatem, tametsi illam re ipsa includat, vt constat ex dictis.

Ex quo sequitur, posse abstrahi à nobis cum fundamento in re conceptum *ad*, siue respectum, qui sit communis relationi reali, & rationis, secundùm analogiam proportionalitatis propriæ; ita quod relatio rationis simpliciter, & absolutè dicatur relatio. Quod non sic contingit in aliis generibus accidentium, tùm propter rationem proximè traditam: tùm, quia intellectus habet actum proprium, quo vnum refert ad aliud, & consequenter facit propriè relationem rationis; non autem habet actum, quo dicatur quantificare v. g. vel qualificare, & ideò nequit facere propriè quantitatem, aut qualitatem rationis.

Vndè in relatione duplex *ad* distinguendum est: aliud vniuersalissimum, quod præscindit à reali, & rationis, estquè vtrique commune per analogiam proportionalitatis propriæ: aliud minus vniuersale, quod determinatè importat respectum realem, & consequitur ad rationem fundandi realem. Et hoc vltimum *ad* constituit prędicamentum relationis, & dumtaxàt continet respectus reales: quia illorum præcisè est supremum genus.

Hinc ad argumentum respondetur, D. Thom. non loqui de relatione secundùm quod determinatè constituit hoc prædicamentum; sed de relatione illimitatè accepta: quo pacto non est prædicamentum, aut genus; sed ratio quædam analoga, & superior: sub hac enim, & non sub prædicamento inueniuntur relationes fictæ. Quia tamen relatio prædicamentalis fundat conuenientiam proportionalitatis propriæ cum relatione rationis; quod non sic habent alia prædicamenta; propterea D. Thom. singulariter attribuit relationi ea, quæ in auctoritate opposita referuntur.

QVÆSTIO II.

Quænam relationes pertineant ad hoc prædicamentum?

7 RElicta relatione rationis, quam certum est in prędicamento non collocari, relatio realis diuiditur in relationem *transcendentalem*, & *prædicamentalem*,

lem, vel, quod idem est: in relationem *secundùm dici*, & relationem *secundùm esse*. Prior est forma simpliciter absoluta, cui coniungitur quidam respiciendi modus; & ideò non significat per se primò respectum; sed absolutum respectiuè: cuiusmodi sunt scientia, virtus, actio, & alia, quæ specificantur per ordinem ad aliquid extrinsecum. Posterior verò est, cuius totum esse est ad aliud se habere, vt paternitas v. g. & similitudo.

Rursùs relatio prædicamentalis, & secundùm esse diuiditur in mutuam, & non mutuam. Mutua est, cui à parte termini correspondet alia relatio realis, vt paternitas, cui correspondet filiatio. Non mutua est, cui ex parte termini non correspondet alia relatio realis, vt relatio seruitutis, qua creaturæ referuntur ad Deum, cui ex parte Dei non correspondet alia relatio realis. ¶ Porrò relatio mutua subdiuiditur in relationem æquiparantiæ, & disquiparantiæ. Illa est, cui in termino correspondet alia eiusdem rationis, vt similitudo albi ad album, in quo inuenitur alia similitudo ad primum. Ista verò est, cui in termino correspondet alia relatio diuersæ rationis, vt paternitas, cui non correspondet alia paternitas, sed filiatio. Quibus suppositis.

8 Dicendum est, solas relationes reales creatas, quæ sunt relationes secundùm *esse*, collocari in hoc prædicamento; non autem relationes transcendentales, & secundùm *dici*. Hæc est communis sententia Dialecticorum, quam docet Aristot. *in hoc capite*. Nam definitionem relatiuorum ab antiquis traditam, nempè: *Ea dicuntur ad aliquid, quæ ad id quod sunt, aliorum esse dicuntur*; ideò vt insufficientem reiecit, quia ex illa sequebatur relatiua secundum dici pertinere ad istud prædicamentum.

Ratio est perspicua: quoniam ad prædicamentum quantitatis solùm pertinent veræ quantitates, & in prædicamentò qualitatis tantùm collocantur verę qualitates; & hoc ideò est, quia res spectant ad prędicamenta ratione proprię quidditatis: ergo pariter in prædicamento relationis solùm collocantur, quæ sunt veræ relationes: sed huiusmodi sunt solùm relationes reales, & secundùm *esse*: ergo hæ dumtaxat pertinent ad hoc prædicamentum. Minor constat ex dictis: quia ideò paternitas v. g. & filiatio dicuntur relationes secundùm esse, quia verè habent esse, seu essentiam relationis. E contrà verò scientia v. g. & virtus ideò appellãtur relationes secundum dici, quia non important per se primò purum respectum; sed significant res absolutas, quas consequuntur respectus reales, vel rationis: & propter has relationes sibi adiunctas appellantur relatiua.

Quam doctrinam illustrat D. Thom. *prima parte quæ. 13. articul. 7. ad 1.* his verbis: *Quædam relatiua imposita sunt ad significandum ipsas habitudines relatiuas, vt Dominus, seruus, pater, & filius, & huiusmodi; & hæc dicuntur relatiua secundùm esse. Quædam verò sunt imposita ad significandas res, quas consequuntur quædam habitudines, sicut mouens, & motum, caput, & capitatum, & alia huiusmodi, quæ dicuntur relatiua secundum dici*. Ergo ex mente D. Thom. relationes secundùm dici nõ sunt re ipsa relationes, sed quid absolutum simpliciter, significatum tamen respectiuè: vt declarant exempla, quibus vtitur. Per quod manet exclusa opinio Suarij, qui *disp. 47. Metaph. sect. 3.* sentit, relationem secundùm esse diuidi in relationem prędicamentalem, & transcendentalem; & consequenter dari veras relationes extra hoc prędicamentum. Quę sententia satis refellitur ex hactenus traditis; neque in fauorem eius, est argumentum alicuius ponderis, cui opus sit occurrere.

Diximus in conclusione, solas *relationes creatas*, collocari in hoc prędicamento; vt excluderemus relationes diuinas: quę licèt sint verę relationes, sunt tamen ipsa substantia Dei per identitatem: vndè nequeunt poni in hoc prędicamento, ad quod duntaxàt pertinent accidentia.

QVÆSTIO III.

Quæ conditiones requirantur ad relationem prædicamentalem.

9 Dicendum est, quatuor requiri conditiones ad relationem realem prędicamentalem, nempè *subiectum reale, rationem fundandi realem, terminum realiter existentem, & distinctionem realem* inter fundamentum, & terminum. Ita D. Thom. *opusc. 48. tract. 9. cap. 1.* & communiter Doctores.

Prima conditio facilè constat: quia accidens reale petit subiectum reale: sed relatio prædicamentalis est accidens reale: ergo. ¶ Secunda etiam satis apparet: nam relatio realis est ordo inter duo, cuius realitas non sumitur à termino sed à fundamento: ergo ex parte huius debet dari aliquid reale, quod sit radix, & ratio respiciendi terminum: & istud appellamus rationem fundandi. Defectu cuius conditionis res intellecta, quatenùs talis, non refertur realiter ad intelligentem: quia esse intellectam nihil reale ponit in ipsa. Vbi obserua hæc tria: *subiectum, rationem fundandi, & fundamentum*, se habere sicut corpus, albedo, & album: nam sicut corpus est id, in quo recipitur albedo, & hæc est ipsa forma recepta; album autem est compositum ex vtroque: sic subiectum relationis significat rem materialem, cui relatio inhæret: ratio verò fundandi significat illam rationem, propter quam relatio fundatur, & conuenit subiecto; & tandem fundamentum importat compositum ex subiecto, & ratione fundandi. Propter quod aliqui appellant subiectum fundamentum remotum; & rationem fundandi fundamentum proximum.

10 Tertia conditio probatur ratione Diu. Thom. *1. contra gentes, cap. 12.* quia si respectu rei possibilis daretur relatio realis, binarius v. g. haberet in actu relationes infinitas ad infinitos numeros eo maiores, qui sunt possibiles: sed nequit dari infinitum in actu: ergo relatio realis petit terminum realiter existentem. ¶ Confirmatur: quia relatio realis versatur ante operationem intellectus inter fundamentum, & terminum: ergo sicut illud habet à parte rei aliquid, per quod fundat relationem; sic iste debet habere à parte rei aliquid, per quod illam terminet: ergo sicut requiritur existentia subiecti, ita, & termini.

Per quod patet vltima conditio: nam relatio realis est ante operationem intellectus ordo realis, & oppositio inter duo: sed implicat realis ordo, vel oppositio eiusdem ad se ipsum: ergo requiritur realis distinctio inter fundamentum, & terminum in ipsis formalibus rationibus, inter quas consurgit relatio. Et idcirco D. Thom. *1. p. q. 42. art. 1. ad 4.* docet, relationes similitudinis inter personas diuinas ratione essentiæ non esse reales: quia licèt personæ realiter distinguantur; ipsa tamen essentia, quæ est ratio fundandi similitudinem, est omninò eadem. Et idem contingeret si per possibile eadem numero albedo poneretur in duobus subiectis: non enim daretur realis similitudo ob defectum distinctionis inter rationem fundandi, & terminandi illam.

11 Ex iis possumus colligere aliqua discrimina inter relationem prædicamentalem, vel secundum esse, & transcendentalem, vel secundùm dici. Primum est, prædicamentalem necessariò supponere aliquod fundamentum absolutum; quod tamen non necessariò suppo-

ant

nit relatio transcendentalis. Ratio patet ex dictis: nam prædicamentalis est vera relatio, & sic supponit rem absolutam; transcendentalis verò est reuera quid absolutum, ac proinde non necessariò supponit illud.

Secundum discrimen est, relationem prædicamentalem non esse per se intentam à natura; benè autem transcendentalem. Ratio est: quia illa nequit produci per se, cum ad illam non detur per se motus ex Arist. 5. *Physic.* sed resultat ad productionem alterius. Relatio autem transcendentalis est simpliciter res absoluta per se producibilis, vt patet in scientia, & similibus qualitatibus.

Tertium discrimen est, relationem prædicamentalem petere terminum existentem realiter: quem tamen transcendentalis necessariò non exposcit. Quod quantum ad relationem prædicamentalem constat ex proximè dictis *num. præced.* & quoad transcendentalem liquet in scientia, quæ est transcendentalis relatio ad obiectum, etiam si illud non existat, aut sit ens rationis. Vtraque autem relatio, si est realis, petit realem distinctionem inter fundamentum, & terminum: quia eiusdem ad se ipsum solùm potest esse ordo rationis.

Vltimum discrimen (omissis aliis) est, quod relatio prædicamentalis respicit terminum, vt purè terminum; transcendentalis autem respicit illum sub alia ratione v. g. effectus, finis, obiecti, &c. Nam cùm relatiua prædicamentalia sint simul natura, vt infrà dicemus; quamuis in radicali ratione terminandi possint includere rationem causæ, vel obiecti: attamen nihil horum per se intrat ad formalem terminationem. Quæ proindè præcisè consisteret in eo, quod terminus correferatur, & sit purus terminus relationis. Quod non sic contingit in relatiuis transcendentalibus, quæ propriè non sunt relatiua; sed quid absolutum: ac proindè non sunt simul natura; sed respiciunt terminum sub aliqua speciali ratione causæ, vel effectus: vt patet in scientia, quæ respicit objectum sub ratione obiecti, & sic de aliis. Videantur dicenda *quæst.* 6.

QVÆSTIO IV.

Quot sint fundamenta relationis.

EXplicata essentia relationis prædicamentalis, oportet, quòd species eius inuestigemus. Et quia relatio sumit specificationem à ratione fundandi; aptior via ad cognoscendas illius species erit recensere omnes rationes fundandi: quod præstabimus in præsenti.

§. I.

Recensentur rationes fundandi relationem.

12 COncors inter Metaphysicos, & Dialecticos sententia est, tria esse genera rationum fundandi; nempè vnitatem, & numerum; actionem, & passionem; mensuram, & mensurabile. Quem numerum statuit Aristot. 5. *Metaphys. cap.* 15. probatquè D. Thom. *ibidem lect.* 17. sequenti ratione: quoniam relatio est ordo vnius ad aliud: sed tribus modis potest vnum à parte rei ad aliud ordinari: ergo tria sunt genera fundamentorum, & relationum. Minor explicatur, & suadetur: nam vna res potest ordinari ad aliam, vel secundùm quod quantitas vnius mensuratur per aliam, seu potest mensurari cum altera, & fundare conuenientiam, & proportionem: & sic est primum genus, nempè vnitatis, & numeri. Vel vna res respicit aliam, quatenùs illi confert, vel ab ea recipit aliquid: & sic est secundum genus, videlicèt actionis, & passionis. Vel vna res ordinatur ad aliam secundum esse, quatenùs esse vnius dependet ab alia, sicut à mensura suæ perfectionis: & sic est tertium genus mensuræ, & mensurabilis. Nulla autem inuenitur relatio, quæ ad ista genera non possit reduci: ergo dicta diuisio est adæquata.

Inquires, cur qualitas v. g. non fundet peculiare genus relationis? ¶ Respondetur qualitatem (& idem est de alijs prędicamentis) esse subiectum materiale relationis in quantum eam recipit, & ab ea denominatur: nequit tamen habere rationem fundandi, nisi inferat ordinem ad aliud: quia relatio consistit in ordine. Vndè cum qualitas ex communi conceptu ordinetur duntaxàt ad subiectum, cui inhæret; nequit esse fundamentum relationis, nisi ordinetur ad aliud, vel prout est principium actionis, seu passionis: quo pacto pertinet ad secundum genus: vel quatenùs induit modum quantitatis, & est vna aut plures: qua ratione reducitur ad primum genus: vel quatenus mensuratur in sua perfectione per aliud, vt potentia per obiectum: & sic ad tertium genus spectat.

Difficiliùs est explicare vnumquodque fundamentum, & omnes relationes ad hæc tria genera singillatim reuocare; quod planè Metaphysicorum est: horum tamen aliqualis notitia omnino necessaria est ad illud prędicamentum: & idcircò nonnulla breuiter attingemus.

§. II.

De primo relationum fundamento.

13 QVamuis Aristot. vnitatis nomine videatur significare solam vnitatem quantitatiuam: communis tamen consensus interpretum extendit hoc fundamentum ad alia prædicamenta, quatenùs induunt modum quantitatis, & in eis attenditur vnitas, vel multitudo. Quo sensu dixit Aristoteles 5. *Metaphys. Eadem namque sunt, quorum vna est substantia, similia verò quorum qualitas est vna: æqualia verò quorum quantitas est vna.* Ex quo dimanauit commune proloquium: *Vnum in substantia facit idem, in quantitate æquale, in qualitate verò simile.* Quod etiam extenderetur ad alia prædicamenta, si nomina suppeterent exprimentia modum vniuscuiusque: vt si dicamus (licet impropriè) quod vnum in *vbi* facit præsens, in *situ* vero propinquum. Videatur Arauxo. 5. *Metaph. q.* 5. *art.* 9.

Hinc sequitur, omnes relationes identitatis, & diuersitatis; æqualitatis, & inæqualitatis; similitudinis, & dissimilitudinis; præsentiæ & absentiæ; propinquitatis, & distantiæ, & alias similes, sub hoc primo genere, seù fundamento collocandas fore. Ex quibus identitas, æqualitas, similitudo, præsentia, & propinquitas fundantur in vnitate absolutè sumpta, & non formaliter, vt est principium numeri: quia in his relatiuis attenditur id, quod conuenientiæ est. Nam Petrus, & Paulus v. g. fundant relationem identitatis in natura humana, quatenùs sunt vnum in illa; non verò secundum quod habent principia differendi, & causant numerum. ¶ Aliæ autem relationes nempè diuersitas, inæqualitas, dissimilitudo, absentia, & distantia fundantur in vnitate cujuslibet rei, non absolutè accepta; sed vt est principium multitudinis, & distinctionis: quoniam in huiusmodi relatiuis attenditur id, in quo differunt, & sunt plura. Adhuc tamen istæ relationes non dicuntur fundari in numero: quia non petunt numerum ex parte alicuius extremi; quod necessarium erat, vt ratio fundandi diceretur

numerus, sicut contingit in proportionibus numerorum, vt statim dicemus.

14 Inquires, an vnitas transcendentalis ipsius relationis possit etiam fundare relationem prædicamentalem? vel, quod idem est, an vna relatio possit fundari in alia, sicut fundatur in substantia, v. g. aut quantitate? ¶ Respondetur negatiuè cum D. Thom. 1. *p. q.* 42. *art.* 1. *ad* 4. vbi ait: *Nequè iterùm vna relatio refertur ad aliam per aliquam aliam relationem. Cùm enim dicimus, quod paternitas opponitur filiationi, oppositio non est relatio media inter paternitatem: quia vtroque modo multiplicaretur in infinitum.* Et ratio à priori desumitur ex eodem Angelic. Doct. 1. *p. q.* 35. *art.* 3. *ad* 2. quia nimirùm relatio essentialiter est relatio: ergo se ipsa refertur, & non media alia relatione; sicut quia actio essentialiter est actio, se ipsa fit, & egreditur ab agente, & non media alia actione à se distincta. Alias rationes adducit N. Didacus à Iesu hic *disp.* 14 *quæst.* 3. vbi Thomisticam sententiam optimè elucidat, & propugnat aduersùs Scotum; & asseclas illius.

15 Circà secundam partem huius fundamenti asserendum est, illas relationes propriè fundari in numero, quę ex parte alicuius extremi habent numerum prò ratione fundandi: & huiusmodi sunt omnes proportiones, siuè numeri ad numerum, siuè numeri ad vnitatem. Quæ est expressa doctrina Arist. *vbi suprà* & D. Thom. *ibidem lect.* 17 & ratione satis clara suadetur: quoniam relatio non dicitur fundari in numero, ex eo, quòd fundamentum, & terminus sint plura, & faciant numerum; hoc enim commune est omni relationi reali, cùm petat extrema realiter distincta: ergo ideò dicitur fundari in numero, quia ipse numerus est extremum, quod refertur media relatione.

Hinc colligitur, quòd licèt vnitas transcendentalis substantiæ v. g. sufficiat ad fundandam relationem prædicamentalem respectu alterius substantiæ; tamen numerus transcendentalis substantiarum, aut aliarum rerum non est sufficiens ad fundandam relationem prædicamentalem sicut fundat numerus prædicamentalis. Ratio est: quia vnitas transcendentalis est ens per se sicut ipsum ens, cuius est vnitas: & similiter numerus prædicamentalis est per se vnum, & vera species quantitatis, vt constat ex suprà dictis, *disput.* 13. *à num.* 38. vndè possunt fundare veram relationem prædicamentalem. Numerus autem transcendentalis est ens per accidens, vt ibidem diximus *n.* 21. & idcircò nequit veram relationem fundare. Vndè proportio dupla, quam apprehendimus inter numerum quaternarium, & binarium Angelorum, non est vera relatio: & idem contingit in aliis proportionibus, & habitudinibus inter numeros transcendentales. Illę igitur proportiones sunt duntaxat relationes reales, pertinentquè ad istud genus, quæ inueniuntur inter numeros prædicamentales, seu quantitatiuos. Diuiditur autem proportio in plures species; quas tamen non recensemus, nè aggrediamur opus satis prolixum, & non adeò necessarium. Videatur D. Thom. 5. *Metaph. lect.* 17.

§. III.

De secundo fundamento relationum.

16 SEcundum genus comprehendit omnes relationes, quæ inter causam efficientem, quatenùs talem, & illius effectum inueniuntur: & sunt in duplici differentia. Quædam enim necessario supponunt actionem, vt paternitas, & filiatio, de quibus statim agemus. Aliæ autem non dependent ab actione, & passione; sed illarum existentiam antecedunt: cuius modi sunt habitudines, quas dicunt agentia constituta in actu primo ad passum eodem modo constitutum, vt relatio calefactiui ad calefactibile. Et istæ relationes fundantur immediatè in ipsis potentiis actiua, & passiua, diuiduntur què iuxtà diuisionem vtriusque potentiæ, vt tradunt communiter Doctores.

Circà primas verò relationes, quæ actionem supponunt, non leue dissidium est, an illarum ratio fundandi sit actio, & passio; an verò potentia actiua, & passiua; an deniquè substantia, quæ est principium radicale actionis, & passionis. Controuertiturquè claritatis gratia difficultas in paternitate: & inquiritur: an ratio fundandi illam sit substantia patris; vt vult Suarez *disp.* 47. *Metaph. sect.* 12. an verò potentia generatiua, vt docet Scotus *in* 4 *dist.* 6. *quæst.* 10. an deniquè ipsa generatio, vt tradunt communiter Thomistæ.

17 Dicendum est, huiusmodi relationes fundari immediatè in actione, & passione. Ita Aristot. 5. *Metaph.* & D. Thom. *ibidem*, 1. *p. q.* 28. *art.* 4. & 4. *contra gentes cap.* 24. & *opusc.* 48. *cap.* 4. vbi inquit: *Fundamentum paternitatis est actio, scilicet generatio, qua quis genuit filium, & fundamentum filiationis est passio, scilicet generatio passiua.* Doctori sancto subscribunt communiter eius discipuli. Ratio est: quia illa est immediata, & formalis ratio fundandi relationem paternitatis, qua posita ponitur dicta relatio, & ablata aufertur. Sed posita generatione, ponitur paternitas, & ea ablata aufertur; licèt deiut substantia, & potentia generatiua: ergo. ¶ Confirmatur, & explicatur: nam actio, & passio diuerso modo se habent ad relationes huius generis, quam ad relationes aliorum, vt docent omnes Auctores: sed ad alias relationes concurrunt, vt conditio sine qua non; productio enim albi est conditio indispensabilis, vt dicat habitudinem ad aliud album: ergo actio, & passio concurrunt ad relationes huius generis, non solùm, vt conditio; sed vt formalis, & immediata ratio fundandi.

18 Obiicies primò: quoniam ratio fundandi tandiù debet permanere, quandiù perseuerat relatio in ea fundata: sed paternitas persistit transacta generatione: ergo non fundatur in ea; sed in substantia patris, vel in potentia generatiua.

Respondetur, negando maiorem vniuersaliter intellectam: quia ratio fundandi ex suo formali conceptu non est subiectum *quod*, vel *quo* relationis fundatæ; sed habet modum causæ respectu resultantiæ illius. Potest autem effectus persistere, euanescente causa. Maximè, cum ratio fundandi relationes huius generis, importet rationem motus, & transitus, qui debet cessare termino acquisito: quocircà vt aliquis dicatur de præsenti pater, sufficit aliquandò genuisse, & sic de aliis.

Obiicies secundò: nam ratio formalis fundandi filiationem est ipsa substantia filii. ergo ratio fundandi paternitatem est ipsa substantia patris. Consequentia patet, & antecedens probatur ex D. Thom. 3. *p. q.* 35. *a.* 5. vbi negat esse in Christo filiationem realem ad B. Virginem; quia suppositum Christi est diuinum, & incapax recipiendi aliquod accidens: ergo sentit rationem immediatam fundandi filiationem esse ipsum suppositum, vel substantiam filii. Alias non rectè concluderet.

Respondetur filiationem respicere personam geniti, non quidem vt rationem fundandi; hæc enim est natiuitas, aut generatio passiua: sed vt subiectum immediatum, vt docet D. Thom. *loco cit.* Vndè quia suppositum diuinum est incapax recipiendi aliquod accidens, qualis est relatio filiationis: idcircò Christus dominus non refertur filiatione reali ad B. Virginem; quamuis illius generationem terminauerit.

§. IV.

§. IV.

De tertio relationum fundamento.

19 Ratio fundandi relationes huius tertij generis est intrinseca dependentia vnius rei ab alia, sicut à principio specificatiuo, vel sicut à mensura sui esse: quo pacto scientia refertur ad obiectum, sensus ad sensibile, creatura ad Deum, & sic de aliis. Distinguitur autem hæc ratio fundandi à prima, nempè ab vnitate: quia vnitas solùm mensurat quantitatem conuenientiæ vnius rei cum alia absolutè accepta; hic verò mensuratur intrinseca rei perfectio per habitudinem ad proprium specificatiuum, vel exemplar.

Vndè sequitur, relationes huius tertij generis non esse mutuas, siue intrinsecas vtrique extremo; sed solùm se tenere ex parte rei mensurabilis: vt patet in scientia, & obiecto: nam licèt scientia referatur realiter ad obiectum, hoc tamen non habet relationem realem ad illam: Quod tradit D. Thom. 1. *p. q.* 13. *art.* 7. & ratio satis manifesta conuincit: quia ratio fundandi has relationes est intrinseca rei dependentia in suo esse: sed hæc se tenet ex parte rei mensurabilis; secùs verò ex parte mensuræ, vt liquet: ergo huiusmodi relationes non sunt mutuæ. Propter quod rectè dixit Aristot. *loco sæpè scitato* scibile, & sensibile non dici relatiuè, quia ipsa referantur ad alia; sed quia alia referuntur ad ipsa. Et ideò relationes istæ semper inueniuntur inter res diuersi ordinis: quarum scilicet vna dependet ab alia, & non è contra, vt benè obseruauit D. Thom. vbi supra.

20 Deindè infertur, relationes huius generis posse optimè fundari in substantia creata: quia ipsa substantia animæ v. g. vel Angeli per se ipsam dependet à perfectione Dei, sicut ab exemplari, & mensura. Quod etiam in aliis generibus relationum admittendum est: nam relatio identitatis inter Petrum, & Paulum fundatur immediatè in vnitate formali vtriusque, quæ non differt ab eorum substantia. Similiter relatio creaturæ ad Deum, sicut ad principium efficiens habet prò ratione fundandi creationem passiuam, quæ est realiter ipsa substantia creata. Quam doctrinam possemus elucidare aliis pluribus exemplis, quæ tamen omittimus, vt minus necessaria: quia hic est communis sensus Dialecticorum auctoritate D. Thom. munitus *quæst. 6. de potentia art. 9. ad 4. & quodlib. 1. art.* 10. *ad* 4.

In fine huius quęstionis obseruandum est, quod quandò asserimus hanc, aut illam rationem fundare relationem realem intelligendum est suppositis aliis conditionibus ad existentiam dictæ relationis generaliter requisitis. Nam si aliqua ex iis deficiat, non resultabit relatio realis, quantumuis ratio fundandi realiter adsit. Propter quod, & si Logica dependeat à proprio obiecto, nimirum ab ente rationis, & mensuretur per illud: non tamen refertur ad ipsum relatione reali prædicamentali: quia huius terminus debet esse ens reale, & realiter existens, vt supra diximus.

QVÆSTIO V.

Vtrùm relatio distinguatur realiter à suo fundamento.

Cognitis fundamentis relationis, superest vt examinemus, an relatio distinguatur ab illis per solam operationem intellectus; an verò realiter. Quam difficultatem in præsenti enodare curabimus.

§. I.

Vera sententia, & primum illius fundamentum.

21 Dicendum est, omnem relationem prædicamentalem distingui realiter à fundamento, seu ratione fundandi. Sic docet D. Thom. *in* 1. *dist.* 4. *qu.* 1. *art.* 1. *ad* 3. *& dist.* 33. *q.* 1. *& quæst. 8. de potentia art.* 2. *ad* 1. *&* 1 *p. q.* 28. *art.* 2. vbi docet, relationem realiter inhærere subiecto, & in solutione ad secundum inquit: *Sicut in rebus creatis in illo, quod dicitur relatiuè, non solum est inuenire respectum ad alterum, sed etiam aliquid absolutum: ita etiam, & in Deo. Sed tamen aliter, & aliter: nam id, quod inuenitur in creatura præter id, quod continetur sub significatione nominis relatiui est alia res; in Deo autem non est alia res, sed vna, & eadem.* Angelicum Doctorem sequuntur communiter Thomistæ: quibus etiam consentiunt Scotus *in* 3. *dist.* 3. *q.* 1. Durand. *in* 1. *dist.* 30. *qu.* 2. Molina 1. *p. q.* 13. *art.* 7. Valentia *ibidem disp.* 2. *quæst.* 2. *puncto* 1. & alij.

Probatur primò ratione generali: nam quæ pertinent ad diuersa prædicamenta distinguuntur realiter actualiter: sed relatio, & eius fundamentum pertinent ad diuersa prædicamenta: ergo distinguuntur realiter actualiter. Minor est certa, & admittitur ab aduersariis. Maior verò suadetur *primò*: quia distinctio realis duorum supponit in vnoquoque vnitatem transcendentalem, per quam sit realiter vnum: ergo tunc aliqua erunt realiter distincta, quandò vnumquodque fuerit in se realiter vnum; nam eo ipso erit realiter indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio: sed quidquid ponitur in prędicamento habet in se vnitatem realem: ergo distinguitur realiter ab eo, quod in diuerso prædicamento collocatur. Minor subsumpta constat: quoniam vnitas realis est passio entis, & consequitur essentiam: sed res pertinent ad prædicamenta ratione essentiæ: ergo quæ continentur in diuersis prædicamentis habent diuersas vnitates transcendentales; debentquè proindè distingui realiter.

Secundò: quia prædicamenta sunt primò diuersa, & se ipsis distinguuntur, vt supra diximus docetquè D. Tho. *quæst.* 7. *de potentia art.* 3. *ad* 2. sed quæ se ipsis distinguuntur sunt ipsæ rationes actu differendi: ergo distinguuntur inter se realiter actualiter. ¶ *Tertiò*: quia maior distinctio est inter primò diuersa, quam inter realiter distincta; cùm hæc possint vniuocè conuenire; illis verò nihil sit commune præter nomen: sed prædicamenta sine ordine ad intellectum sunt actu primo diuersa; aliàs non darentur à parte rei decem suprema genera entium: ergo sunt actualiter distincta.

Confirmatur: quoniam ea, quę habent diuersas essentias adæquatas, distinguuntur realiter actualiter; siquidem quælibet essentia est vna in se, & diuersa a qualibet alia: sed quæ constituunt diuersa prædicamenta habent essentias adæquatè diuersas; cùm non conueniant in aliquo gradu generico, vel vniuoco: ergo distinguuntur realiter actualiter: constat autem relationem, & eius fundamentum ad diuersa prędicamenta spectare: ergo &c.

Hoc argumento vtitur D. Thom. *loc. cit. de potentia*, ostendens, quod substantia creata nequit esse realiter idem cum relatione; benè autem essentia diuina: quia scilicet substantia ęreata. *Est definita* (inquit) *ad vnum genus, & per consequens excluditur ab alio genere*. Quę ratio (vt rectè obseruauit Caiet. 1. *p. quæst.* 28. *art.* 2.) probat

probat etiam distinctionem realem relationis à quantitate, qualitate, &c. cùm vnaquæque res sit definita ad suum genus. Vndè omnia prædicamenta distingui ante operationem intellectus defendunt plures, & nobiliores Thomistæ. Videatur Arauxo 5. *Metaphys. quæst.* 5. *art.* 4. *&* 5. vbi testatur sic sentire omnes veros D. Thom. discipulos.

§. II.

Expenduntur aliæ duæ rationes.

22 SEcundò probatur nostra sententia: nam ea, quæ realiter separantur, realiter distinguuntur: sed relatio prædicamentalis est realiter separabilis à suo fundamento: ergo distinguitur realiter ab illo. Maior est expressa Aristot. 7. *Physic. cap.* 1. vbi inquit. *Ampliùs, si potest alterum sine altero esse, non erit idem.* Et ratione suadetur: tùm quia implicat, quod idem à se ipso realiter separetur; aliàs simul esset, & non esset. Tùm etiam, quia quandò exercetur realis separatio inter aliqua, aliquid tollitur, & aliquid remanet: ergo datur realis distinctio inter illa, quæ realiter separantur. Minor etiam constat: quia Petrus ante generationem non est realiter pater; filioquè pereunte, amittit paternitatem: ergo relatio, & eius fundamentum realiter separantur.

Huic argumento occurrit Suarez respondens, quod relatio secundùm suum esse reale nunquam separatur à fundamento; sed solùm, destructo termino, cessat relatiua denominatio. Sed contrà: quia illa relatiua denominatio non potest esse ens rationis; cùm nullum ens rationis sit de conceptu entis realis, qualis est relatio prædicamentalis: ergo est ens reale: & consequenter jam relatio secundùm aliquid reale separatur à fundamento.

Confirmatur primò: nam relatio secundùm suum esse *ad* nequit esse, aut intelligi sine termino: sed esse *ad* est aliquid reale: ergo aliquid reale relationis perit, pereunte termino. ¶ Confirmatur secundò: nam illa relatiua denominatio, quæ dicitur cessare, ablato termino, non potest esse denominatio extrinseca; cùm hæc non constituat speciale prædicamentum: ergo est forma intrinseca; ac proindè destructo termino, realiter cessat relatio secundùm aliquid intrinsecum.

Ad hæc: denominatio intrinseca debet esse eiusdem generis, & ordinis cum forma, à qua communicatur: sed fundamentum, aut ratio fundandi est simpliciter quid absolutum; denominatio verò relatiua est simpliciter quid relativum, & consequenter diuersi generis: ergo denominatio relatiua nequit præstari à fundamento, vel ratione fundandi: ergo necessaria est alia entitas formaliter relatiua, & ab illis diuersa, quæ prædictam denominationem impertiatur. Per quod tacitè excluduntur aliquæ instantiæ, quæ in fauorem Suarij possent adduci.

23 Tertiò probatur eadem conclusio: quoniam impossibile est idem esse realiter substantiam, & accidens: sed relatio est accidens reale; aliàs poneretur in genere substantiæ, & minimè constitueret diuersum prædicamentum: ergo non est idem realiter cum substantia, in qua potest immediatè fundari, ac proindè distinguitur realiter à fundamento. Major patet: quia esse per se; & esse in alio sunt modi realiter oppositi, quorum vnus trahit negationem alterius: sed substantia est ens per se: accidens verò est ens in alio: ergo repugnat, quod idem sit realiter accidens, & substantia.

Confirmatur primò: nam subiectum realiter distinguitur ab eo, per quod realiter immutatur: sed fundamentum mutatur realiter per relationem: ergo distinguitur realiter ab illa. Probatur minor: quia ideò renuunt communiter Theologi ponere in Deo relationes reales ex tempore, quoniam Deus mutaretur per aduentum illarum: quo inconueniente sublato, nulla efficax suppeteret ratio ad negandum Deo relationes reales in ordine ad creaturas: ergo fundamentum mutatur per aduentum relationis.

Confirmatur secundò: nam si albedo v. g. & relatio similitudinis, quæ in ea fundatur, essent realiter idem: aucta realiter albedine augeretur realiter similitudo: sed potest augeri realiter albedo, quin similitudo realiter augeatur; ergo &c. Minor facilè constat: nam si dentur duo alba vt quatuor, habent planè relationem similitudinis, quod si vnum augeatur vsquè ad quinque, minimè augetur similitudo inter illa; sed potius decrescit: ergo augetur albedo, non aucta similitudine.

24 Inquires: an distinctio realis inter relationem, & fundamentum sit modalis, vel entitatiua? Respondetur, esse entitatiuam. Ratio est: quia sicut nomen *res* significat, id quod habet quidditatem, ita hoc nomen *ens* significat, quod habet existentiam, vt docet Diuus Thom. *in* 2. *dist.* 37. *qu.* 1. *art.* 1. ergo id, quod habet essentiam, & existentiam propriè est res, & ens, debètque proindè distingui entitatiuè ab aliis entitatibus: sed relatio prædicamentalis habet essentiam, & existentiam; cùm sit accidens completum, constituens speciale genus entis, vt liquet ex dictis: ergo est res, & ens; distinguiturque proindè à fundamento, non vt modus, sed realiter entitatiuè; Quod proculdubiò docet D. Thom. *in* 1. *dist.* 20. *qu.* 1. *art.* 1. dicens: *Relatio, quæ habet esse in creatura, habet aliud esse, quam sit esse sui subiecti. Vndè est aliquid aliud à suo subiecto, & dist.* 21. *qu.* 1 *ar.* 2. *Increatis per paternitatem additur nouum esse, quod est esse accidentale, & non idem, quod est subiecti.* Quia tamen relatio est tenuissimæ entitatis, & destructo fundamento nequit subsistere, in quo assimilatur modis: propterea distinctio eius à fundamento non infrequenter modalis appellatur. Per quod conciliari possunt plures ex Auctoribus, qui nobiscum sentiunt in adstruenda distinctione ante intellectum inter fundamentum, & relationem: quorum nonnulli intendunt esse duntaxat modalem; alij verò conantur, quòd sit entitatiua. In quo non est immorandum; quia suppositis his, quæ diximus, quæstio videtur de nomine, vt consideranti constabit.

§. III.

Occurritur argumentis contrariæ sententiæ.

25 RElationem non distingui à parte rei à suo fundamento; sed solùm per operationem intellectus defendunt Nominales: quibus adhærent Suarez *disput.* 46. *Metaph. sect.* 2. Hurtado *disput.* 15. *Metaph. sect.* 2. Pereyra 6. *Physic. cap.* 16. & plures alij iuniores. Quam sententiam amplecti etiam videntur aliqui Thomistæ, Syluester *in conflato quæ.* 28. *dub.* 1. Iauelus 5. *Metaph. quæ.* 22. Soncinas *ibidem quæstion.* 28. & alij.

Probatur primò hæc sententia: nam relatio aduenit fundamento absque reali mutatione illius: ergo non distinguitur realiter ab eo. Consequentia patet, & antecedens probatur primò ex Aristot. 5. *Physic. text.* 10. vbi ex eo docet, ad relationem non dari per se motum: *Quia altero subeunte mutationem non subiens verè dici potest ad aliquid.* Quod clarius expressit D. Thom. ibidem *lect.* 3. his verbis: *Nihil aduenit mihi de nouo per hoc,*

hoc, quod incipit esse alteri æqualis per eius mutationem.

Et deindè suadetur ratione: quia si existente hic Petro albo, ponatur apud Indos aliud album, statim incipit Petrus ei assimilari per nouam relationem, & absque noua realitate: ergo prædicta relatio aduenit Petro sine mutatione reali. Antecedens videtur certum: quia non est assignabilis causa, à qua producatur illa realitas, cùm albedo Petri nihil operetur, & terminus adeò distans non valeat aliquid in Petro efficere. ¶ Confirmatur: quia iam ille terminus esset causa infinitarum penès relationum, quæ ex positione illarum resultant: siquidem omnia alba præexistentia incipiunt esse similia albo de nouo producto: sed hoc est absurdum: ergo.

Vt huic argumento liquidò satisfiat, obseruandum est primo, mutationem esse duplicem; aliam physicam, & aliam metaphysicam. Illa est motus tendens per se primò ad alicuius termini productionem. Hæc verò solùm importat nouam resultantiam, aut destructionem alicuius entitatis. ¶ Secundò aduertendum est, quod dupliciter potest aliquid ad alterum referri. Vno modo ita, vt non supponatur relatus ad alium terminum eiusdem rationis: vt contingit in eo, qui incipit referri per paternitatem ad primum filium. Alio modo ita, vt iam supponatur relatus ad terminum eiusdem rationis: vt accidit patri, qui incipit respicere secundum filium. Inter quos respiciendi modos hoc est discrimen, quod in primo, de nouo consurgit formalitas relationis, quæcumque illa sit: in posteriori autem non aduenit de nouo relatio; sed quæ præexistebat in subiecto extenditur ad terminum denuò productum, vt infrà latius dicemus.

26 Hinc ad argumentum respondetur negando antecedens: cuius prima probatio non vrget, quia Aristot. & D. Thom. solùm docent, non dari per se motum ad relationem: quod libenter admittimus. Relatio enim producitur per actionem ad aliud terminatam, & per naturalem sequelam; sicut ad mutationem circa quantitatem sequitur æqualitas, vel inæqualitas: & ex mutatione in quantitate similitudo, vel dissimilitudo resultat. Vndè ad relationem datur motus saltem per accidens, quod satis innuit Arist. addens *ly per se*: nam exceptio firmat regulam in contrarium, *leg. Nam quod liquidè, ff. de penu legata*. Quare licèt relatio non terminet motum physicum; terminat tamen mutationem metaphysicam: habétque consequenter immutare realiter suum fundamentum. Ad verba D. Thom. statim constabit.

Ad secundam probationem dicendum est, quod si album apud Indos productum supponit alia alba in vniuerso; incipit Petrus referri ad illud per eamdem relationem similitudinis, qua priùs respiciebat alia alba: ob idquè sine sui mutatione, & absque aduentu nouæ realitatis. Et in hoc casu intelligendus est loqui Angelicus Doctor *loc. citat. & opusc. 48. tract. 5. cap. 2.* dùm asserit, nihil aduenire de nouo ei, qui incipit esse æqualis alteri: quod est verum, si priùs habebat æqualitatem ad alia. Quandò verò album denuò productum non supponit Petrum relatum ad alia alba; tunc consurgit noua similitudinis relatio, per quam realiter metaphysicè Petrus immutatur. Causa autem huius realitatis, & mutationis non est terminus apud Indos productus: sed aliud duplex principium assignatur. Primum est ipsa albedo Petri, à qua per resultantiam oritur dicta similitudo, sicut passiones dimanant ab essentia. Aliud est agens, quod produxit albedinem: hoc enim, mediante influxu ad albedinem terminato, producit omnes relationes ad eam consecutas. A principio tamen non pullulauit illa relatio, quia positio termini est conditio sine qua non ad resultantiam illius. Sicut si Verbum diuinum dimitteret humanitatem, pullularet ab illa propria subsistentia: quæ modo non pullulat, quia impedita est. Per quod satis constat ad confirmationem.

Sed replicabis: si relatio esset res, & entitas realis posset per se terminare actionem: sed relatio non est per se producibilis, vt patet ex dictis: ergo non est entitas realis. ¶ Respondetur negando sequelam: quia plura sunt, quæ ex natura sua supponunt productionem alterius, quo posito statim resultant: vt liquet in intellectu, & aliis propriis passionibus; quæ, licèt sint entia realia; exposcunt tamen productionem essentiæ, à qua fluunt per resultantiam. Et huiusmodi est relatio, quæ necessariò petit fundamentum productum, à quo, posito termino, naturaliter resultat.

27 Arguitur secundò: quia relatio non facit compositionem realem cum fundamento, aut ratione fundandi: ergo non est accidens reale. Consequentia est euidens, & antecedens expressum D. Thom. *qu. 7. de potentia art. 8.*

Respondetur, D. Thom. solùm intendere, quod relatio secundùm explicitum suæ differentiæ, nimirùm secundùm esse *ad*, non exprimat compositionem cum subiecto: nam prout sic non dicit ordinem ad illud, sed terminum. Cum quo tamen stat, quod re ipsa, secundum implicitum, vel secundùm esse *in*, prædictam compositionem non excludat; sed illam inuoluat; cùm sit actus accidentalis. Quæ est doctrina eiusdem Angelici Doct. *in 1. dist. 33. quæst. 1.* vbi inquit: *Cùm esse essentiæ diuinæ sit ipsa essentia, & esse paternitatis sit ipsa paternitas, relinquitur de necessitate, quod ipsa paternitas secundùm rem est ipsa essentia. Vndè non facit compositionem cum ea &c. In alijs autem realibus relationibus in creaturis existentibus est aliud esse relationis, & substantiæ, quæ refertur: & ideò dicuntur inesse: & secundùm quod insunt, compositionem faciunt accidentis ad subiectum &c.* Qui clarius?

28 Tertiò arguitur: nam ea, quæ realiter distinguuntur, possunt realiter separari: sed positis v.g. duobus albis relatio similitudinis est inseparabilis ab illis: ergo non distinguitur realiter ab eis. Minor constat; quia quantumcumque fingatur auferri entitas relationis, manent illa alba similia, cùm perseuerent alba.

Respondetur negando majorem absolutè: quia licèt omnia, quæ separantur distinguuntur realiter, realisque separatio sit euidens signum distinctionis ante intellectum: nihilominus non omnia, quæ distinguuntur realiter, possunt realiter separari. Constat enim quantitatem distingui realiter à figura, & tamen nequit dari sine illa. Similiter materia prima distinguitur realiter à forma; sine qua non valet existere. Cuius doctrinæ ratio esse potest: quia plus requiritur ad separationem, quam ad distinctionem: nam illa vltra distinctionem exposcit independentiam vnius ab alio; quæ tamen non necessariò inuenitur inter ea, quæ distinguuntur, vt patet exemplis relatis: Sed dato per possibile, vel impossibile, quod à duobus albis auferretur relatio: non manerent formaliter similia; sed solùm fundamentaliter. Sicut si Deus separaret risibilitatem ab homine, esset iste radicaliter risibilis; sed non formaliter: quia deesset ei forma realis constituens ipsum formaliter risibilem.

29 Vltimò probatur hæc opinio: quoniam proportio dupla quantitatis bicubitæ ad quantitatem vnius cubiti non distinguitur realiter ab ipsa quantitate, in qua fundatur: ergo idem dicendum est de omni relatione. Suadetur antecedens: nam illa relatio duplicitatis nequit esse tota in tota quantitate, & tota in qualibet parte; aliàs quælibet pars denominaretur dupla. Neque potest habere partem in parte: nam vel illæ partes relationis essent eiusdem rationis cum tota duplicitate: & hoc non; quia jam sequeretur, quòd quælibet pars quanti-

tis esset dupla. Vel essent diuersæ rationis: & neque istud dici potest; quia, cùm relatio non habeat extensionem nisi à quantitate, debet esse diuisibilis iuxtà modum illius: quantitas autem est diuisibilis in partes eiusdem rationis: ergo relatio illam consequens non habet partes diuersæ rationis.

Confirmatur: nam relatio numeri v. g. quaternarij hominum respectu binarij non distinguitur realiter à quaternario: ergo &c. Probatur antecedens: nam implicat, quòd vna simplex entitas, qualis esset relatio, si distingueretur à fundamento, sit in quatuor subiectis realiter distinctis.

Respondetur ad argumentum negando antecedens: in cuius probatione admittimus duplicitatem habere in partibus quantitatis partes diuersæ rationis. Nam licèt quantitas continua præcisè vt talis, diuidatur in partes eiusdem rationis, vt linea v. g. in lineas: nihilominùs, vt induit modum quantitatis discretæ, diuiditur in partes diuersæ rationis: bicubitum enim non diuiditur in duo bicubita, sed in duo cubita. Duplicitas autem accipit diuisionem à continuo, quatenus habet rationem discreti: & ideò non debet diuidi in partes, quarum quælibet sit duplicitas; sed quarum quælibet sit pars duplicitatis.

Ad confirmationem dicimus, quod sicut numerus prædicamentalis, qui est verum accidens reale, & species quantitatis iuxtà dicta *disp. 13. num. 22.* est in pluribus subiectis realiter diuersis, & inadæquatis: sic relatio duplicitatis, quæ est velut passio numeri, & fundatur in eo, potest esse in pluribus subiectis partialibus, & realiter diuisis. Neque hoc magis repugnat relationi, quam numero; cùm ad istum illa realiter consequatur.

QVÆSTIO VI.

An relatio terminetur ad absolutum, vel respectivum.

30 HActenùs egimus de relatione per comparationem ad fundamentum; superest disserere de illa per ordinem ad terminum: de quo est prima difficultas, an sit absolutus, vel relatiuus. Ad cuius lucem obseruandum est, quòd fundamentum, & terminus solent appellari *relatiuum*, & *correlatiuum*. Fundamentum dicitur *relatiuum*, quia media relatione refertur ad terminum: iste verò appellatur *correlatiuum*, quia correfertur ad fundamentum. Quòd fit, vel media relatione inhærente termino, vt in relationibus mutuis; vel quia à relatione existente in fundamento terminus extrinsecè denominatur, vt contingit in relationibus non mutuis. Differunt autem ista nomina *fundamentum*, & *terminus*, ab ijs *relatiuum*, & *correlatiuum*, quod illa non exprimunt ipsas relationes, quas tamen ista prò formali important. Et ideò licèt certum sit, quod relatio est ad terminum; adhuc manet locus ad inquirendum: vtrum ratio, qua terminus relationis constituitur in esse termini illius, sit absoluta, vel respectiua: vel, quod idem est, an relatio terminetur ad relatiuum quatenùs tale, an potius terminetur ad absolutum, quod ex consequenti, & concomitanter est relatiuum.

§. I.

Statuitur vera sententia, & ratione fulcitur.

31 DIcendum est, omnem relationem prædicamentalem, siue mutuam, siue non mutuam terminari formaliter ad relatiuum: ità vt ratio formalis, ob quam vnum extremum terminat relationem alterius, non sit absoluta, sed relatiua. Ita docent Arist. *in hoc capite*, Porph *cap. de specie*. D. Thom. 1 *p. qu. 40. art. 2. ad 4.* vbi inquit: *Cùm dicitur, quod relatiui esse est ad aliud se habere, per ly aliud intelligitur correlatiuum, quod non est prius; sed simul natura*. Idem tradit *qu. 41. art. 3. ad 2. opusc. 37. cap. 1. & lib. 2. contra gent. cap. 11.* Vndè hanc sententiam defendunt plures, & nobiliores Thomistæ Caiet. Bañes, Nazarius, Zumel, *1. p. q. 13. art. 7.* Sanchez *lib. 5. Log. quæst. 34.* Arauxo *5. Metaph. qu. 5. art. 7.* & alij plures.

Probatur primò ratione: quia ratio formalis terminandi oppositionem relatiuam debet esse relatiua, sed omnis relatio prædicamentalis est oppositio relatiua: ergo relatio formalis terminandi quamcumque relationem est relatiua, & non absoluta. Consequentia est legitima. Minor est expressa D. Thom. *1. p. q. 42. a. 1. ad 4.* cuius verba supra dedimus *n. 14.* & facilè suadetur: quia nomine oppositionis relatiuæ nihil aliud intelligimus, nisi respectum vnius ad aliud, vt docent omnes cum Arist. *in post prædic. c. de oppositis*: vndè hoc ipso, quod relatio prædicamentalis versetur inter aliqua, reddit illa relatiuè opposita, causatque distinctionem realem inter ipsa. Maior autem probatur: quoniam illa est ratio formalis terminandi oppositionem relatiuam, per quam terminus contraponitur, & correfertur alteri relatiuo, & ad illud dicitur: sed hæc ratio est formaliter respectiua, cùm terminus non correferatur per absolutum: ergo ratio formalis terminandi oppositionem relatiuam debet esse formaliter relatiua.

Confirmatur, & explicatur: nam opposita relatiuè debent exercere huiusmodi oppositionem per aliquid de linea relationis, sed exercent illam per rationes respiciendi, & terminandi, cùm per has contraponantur: ergo vtraque est formalitèr respectiua. Maior suadetur: quia aliàs oppositio relatiua non continebitur adæquatè intrà genus relationis; sed proprios limites sui generis egredietur, & consequenter non erit vera oppositio relatiua.

32 Secundò probatur: quoniam omnia relatiua prædicamentalia si rectè assignentur; sunt simul natura, & cognitione: ergo omnia terminantur formaliter ad relatiuum. Antecedens: est Arist. *in hoc cap.* & breuiter suadetur; nam relatiua formaliter sumpta mutuò se ponunt, & interimunt, vt docet D. Thom. *opuscul. 37. c. 1.* ex quo oritur, quod vnum nequeat intelligi sine alio; ac proindè sunt simul natura, & cognitione. Consequentia verò probatur, quia si terminus vnius relatiui esset absolutus, præcederet natura aliud relatiuum; quælibet namque ratio absoluta, siuè ex parte fundamenti, siuè ex parte termini est prior, quam relatio, & ad illam præsupponitur. Similiter si paternitas v. g. terminaretur ad entitatem absolutam filij, cognita hac entitate, cognosceretur perfectè paternitas, & sic cognosceretur vnum relatiuum sine alio, ac proindè relatiua non essent simul cognitione.

33 Vltima, & præcipua ratio nostræ assertionis desumitur ex relationibus diuinis, & formatur sic, nam ratio formalis terminandi relationes diuinas non est absoluta, sed respectiua; ergo idem dicendum est de ratione formali, ad quam terminantur relationes creatæ. Consequentia

quentia constat à paritate; & antecedens, licèt sit indubitatum, sic ostenditur; quoniam ratio formalis terminandi v. g. paternitatem debet esse realiter distincta ab ipso patre; siquidem relatio realis ponit oppositionem, & distinctionem realem inter relatiua; at nulla ratio absoluta distinguitur à patre; ergo ratio terminandi paternitatem non est absoluta; sed respectiua. Minor probatur; quia in diuinis omnia sunt idem, vbi non obuiat relationis oppositio; quæ, vt manifestum est, non inuenitur inter relatiua, & absoluta: ergo nulla ratio absoluta distinguitur à patre.

Huic argumento occurrunt aduersarii negando primam consequentiam: reputant enim, quod ex relationibus diuinis, quæ sunt infinitæ, per se subsistentes, & ipsa substantia Dei, non potest sumi efficax argumentum ad relationes creatas, quę accidentia sunt, & distinguuntur à suis fundamentis.

Sed hæc solutio non satisfacit: quia quod relationes diuinæ terminentur ad relatiuum, oritur ex ipsa natura oppositionis relatiuæ: sed in relationibus creatis saluatur verè, & propriè ratio oppositionis relatiuæ, sicut in diuinis: ergo de vtrisque proportionabiliter philosophandum est. Probatur maior: nam quòd in diuinis rationes referendi, & terminandi distinguantur inter se, non potest reduci, nisi in natura oppositionis relatiuæ, quæ distinctionem ex se infert: ergo quod rationes referendi, & terminandi sint tales, hoc est relatiuæ, prouenit ex ipsa natura relatiuæ oppositionis.

Confirmatur primò: quia relationes diuinas terminari ad relatiuum conuenit eis ex conceptu generali relationis; & non ex eo, quod sint infinitæ, substantiales &c. sed in relationibus creatis saluatur conceptus quidditatiuus relationis: ergo etiam terminantur ad relatiuum. Maior ostenditur: nam relationes diuinas terminari ad relatiuum conuenit eis secundùm conceptum *ad*; cum ex hac ratione habeant respicere terminum: at esse infinitas, substantiales, &c. conuenit eis secundùm conceptum *in* absolutum, nempè ex parte diuinæ essentiæ, cum qua identificantur: ergo quod relationes diuinæ terminentur ad relativum non oritur ex eo, quod sint infinitę, vel substantiales; sed ex conceptu *ad*, qui communis est omni relationi. Quam doctrinam tradit planè D.Thom. 1. *p. q.* 28. *art.* 2. his verbis: ***Ex ea parte, qua relatio in rebus creatis habet esse accidentale in subiecto, relatio existens in Deo habet esse essentia diuina. In hoc verò, quod ad aliquid dicitur, non significatur aliqua habitudo ad essentiam; sed magis ad suum oppositum.***

Confirmatur secundo: quia ex eo, quod relatio realis secundum suum esse *ad* non explicat ordinem ad subiectum, sed ad terminum, oritur quod non ita exprimat realitatem, sicut alia genera, & quòd fundet maiorem conuenientiam cum relationibus rationis, quam alia prædicamenta cum entibus rationis ad eorum similitudinem efformatis, vt supra diximus *num.* 6. ergo ob eandem rationem relationes diuinæ secundùm esse *ad* fundabunt maiorem conuenientiam cum relationibus creatis, quam fundant alia attributa Dei cum perfectionibus creaturarum sibi correspondentibus: atqui ex sapientia diuina optimè depromitur argumentum ad sapientiam creatam in ratione formali sapientiæ, hoc est respectiuè ad obiectum: ergo à fortiori desumetur rectè argumentum ex relationibus diuinis ad creatas in conceptu formali relationis; nimirùm per comparationem ad terminum: ergo vtrisque commune est terminari ad relatiuum.

§. II.

Prima opinio contraria cum suis fundamentis.

34 PRima sententia nostræ assertioni aduersa vniuersaliter docet, omnem relationem prædicamentalem terminari formaliter ad absolutum. Ita Scotus *in* 1. *dist.* 30. *quæst.* 1. & eius discipuli. Quos sequuntur Suarez *disp.* 47. *Metaph. sect.* 16. Vasquez 1. *p. disp.* 159. *cap.* 6. & alii Moderni.

Probatur primò: nam quidquid antecedit relationem non est relatio, sed entitas absoluta: at ratio terminandi antecedit relationem: ergo est absoluta. Minor suadetur: tum, quia posito fundamento, & ratione terminandi, resultat relatio ex eis sicut ex causa: sed omnis causa antecedit effectum: ergo ratio terminandi est prior, quam relatio. Tùm etiam, quia terminus relationis formaliter sumptus est specificatiuum illius: sed specificatiuum est priùs natura, quam entitas, cui speciem impertitur: ergo.

Respondetur negando minorem: & vt primæ illius probationi occurramus, obseruandum est, quod sicut ex parte fundamenti est duplex ratio referendi, alia fundamentalis, quæ est ratio fundandi relationem, & in se quid absolutum, vti se habet generatio actiua in patre; alia formalis, quæ est ipsa relatio fundata v. g. paternitas: ita ex parte termini duplex est ratio terminandi, alia radicalis, vti se habet generatio passiua in filio; & hæc est entitas absoluta, correspondetquè rationi fundamentali referendi; alia proxima, v. g. filiatio, quę non est ad se, sed ad aliud, & respondet rationi formali, & proximæ referendi. Hinc respondetur, relationem resultare sicut ex causa, ex ratione radicali terminandi, non autem ex ratione formali. Hæc enim solum est id, in quo vltimo sistit respectus alterius relatiui, & per quod terminus opponitur, & correfertur illi. Vnde ex illo principio nihil concluditur contra nos.

Ad secundam probationem dicendum, rationem formalem terminandi exercere munus specificatiui, respectu relationis per modum puri termini, seu conditionis concomitantis illam; non verò per modum causæ, radicis, aut conditionis antecedentis. Hæc enim munera competunt duntaxàt rationi radicali terminandi: ex cujus proinde vnitate, vel distinctione sumenda est vnitas, vel distinctio relationis. Vnde, si loquantur de termino secundum rationem formalem, non dicitur propriè relationem specificari à termino; sed ad terminum. Qui modus specificationis proprius est relationis, neque in aliis generibus reperitur.

35 Arguitur secundò: quia relatio mutua non terminatur formaliter ad respectivum: ergo omnis relatio terminatur ad absolutum. Consequentia patet, & antecedens suadetur; tùm quia in relationibus mutuis ratio terminandi vnam relationem est ratio fundandi aliam; nam in hoc consistit relationes esse mutuas: sed ratio fundandi relationem nequit esse relatiua; quia vna relatio nequit fundari in alia: ergo. Tùm etiam, quia *maternitas* est relatio mutua, & tamen non terminatur formaliter ad filiationem: vt constat in maternitate B. Virginis, cui ex parte Christi domini non correspondet filiatio realis iuxta doctrinam D. Thom. 3. *p. q.* 35. *art.* 5.

Confirmatur ex communi modo loquendi: quia vnum album non dicitur simile alteri simili, sed alteri albo, & vnum quantum non dicitur æquale alteri æquali, sed alteri quanto: ergo signum est, quod ratio terminandi non est respectiua, sed absoluta.

Respon-

Respondetur ad argumentum negando antecedens: cuius prima probatio non vrget: quia relationes, esse mutuas non consistit in eo, quod ratio formalis terminandi vnam, sit ratio fundandi aliam; sed in hoc, quod ratio radicalis terminatiua vnius, sit causa fundandi aliam, quæ priori directè correspondeat, & opponatur. Itaquè sufficit, & requiritur ad relationes mutuas, quod rationes fundandi vtramque sibi correspondeant, & habeant inter se ordinem transcendentalem: vt se habent generatio actiua, & generatio passiua respectu paternitatis, & filiationis. § Ad secundam probationem dicimus maternitatem B. Virginis terminari ad relatiuum: quoniam licèt supposito Christi domini, vt potè diuino, non insit relatio filiationis: nihilominus Christus denominatur realiter filius à maternitate existente in B. Virgine: & quatenùs dicit hanc relatiuam denominationem, terminat maternitatem. Quod magis constabit ex dicendis §. *sequenti*.

Ad confirmationem respondetur, quod modus ille loquendi solum probat album, & quantum esse terminos materiales, seu radices terminandi similitudinem, & æqualitatem: id enim intendimus explicare dictis locutionibus. Et posset confirmatio retorqueri in aduersarios: nam etiam in communi modo loquendi vnum oppositum, est formaliter ad alterum oppositum: sed relatiua, vt talia, sunt opposita: ergo vnum relatiuum terminatur ad aliud formaliter, vt relatiuum est.

36 Tertiò arguitur: nàm terminus formalis relationis est ille, per quem ipsa formaliter definitur: sed relatio nequit definiri per terminum, quatenùs relatiuus est: ergo terminus relationis non est relatiuus, sed absolutus. Probatur minor: quia recta definitio debet tradi per priora, & notiora definito: tùm quia ordinatur ad manifestandam illius quidditatem. Tùm quia sic docet expresse Aristot. 6. *Topicorum cap.* 3. his verbis: *Cognoscimus autem non ex quibuslibet; sed ex prioribus, notioribusque, quemadmodum in demonstrationibus. Manifestum igitur, quod qui non per huiusmodi definiuit, non definiuit.* Constat autem vnum relatiuum, non esse priùs, aut notiùs, quam aliud; cùm sint simul natura, & cognitione: ergo relatio nequit definiri per terminum, quatenùs relatiuus est.

Confirmatur primò: quoniam definitio circularis, est prorsus defectuosa: cum explicet idem per se ipsum: sed relatiuum non potest definiri per correlatiuum absque circulo, vt si dicas: *Pater est, qui est ad filium, & Filius est, qui est ad patrem*: ergo vnum relatiuum non ponitur in definitione alterius. Qua ratione D. Thom. 1. *p. q.* 25. *art.* 3. docet, omnipotentiam non rectè definiri per possibile, vt sumitur relatiuè ad ipsam: *Quia erit* (inquit) *circulatio in manifestatione omnipotentiæ. Hoc enim non erit aliud, quam dicere, quod Deus est omnipotens: quia potest omnia, quæ potest, &c.*

Confirmatur secundò: nam loco nominis positi in definitione potest poni eius definitio, vt docet Aristot. 2. *Topic. cap.* 2. si enim dicas: *Homo est animal rationale*, licèt tibi dicere: *Homo est viuens sensibile rationale*: ergo si hæc est bona definitio patris, *Pater est, qui est ad filium*, posset loco filij poni eius definitio dicendo: *Pater est, qui est ad eum, qui est ad patrem*: sed hoc planè nugatiorum est; ergo vnum relatiuum non definitur per aliud.

Hoc argumentum, quod aduersarij magnificant, dissoluendum est ab eis in relationibus diuinis, quas admittunt terminari ad relatiuum formalitèr, sumptum. Si enim Beatus vellet declarare, quid sit pater æternus: non posset, nisi per filium æternum, neque filium posset declarare, nisi per patrem: ergo vel dicendum est; quod paternitas diuina non terminatur ad relatiuum; vel concedendum est ab aduersariis non sequi circulum vitiosum, nugatoriam repetitionem, & alia inconuenientia, ex eo quod relatio terminetur ad relatiuum. Nullam igitur possunt in hoc argumento vrgere difficultatem circa relationes creatas, quam enodare ipsi non debeant in diuinis.

36 Vndè ad argumentum negatur minor: quia vnumquodque iuxtà modum sui esse quidditatiui definiendum est; quandoquidem non est quærenda vniformiter omnium rerum definitio, sicut neque essentia: constat autem esse quidditatiuum relatiui, vt talis, alterius, idest sui correlatiui esse, vt dicitur in prædicamentis: & idcircò definiri perfectè nequit absquè suo correlatiuo. Ad probationem in contrarium dicimus, vnum relatiuum non poni in definitione alterius, vt priùs, aut magis notum, sed vt simul, & æquè notum. Cum quo tamen stat, quod definitio relationis tradatur absolutè per priora, atque notiora: quia non solùm datur per correlatiuum, quod ingreditur solùm in obliquo; sed etiam per alia, nempe per conceptum communem accidentis, & modum proprium differentialem constitutiuum relationis, quæ sunt priora, & notiora definito. Et hic est proprius, & specialis modus definiendi relatiua. Nequè est mirabile, inquit rectè Caiet. si singulare genus entium, singularem sibi modum definitionis vendicet.

Ad primam confirmationem respondetur, circulum difformem, qualis est ille, qui procedit in diuerso genere causæ; aut quasi causæ, non esse vitiosum in definitionibus, & demonstrationibus: hac enim de causa rectè definimus materiam per formam, & formam per materiam, causam per effectum, & effectum per causam. Huic autem assimilatur circulus, qui interuenit in definitionibus relatiuorum, vt cum patrem per filium, & filium per patrem definimus: nam in prima definitione filius habet rationem termini, & in secunda rationem definiti. Vndè Arist. 5. *Metaph. cap.* 15. reijciens circulum à definitionibus, expressè excepit relatiua dicens: *Oportet autem non latere, quædam fortassè aliter definiri non posse, vt duplum sine dimidio, & quæcumque per se ad aliquid dicuntur. Nàm omnibus huiusmodi est idem esse ei, quod est ad aliquid quodammodo se habere. Quare non est possibile sine altero alterum cognoscere, eo quod necessarium est alterius orationem coassumi, & ad alterum.* Quæ verba aduersa fundamenta perspicuè eludunt, & nostram sententiam maximè confirmant. Vnde etiam constat ad illa verba D. Thom. nam omnipotentia est quid absolutum, & ideò meritò asserit S. Doctor debere definiri per possibile absolutè.

Ad secundam respondetur, regulam illam intelligendam esse quoad ea quæ intrinsecè cadunt in definitione, & sunt partes definiti; non verò quoad ea, quæ ponuntur, vt connotatum, vel terminus. Cuius signum est, quod licèt in definitione hominis, loco *animalis* possit poni eius definitio, quia nihil includit, vt additum extrinsecum; loco tamen *rationalis* nequit eius definitio collocari, quia omnis differentia importat genus, vt connotatum: & sic in definitione speciei bis poneretur genus, & sequeretur nugatio. Vnde cùm vnum relatiuum non ponatur in definitione alterius, vt pars intrinseca; sed solùm vt connotatum, & terminus, in ordine ad quam sumitur propria ratio correlatiui; fit non posse poni definitionem termini loco illius. Maximè cùm relatiuum ponatur in definitione alterius, qua tenus exercet rationem termini illi oppositi: quam planè non exercet per suam definitionem; sed per se ipsum: & idcircò non licet vice termini vti definitione eius in explicando aliud relatiuum.

§. III.

Satisfit argumentis secundæ opinionis aduersæ.

37 SEcunda sententia nobis contraria distinguit inter relationes mutuas, & non mutuas: hasquè asserit terminari ad absolutum, illas verò ad relativum; & consequenter non esse de conceptu relationis in communi, quod ad relativum terminetur. Ita Ferrara 2. *contra gentes*, *cap.* 11. Gallego *controuers.* 29. & alij.

Probatur primò: quia terminus relationis non mutuæ non est simul natura cum illa: ergo non est relativus. Patet consequentia: nam relatiua sunt simul natura. Antecedens probatur ex Arist. *in hoc cap. text.* 5. vbi inquit: *Videntur autem ipsa ad aliquid simul esse natura. Et in pluribus quidem verum est; in aliquibus vero non verum*, &c. nempè in relationibus tertij generis, quæ sunt non mutuæ, vt exponit & docet D. Thom. 1. *p. q.* 11. *art.* 7. *ad* 6. iis verbis: *Si autem in suo intellectu claudat aliud, & non è conuerso: tunc non sunt simul natura, & hoc modo se habent scientia, & scibile*, &c. Quod etiam tradit *quæst.* 7. *de potentia art.* 8. *ad* 1. *& art.* 10. *ad* 4.

Respondetur negando antecedens, ad cuius probationem dicimus, mentem Aristot. satis esse manifestam ex litera: docet enim omnia relatiua, si rectè assignentur, esse simul natura, & dici ad conuertentiam. Cæterùm frequenter ob defectum nostræ cognitionis, vel propter penuriam nominum aliqua non rectè assignantur, vt contingit in scientia, & scibili: nam illa dicitur secundùm actum, vel habitum; istud verò secundùm potentiã, quæ actum, & habitũ antecedit: & sic nihil mirũ, quòd non sint simul natura. Quæ expositio fiet perspicua verbis ipsius Philosophi. *At verò* (inquit) *aliquoties non videtur, nisi conuenienter ad quod dicitur, assignetur, & fortè nomen fingere necesse erit, si non fuerit nomen impositum, ad quod conuenienter, assignetur. Si autem sic assignentur, manifestum est, quoniam omnia, quæ ad aliquid sunt, ad conuertentiam dicentur.* ¶ Per quod satis constat ad authoritatem Diui Thomæ, eandem enim habet interpretationem & sensum. Vndè reddens S. Doct. rationem, quare scientia, & scibile non sunt simul natura, inquit: *Nam scibile dicitur secundùm potentiam, scientia autem secundùm habitum, vel secundùm actum: vndè scibile secundum modum suæ significationis præexistit scientiæ. Sed si accipiatur scibile secundùm actum, tunc est simul cum scientia secundùm actum: nam scitum non est aliquid, nisi sit eius scientia.* In aliis autem locis solùm intendit, quod Deo non conuenit terminare seruitutem creaturarum per relationem in ipso existentem; cum quo tamen stat quod terminet secundum extrinsecam denominationem, à qua constituitur correlativum, vt statim magis constabit.

38 Secundò arguitur. quoniam in relationibus non mutuis, qualis est relatio creaturarum ad Deum, terminus realiter, siue ante intellectum terminat relationem: sed non terminat per relationem realem, cùm hanc Deus non habeat ex tempore; quia mutaretur: neqnè per relationem rationis; cum hæc conueniat illi solum per intellectum: ergo terminat per aliquid formaliter absolutum, & in eo realiter existens.

Pro solutione huius argumenti nota, quod dupliciter potest aliquid dici formaliter relativum. Primò à relatione sibi inhærente, vt patet à paternitate. Secundò à relatione existente in alio extremo, vt objectum dicitur scitum à relatione existente in scientia. Et vterque modus sufficit ad constituendum vtrumque extremum simpliciter relativum: nam cùm relatio ex suo conceptu formali non explicet inhærentiam; sed solùm respectum ad terminum; nequit non denominare illum relativum, & contraponere fundamento. In quo sensu concedunt communiter Doctores relatiua tertij generis esse formaliter mutua: quia nimirùm vtrumque hoc ipsum, quod est, ad alterum dicitur: non tamen sunt mutua, quoad realitatem, quoniam relatio vni duntaxat extremo inest. Quæ est expressa doctrina Arist. 5. *Metaphys. cap.* 5. vbi docet, in relatiuis tertij generis alterum extremum dici ad aliquid, non quia ipsum dicatur ad aliquid, sed quia aliud dicitur ad ipsum. Et *in hoc cap.* vt *suprà* vidimus, docet omnia relatiua dici ad conuertentiam: quod esset prorsùs falsum, si vna relatio realis non constitueret vtrumque extremum realiter relativum, vnum intrinsecè, & alterum extrinsecè.

Hinc ad argumentum respondetur, concessis præmissis, negando consequentiam: nàm terminus in relatiuis tertij generis terminat relationem per extrinsecam denominationem relatiuam prouenientem à relatione existente in altero extremo. Hæc namquè denominatio extrinseca nata est constituere dictum terminum in esse relatiui, seu relatiuè oppositum alteri extremo.

Sed replicabis: relatiuum, & correlatiuum sunt simul natura; at denominatio extrinseca est posterior naturà, tàm denominatione intrinseca, quàm relatione, à qua vtraque prouenit; quia nedùm formam, sed etiam denominationem intrinsecam supponit; ergo non potest constituere aliud extremum in esse termini relatiui; ergo asserendum est, quod terminus constituitur in esse termini per aliquid omninò absolutum.

Respondetur, vtramque denominationem intrinsecam, & extrinsecam oriri à relatione, & illam subsequi in genere causæ formalis; inter se tamen nullam dependentiam, vel subordinationem habere, sed esse simul natura. Tùm quia non est inter illas ordo causalitatis, sed mutuò se ponunt, & destruunt. Tùm quia in eodem signo, in quo relatio denominat intrinsecè vnum extremum, denominat etiam aliud extrinsecè, facitquè illa relatiua, seù opposita relatiuè. Et ideò licèt in aliis entibus denominatio intrinseca, & extrinseca seruent inter se aliquem ordinem; & causalitatem: attamen in relationibus prædicamentalibus inueniuntur cum omnimoda simultate, vt patet ex dictis.

39 Vltimò arguitur: nam si terminus cuiuscumque relationis deberet esse formaliter relatiuus, relatio prædicamentalis non constitueret vnum supremum genus, sed duplex, aliud quidem ex parte fundamenti, & aliud ex parte termini: consequens est absurdum: ergo.

Respondetur negando sequelam; quoniam non omnes relationes prædicamentales sunt realiter mutuæ, & consequenter relatio vt sic non petit, vt in correlatiuo sit aliqua relatio intrinseca; sed sufficit extrinseca denominatio. Hæc autem nequit constituere diuersum genus, cum ab eadem forma proueniat: ac proindè eadem ratio communis relationis, secundum quod vtrumque extremum constituit relatiuum, est supremum genus huius prædicamenti.

QVÆSTIO VII.

Vnde sumatur vnitas, & distinctio relationum?

40 TRes vnitates possumus in relatione distinguere, nempè genericam, specificam, & numericam, & quidem vnitatem genericam relationum desumendam fore ab vnitate generica rationis fundandi concors Doctorum consensus est: Vndè cùm tria sint fundamenta, aut genera rationum fundandi; fit quod tria sint etiam genera relationum, in quæ prædicamentum illud immediatè diuiditur.

Vnitatem autem numericum relationis (vt ita per faciliora gradum faciamus ad ea, quæ obscuriora, & minus certa sunt) communis Thomistarum sententia tenet accipiendam esse à subiecto, cui inhæret. Et ratio est perspicua: quia vnitas numerica, cùm materialis sit; debet à materia depromi; sed subiectum relationis habet rationem materiæ respectu illius: ergo ratio desumit vnitatem numericam à subiecto. Quocircà repugnat duas paternitates in eodem patre inueniri; sed vna paternitas requiritur, & sufficit, vt referatur ad plures filios: & idem est in aliis relationibus eiusdem speciei; imò in omnibus accidentibus, propter eandem rationem. Quam doctrinam tradit frequenter Angelicus Doctor, & specialiter 3. *p. qu.* 35. *art.* 5. his verbis: *Et quia plures formæ eiusdem speciei non possunt simul esse in eodem subiecto; non est possibile, quod sint plures paternitates in eo, qui est pater plurium filiorum generatione naturali.*

41 Sed obijcies cum Scoto; & aliis, quibus hic modus dicendi non arridet; pater habens vnicum filium, si generet alium, incipit referri ad illum; quod si moriatur desinit respicere ipsum, manente paternitate circa alium: ergo respiciebat eos duabus, distinctisquè realiter paternitatibus. Patet consequentia: nam realis separatio est signum distinctionis realis, vt *suprà* docuimus *num.* 32.

Respondetur negando consequentiam: quia sicut acquisita scientia circa vnam conclusionem, quandò posteà datur nouus assensus circa aliam, non generatur nouus habitus scientiæ; sed præexistens, qui inclinabat ad primam, extenditur posteà ad secundam: ita eadem paternitas, quæ existente vno filio, solùm terminabatur ad illum, potest terminari ad omnes superuenientes. Et ratio est: quia paternitas non respicit per se hunc, aut illum filium; sed communem rationem filij; quod autem paternitas sit hæc, conuenit ei, quia est relatio huius particularis hominis, qui est pater. Vndè quia ratio formalis terminandi paternitatem saluatur in vno genito, vel in duobus, vel in pluribus: idcircò, siuè iste, siuè ille moriatur, persistit eadem paternitas intrinsecè immutata: quia adhuc formalis ratio terminandi perseuerat in alio filio. Et licet Petrus v. g. non dicatur pater secundi filij ante eius generationem, vel post obitum illius; id tamen non prouenit ex defectu formæ denominantis, quæ est paternitas, sed quia non connotat terminum materialem, qui requiritur, vt illa denominatio consurgat. Quamuis autem secunda generatio sufficeret ex se, vt resultaret relatio, si non esset in Petro; per accidens tamen in hoc casu non producitur: quia supponit in eo paternitatem eiusdem speciei, & accidentia solo numero diuersa nequeunt in eodem subiecto reperiri. Videantur Sanch. *lib.* 5. *quæst.* 39. & N. Didacus *disp.* 14. *part.* 2. *quæst.* 2.

Tota igitur difficultas deuoluitur ad vnitatem specificam relationis, estquè dubium: an illa desumatur à sola ratione terminandi, vel ab vtraque simul. Quod resoluere curabimus in præsenti.

§. I.

Eligitur communior sententia.

42 DIcendum est vnitatem, & distinctionem specificam relationum desumi ex illarum rationibus formalibus fundandi, & terminandi. Hæc est communior opinio inter Doctores, desumiturquè ex Diuo Thom. *quodlib.* 9. *artic* 4. & 1. 2. *quæst.* 54. *art.* 4. Nam in primo loco asserit, vnitatem specificam relationis desumendam esse à ratione fundandi; *Quia verò* (inquit) *ex eodem res habet esse, & vnitatem; ideò realis vnitas relationis pensanda est ex ipso relationis fundamento, vel causa*, &c. In posteriori autem manifestè docet, quod vnitas specifica relationis debet accipi à termino: sic enim habet: *Omnia, quæ dicuntur secundùm ordinem ad aliquid, distinguuntur secundùm distinctionem eorum, ad quæ dicuntur.* Cùm igitur D. Thom. sibi contrarius non sit; dicendum est relationem in illius sententia sortiri speciem ex ratione formali fundandi, & terminandi, sicut ex vno, & adæquato principio. Angelico Doctori subscribunt Sanchez *lib.* 5. *quæst.* 38. Masius *hic sect.* 2. *quæst.* 6. N. Didacus à Iesu *disp.* 14. *part.* 2. *quæst.* 2. Suarez *disp.* 47. *Metaphys. sect.* 17. & alij plures.

Fundamentum est: quia, vt modo vidimus ex Diuo Thom. omne accidens respectiuum desumit vnitatem, & distinctionem ab eo, quod respicit: sed relatio prædicamentalis est accidens essentialiter respiciens fundamentum, & terminum, cùm sit essentialiter ordo inter vtrumque: ergo ab vtroque, sicut à principio adæquato, accipit speciem, & vnitatem. Quod etiam probant argumenta pro contrariis sententiis statim adducenda, vt constabit ex eorum solutionibus.

Inquires, quomodo ratio fundandi, & terminandi concurrant ad specificationem relationis? § Respondetur concurrere per modum vnius integri, & adæquati principij, quod ex illis constituitur: ex ratione quidem fundandi initiatiuè, & radicaliter; ex ratione verò terminandi formaliter, & completiuè. Vndè quia vnitas habet rationem boni, & multiplicatio rationem mali: bonum autem coalescit ex integra causa; malum verò ex quocumque defectu: ideò ad vnitatem specificam relationis requiritur vnitas specifica vtriusque rationis, nimirùm fundandi, & terminand.: ad hoc verò, vt relationes specie multiplicentur, sufficit diuersitas specifica alterutrius.

43 Sed obijcies, sequi ex hac doctrina, quòd filius referatur ad patrem, & matrem distinctis specie filiationibus: consequens est contra D. Thom. 3. *p. q.* 35. *art.* 5. vbi ait: *Rectè consideranti apparet, eadem relatione referri vnumquemque ad suum patrem, & matrem propter vnitatem causæ: eadem enim natiuitate homo nascitur ex patre, & matre. Vndè eadem relatione ad vtrumque refertur*: ergo doctrina tradita non est admittenda. Sequela ostenditur: nam rationes terminandi in vtroque parente non sunt eiusdem rationis, sed diuersæ: siquidem pater terminat ratione concursus actiui, mater vero ratione concursus passiui: quos certum est specie differre: ergo si ad diuersitatem specificam relationis sufficit diuersitas ex parte termini, constituendæ sunt in filio plures specie filiationes.

Respondetur cum Caietan. 1. *p. q.* 32. *art.* 2. & aliis Thomistis negando sequelam: ad cuius probationem dicendum est, relationem filiationis non respicere, neque

què terminari per se primò ad concursum activum, vel passivum; sed ad concursum adæquatè generativum, sub quo includuntur concursus patris, & matris, vt partes heterogeneæ, siuè diuersæ rationis. Quia licèt diuerso modo vterque parens concurrat, neuter tamen est causa completa, & per se sufficiens respectu filij; sed ordinantur ad complendum vnicum totale principium. Cuius signum est, vt optimè vidit D. Thom. *loco cit.* quod homo vnica natiuitate nascitur ex patre, & matre. Vndè filius per eandem filiationem respicit vtrumque parentem.

Sed replicabis ex eodem Angelico Doct. 1. *p. qu.* 32. *art.* 2. vbi inquit: *Cùm ratio specifica relatiui consistat in hoc, quod ad aliud se habeat; necesse est dicere, quod duæ relationes non sunt diuersæ secundùm speciem, si ex opposito vnica relatio eis correspondeat*. Ergo vel asserendum est, maternitatem, & paternitatem esse relationes eiusdem speciei, quod est absurdum: vel concedendæ sunt ex parte termini, nempè filij, plures specie filiationes.

Respondetur in primis verba S. Doctoris ab omnibus interpretanda fore: cùm oppositum eius, quod sonare videntur, tradat aliis perspicuis verbis *loco cit. ex* 3. *p. in solutione ad* 3. dicens: *contingit, quod ex parte vnius extremi est vna relatio, ex parte autem alterius extremi sunt multæ relationes*, &c. Deindè dicimus relationibus specie diuersis, & adæquatis, idest quæ fundantur in diuersis causis adæquatis effectus producti, non posse correspondere vnicam relationem ex parte termini; secùs autem in relationibus inadæquatis, hoc est, quarum rationes fundandi sunt principia partialia alicuius effectus: iis enim optimè potest correspondere vnica relatio ex parte termini. Igitur Angelicus Doctor *in* 1. *p.* loquitur de relatiuis totalibus; *In* 3. verò *parte* de relatiuis partialibus, qualiter se habent pater, & mater respectu prolis. Addit tamen ibidem: *Ex parte prolis est vna sola filiatio secundùm rem, sed duplex secundùm rationem, in quantum correspondet vtrique relationi parentum secundùm duos respectus intellectos*. Quorum verborum sensus est, in eadem reali, & specifica relatione filiationis cointelligi duos respectus rationis; secundum quod intellectus nunc intelligit ipsam, vt correspondet patri, & iterùm, vt correspondet matri. Vndè vera, & constans est doctrina, quam Divus Thomas vtrobique statuit; & omnia consonant.

§. II.

Proponuntur duæ opiniones contrariæ.

44 ADuersus nostram conclusionem duæ sunt sententiæ. Prima asserit, relationem prædicamentalem accipere adæquatè vnitatem, & distinctionem specificam ex sola ratione fundandi. Sic Flandria 5. *Metaphys. quæstione* 16. *artic.* 10. Nazarius 1. *p. quæst.* 32. *art.* 2. *controu.* 2. & alij. Probatur primò ex Diuo Thom. 3. *p. quæstione* 35. *artic.* 5. vbi ait: *Vnitas relationis, vel eius pluralitas non attenditur secundum terminos; sed secundum causam, vel subiectum*. Idem docet *quodlib.* 9. *art.* 4. his verbis: *Quia verò ex eodem res habet esse, & vnitatem: ideò realis vnitas relationis pensanda est ex ipso relationis fundamento, vel causa*.

Respondetur, D. Thom. solùm intendere, quod relatio non accipit in genere causæ efficientis vnitatem à termino; sed à solo fundamento: quod influit in relationem in genere causæ efficientis per resultantiam, vt satis indicat S. Doctor in vltima auctoritate. Hoc autem assertioni stabilitæ minimè præiudicat: quia in ea non docemus, vnitatem, & distinctionem relationum sumendam fore à termino, sicut à principio effectiuo, & dante esse relationi; sed solùm sicut à specificatiuo, & in genere causæ formalis extrinsecæ, cuius proprium est specificare. Conueniunt itaquè fundamentum, & terminus in hoc, quod est specificare relationem, & constituere integrum principium, per respectum, ad quod habet relatio vnitatem, & distinctionem, vt *num.* 42. vidimus ex Diuo Thoma. Cæterùm fundamentum influit non solùm specificando; sed etiam efficiendo, seù communicando esse relationi, in quo excedit terminum ab eoquè distinguitur: & hoc præcisè intendit D. Tho. in locis, quæ modò nobis objiciuntur.

45 Sed contrà arguitur primò ratione: quia ab eo relatio capit vnitatem, & distinctionem specificam, à quo habet esse; quippè vnum, & multa consequuntur ens: sed relatio habet esse ex sola ratione fundandi; cùm ab ea, posito termino, effectiuè dimanet, vt diximus: ergo ab ea dumtaxàt habet vnitatem, & distinctionem specificam.

Respondetur, relationem, & quamlibet rem specificari ab eo, à quo habet esse, non vtcumquè: sed in genere causæ formalis extrinsecæ, & regulatiuæ: hæc namquè est, quæ propriè transfundit speciem. Relatio autem, licèt in genere causæ efficientis habeat esse à sola ratione fundandi; nihilominus in genere causæ formalis extrinsecæ dependet in suo esse non solùm à ratione formali fundandi, sed etiam à ratione terminandi. Nam habet esse in ordine ad terminum: qui proindè debet ingredi integrum, & adæquatum specificatum illius.

46 Secundò arguitur: quia prius relatio oritur à fundamento, quàm attingat terminum, & in eo sistat: sed prò illo priori intelligitur in sua specie constituta: ergò, relatio desumit adæquatè vnitatem specificam à sola ratione fundandi. Minor probatur: nam prò illo priori relatio intelligitur specie distincta ab omni alia relatione, quæ consequitur aliud fundamentum specie diuersum: ergo intelligitur constituta in sua specie.

Respondetur, prò illo priori solùm intelligi specificationem relationis radicaliter, & initiatiuè; non verò formaliter, & completè, vsquedùm terminus intelligatur: quia ante illum non intelligitur completa relatio cùm essentialiter sit ordo ad terminum. Cuius signum est, quod si relatio fundatur v. g. in albedine, nequit prò illo priori esse determinatè similitudo, vel dissimilitudo: quoniam, non intellecto termino, non concipitur albedo determinatè, vt ratio conueniendi, quo pacto fundat similitudinem; nequè vt ratio disconueniendi, quo modo est principium dissimilitudinis. Prò illo ergo priori habet ad summum relatio vnitatem genericam, quam trahit à ratione fundandi, vt suprà vidimus.

47 Vltimò arguitur: quia paternitas, & maternitas sunt relationes specie distinctæ: & tamen habent eundem terminum, seù rationem terminandi, videlicet generationem passiuam filij: ergo relatio non accipit vnitatem, & diuersitatem specificam à termino, sed solùm à ratione fundandi.

Respondetur negando consequentiã: nam cùm multiplicitas sit de genere mali, & hoc consurgat ex quocumque defectu; ad hoc vt duæ relationes distinguantur specie, non requiritur quòd adsit diuersitas specifica ex parte vtriusque principij specificatiui; sed sufficit quòd detur ex parte alicuius. Quamuis autem ratio terminandi illas relationes sit eadem; ratio tamen fundandi est diuersa in specie: quoniam paternitas fundatur in concursu actiuo, & maternitas in concursu passiuo, quia specie differunt.

48 Secunda opinio præcedenti extremè opposite defendit relationem adæquatè sumere vnitatem, & distinctionem

ctionem specificam ex termino; non verò ex fundamento: ita Soncinas 5. *Metaphys quæstione* 32. cui subscribit Arauxo *ibidem quæst.* 5. *art.* 6. Probatur primò: quia relatio ab eo debet adæquatè capere vnitatem, & distinctionem specificam, quod ponitur in eius definitione loco differentiæ; cùm hæc sit adæquatum principium distinctionis formalis: sed terminus ingreditur definitionem relationis per modum differentiæ; siquidem vnum relativum rectè definitur per aliud: ergo relatio accipit adæquatè à termino vnitatem, & distinctionem specificam.

Respondetur negando maiorem: quoniam vt rectè definiatur relatio; sufficit ponere loco differentiæ principium, à quo desumit speciem completiuè & formaliter, vti se habet terminus illius: in eo namquè subintelligitur, & quodammodò continetur specificatiuum radicale, videlicet fundamentum. Vndè non infertur, quod terminus sit specificatiuum integrum, & totale.

49 Secundò arguitur: quia omne accidens respectiuum specificatur adæquatè ab eo, quod respicit per se primò, vt patet in potentiis, habitibus, & aliis relatiuis transcendentalibus: sed relatio prædicamentalis est accidens essentialiter respiciens terminum, cùm totum eius esse sit ad illum se habere: ergo adæquatè specificatur à termino.

Respondetur, quod relatio prædicamentalis secundùm adæquatam sui rationem non solum respicit terminum; sed etiam fundamentum, siquidem est essentialiter ordo inter vtrumque: & propterea debet speciem, & vnitatem adæquatè ab vno; & altero sortiri.

Tertiò arguitur. nàm idem debet esse principium specificatiuum, & distinctiuum: sed terminus relationis est principium adæquatè distinctiuum illius: ergo, & specificatiuum. Suadetur minor: quia ab eadem ratione fundandi oriuntur relationes specie differentes, ob diuersitatem specificam terminorum; cygnus enim per eamdem albedinem est similis cygno, & dissimilis coruo.

Respondetur negando minorem: quia licèt diuersitas specifica termini sit sufficiens ad distinguendum relationes in specie; nihilominus non est causa vnica, & adæquata huius distinctionis: constat enim ex dictis *num.* 47. quod, etiam stante vnitate specifica ex parte termini, possunt relationes specie distingui, propter diuersitatem specificam rationum fundandi. Et ratio vtrobique est, quam ibidem assignauimus.

§. III.

Coordinatur hoc prædicamentum.

50 EX dictis tùm in hac quæstione, tùm *quæstione* 4. facilè erit diuisiones relationis recensere, & huius prædicamenti coordinationem, seù arborem efformare. Relatio igitur in communi diuiditur in relationem realem, & rationis: illa est, quæ ante operationem intellectus ordinat vnum ad aliud; hæc verò, quæ præstat id solo beneficio intellectus. Porrò vtraque relatio diuiditur in relationem secundum esse, & relationem secundum dici, seu transcendentalem: quarum notitiam supra dedimus *numero* 7. Relictis autem relationibus rationis, & relatiuis transcendentalibus, quia non spectant ad hoc prædicamentum.

Coordinatio relationis realis prædicamentalis sic potest disponi. Primò diuiditur relatio prædicamentalis iuxtà differentias rationum fundandi illam, vt suprà diximus à *num.* 12. Ratio autem fundandi in communi accepta est triplex: videlicet vnitas, & numerus: actio, & passio: mensura, & mensurabile. Quapropter prima, & generali diuisione partimur relationem prædicamentalem in tria genera, seu species subalternas.

Primum genus relationum iterum diuiditur in eam, quæ fundatur in vnitate, quatenùs est principium conueniendi, & in illam, quæ fundatur in vnitate, quatenùs est ratio differendi. Sub primo membro continentur identitas, similitudo, æqualitas, & similes: sub posteriori autem continentur diuersitas, dissimilitudo, inæqualitas, & aliæ huiusmodi. Relatio verò, quæ fundatur in numero, & appellatur proportio, subdiuiditur in proportionem duplam, triplam, sesqualteram, & alias plures species: quas ex professo speculantur Arithmetici.

Secundum genus relationis fundatur in actione, & passione: cùm autem actio, & passio sint supremagenera, nihilquè habeant commune, per quod possint fundare vnum genus relationis: fit indè, quod relationes ibi fundatæ non contineantur sub vno aliquo genere intermedio; sed immediatè ponuntur sub generalissimo huius prædicamenti. Vndè fit, quòd supra tradita diuisio sit, in rei veritate, quadrimembris; licet comuniter relatio immediatè diuidatur in tria genera recensita. Rursus relationes, quæ fundantur in actione, & passione subdiuiduntur in varias species, pro diuersitate actionum, & passionum, ad quas consequuntur, & in quibus fundantur.

Circa vltimum genus posset quis non improbabiliter asserere, relationes in eo fundatas esse eiusdem speciei: quia eodem modo videntur res omnes respicere mensuram suæ perfectionis. Sed nihilominus tenendum est oppositum: nam cum ex diuersis fundamentis sumatur distinctio specifica relationis: ratio autem fundandi illas sit intima perfectio rei mensurabilis; consequens est, tot esse relationes specie distinctas sub hoc genere, quot sunt essentiæ diuersæ, quæ mensurantur per aliam perfectionem.

QVÆSTIO VIII.

Qualiter exponendæ sint relatiuorum proprietates.

51 QVamlibet essentiam sequuntur suæ proprietates, per quas illa magis innotescit: & ideo ad perfectiorem huius materiæ intelligentiam opus est, relatiuorum proprietates recensere, & explicare. Quinque autem proprietates relatiuorum designat Aristot. in præsenti; quorum notitia magna ex parte habetur ex dictis in hac *disp.* & ideo in earum expositione parum immorabimur.

Prima proprietas est *habere contrarium*. Circà quam communiter sentiunt interpretes, quod habere contrarium non conuenit relationi secundùm se; sed ratione fundamenti, quando est qualitas. Et ratio est perspicua: quoniam id, quod per se habet contrarium, potest fieri ex illo, & terminare motum ratione sui, vt dicemus in *lib Physic.* sed ad relationem non datur per se motus; benè autem ad qualitatem: ergo relatio non potest ratione sui habere contrarium, sed ratione fundamenti.

Secunda proprietas est *suscipere magis, & minus*. De qua idem iudicium ferendum est, ac de præcedenti: quoniam suscipere magis, & minus est intendi, & remitti; hoc autem exigit, quòd in ipsa essentia indiuiduali rei, quæ intenditur, & remittitur, sit latitudo gradualis, ratione cuius possit magis, & minus inhærere subiecto; quod certum est solis qualitatibus conuenire, vt dicemus

cemus *disp.* sequenti: ergo relatio secundùm se non suscipit magis, & minus, sed ratione qualitatis, cùm fundatur in ea.


52 Sunt tamen contra hoc duæ obiectiones, quibus oportet occursum ire. Obijcies ergo primò: quantitas palmaris magis inæqualis est vlnæ, quam pedi: sed illud magis inæqualitatis non competit relationi ratione fundamenti, cùm quantitas non suscipiat magis, & minus: ergo conuenit illi ratione sui. ¶ Secundò similitudo, & dissimilitudo possunt minui crescente fundamento; & possunt augeri, quandò fundamentum remittitur: ergo suscipere magis, & minus competit relationi ex se, & non à fundamento. Suadetur antecedens: quia inter album vt sex, & album vt quatuor est aliqua similitudo: quæ proculdubio decresceret, si album vt sex, in quo fundatur, intenderetur vsque ad octo: augeretur autem, si decresceret vsque ad quatuor: duo namquè alba eò sunt magis similia, quo magis conueniunt in gradibus; & eò minus similia; quo magis in prædictis gradibus distant.

Respondetur ad primam obiectionem ex D. Thom. 1. 2. *quæst.* 52. *art.* 1. quod relatio consistit in indiuisibili: & ideò cùm augetur, aut minuitur quantitas, vel qualitas; non augentur, & minuuntur relationes in eis fundatæ, sed prorsus variantur: ita vt destructis prioribus, aliæ acquirantur de nouo. Vndè non suscipiunt magis, & minus: hoc enim postulat variationem in eadem entitate indiuiduali. ¶ Per quod satis constat ad secundam obiectionem. Obserua tamen, claritatis gratia, quod inter illa duo alba diuersæ intensionis duas possumus considerare relationes: aliam fundatam in essentia albedinis, quatenùs est principium conueniendi in prædicatis specificis: aliam fundatam in illis gradibus intensionis, aut remissionis: Ex quibus prior est relatio similitudinis, & non crescit, aut decrescit ex intensione, aut remissione albedinis; sed variatis gradibus, immobilis perseuerat. Secunda verò propriè loquendo, non est similitudo, vel dissimilitudo, sed æqualitas, vel inæqualitas inter gradus; & cùm variantur ii, ipsa etiam variatur: non quidem suscipiendo magis, vel minus; sed quia vna relatio perit, & aduenit alia. Et ideò duo alba, quandiù persistunt; semper sunt similia; non tamen æqualia, vel inæqualia. Quam doctrinam satis expressit D. Thom. 1. *p. quæst.* 42. *art.* 1. *ad* 2. dicens *Quæcumque communicant in vna forma possunt dici similia; etiam si inæqualiter illam participent, vt aër dicitur similis igni in calore: sed non possunt dici æqualia &c.*

53 Tertia proprietas est, *relatiua dici ad conuertentiam*. Pro cuius intelligentia obseruandum est, quod nomine conuertentiæ in præsenti non intelligitur conuersio propositionum, aut conuertibilitas terminorum, de quibus differunt Summulistæ. *Sed dici ad conuertentiam est*, quod vnum relatiuum explicetur per ordinem ad aliud in obliquo positum; nam eo ipso, quod inter duo detur aliquis respectus, qui respicit aliquem respicit, & qui respicitur ab aliquo respicitur. Vnde liquet, proprietatem istam non conuenire huic prædicamento quarto modo proprii; siquidem competit omnibus relatiuis, non solum propriis, & secundum esse; sed etiam in impropriis, & secundùm dici.

Quarta proprietas relatiuorum est *esse simul natura*. Explicat autem Aristot. *infra capite* de modis, quid sit aliqua esse simul natura, his verbis; *Quæ essendi quidem consequentia cùm conuertantur; neutrum tamen vt sit, alteri causa est, vt in duplo, & dimidio intueri licet: hæc enim conuertuntur: nam si duplum est, dimidium est, & si dimidium est, duplum est, neutrum tamen est causa, vt alterum sit.* Ex quibus duas conditiones, vt detur simultas naturæ inter aliqua, colligunt Doctores. Prima est, quod *mutuò se inferant*; secunda quod *vnum non sit causa alterius*. Et in hoc sensu facilè constat esse veram, & rigorosam relatiuorum proprietatem, quod sint simul natura. Nam omnia, si rectè assignentur; eius sunt conditionis, vt mutuò se inferant in esse, & non esse, vt apertè deprehendet discurrens per omnia relatiuorum genera; sed aliàs vna relatio non est causa alterius, cùm non sit actiua; neque finis, forma, aut materia illius: ergo omnia relatiua formaliter accepta sunt simul natura. Hoc autem minimè conuenit rebus absolutis: quamvis enim generans, & genitum se mutuò inferant; nam benè valet, est generans: ergo; & genitum, & è contra; tamen vnum est causa alterius. Similiter licèt ex duobus albis vnum non sit causa alterius; nihilominùs non se mutuò inferunt: non enim valet, est hoc album: ergo, & illud. Hæc igitur proprietas essendi simul natura, modo explicato, est rigorosa passio relatiuorum prædicamentalium, vt distinguuntur ab omnibus aliis entibus absolutis.

Quinta, & vltima relatiuorum proprietas est illa *esse simul cognitione*. Quæ eodem sensu, & proportione explicanda est, ac præcedens: nam eoipso, quòd relatiua formaliter accepta sint simul natura; opus est, vt vnum debeat definiri per aliud: ita vt qui cognoscit definitè vnum, cognoscat etiam definitè alterum. Cum enim essentia cuiuslibet relatiui consistat in ordine ad aliud; repugnat, quòd cognoscatur quidditas, quæ consistit in ordine ad aliud, quin cognoscatur ly *aliud*: & hoc est relatiua esse simul cognitione, seu definitione: Quæ proindè proprietas, sicut & præcedens, ex qua deducitur, conuenit relatiuis prædicamentalibus quarto modo proprii. Videantur supra dicta *quæst.* 6.



DISPVTATIO XV.

De Prædicamento Qualitatis.

1 TRACTAT Ariſtoteles de *qualitate in cap.* 8. huius libri: illudquè diuidit in tres partes. In prima definit qualitatem, tùm in abſtracto dicens: qualitatem voco, ſecundùm quam *quales eſſe dicimur*; cùm in concreto ijs verbis: *qualia autem ſunt ea, quæ denominatiuè ab eis* (hoc eſt à ſpeciebus qualitatis) *aut aliquo alio modo dicuntur.* ¶ In ſecunda enumerat quatuor qualitatis ſpecies, quæ ſunt habitus, & diſpoſitio: naturalis potentia, & impotentia: paſſio, & paſſibilis qualitas: forma, & figura. ¶ In tertia recenſet tres proprietates qualitatis: quarum prima eſt habere contrarium: ſecunda ſuſcipere magis, & minus: tertia eſt eſſe id, ratione cuius dicimur eſſe ſimiles, vel diſſimiles. Quæ omnia, vt maiori perſpicuitate, & breuitate explicemus, præmittendum eſt, qualitatem multipliciter vſurpari. *Primò* enim accipitur pro differentia eſſentiali: quo ſenſu differentiæ appellantur qualitates generis: & de eis dicitur, quod prædicantur in quale. *Secundò* ſumitur pro omni prædicato accidentali; hoc enim prædicatur in quale, non ſolùm ex modo ſignificandi, vt differentiæ; ſed etiam quoad rem ſignificatam. Et qualitas his duobus modis ſumpta per omnia prædicamenta diuagatur, & non pertinet ad præſentem conſiderationem. *Tertiò*, & propriè accipitur qualitas pro forma accidentali, diſtincta ab aliis prædicamentis, à qua ſimpliciter denominamur quales, & per quam reſpondemus ad interrogationem factam per *quale*. Sicut enim inquirenti, quantus eſt Petrus? reſpondetur bicubitus, aut tricubitus: & inquirenti: vbi eſt? reſpondetur, in Eccleſia, vel in foro: per quæ ſignificamus formas aliorum prædicamentorum: ita ſciſcitanti, *qualis eſt Petrus*? reſpondemus per terminos huius prædicamenti: *eſt albus*, *vel niger* &c. In quo ſenſu agit Ariſtoteles de qualitate, & procedit præſens diſputatio.

QVÆSTIO I.

Vtrum definitio qualitatis tradita ab Ariſtotele ſit bona?

OPortet ante alia exponere definitionem qualitatis traditam à Philoſopho: cùm vt aliquam claritatem huic materiæ conciliemus, quæ ſatis obſcura eſt, propter latentem qualitatis naturam, quam difficilè eſt in communi explicare, vt teſtatur D. Auguſt. *in ſuo Categoriarum libro*. Tùm & maximè, vt occuramus quibuſdam iunioribus in Ariſtotelem non rectè animatis, qui propoſitam ab eo definitionem, quaſi nugatoriam, ſugillant,

§. I.

Exponitur, & defenditur qualitatis definitio.

2 DIcendum eſt, definitionem qualitatis traditam ab Ariſt nimirùm: *Qualitatem voco, ſecundùm quam quales eſſe dicimur*, eſſe congruam, & admittendam; licèt non ſit vndequaque exacta, & rigoroſa. Sic docent communiter Metaphyſici, & Dialectici, contra nonnullos ex Recentioribus: quibus familiare eſt repudiare placita antiquorum, & definitiones communes.

Vt hanc aſſertionem ratione conuincamus, obſeruandum ex Ariſtotele 6. *Topic.* 5. ſuprema genera non poſſe ſtrictè, & rigoroſè definiri: quoniam rigoroſa definitio tradi debet per priora, & notiora definito: quod non competit generibus ſupremis; cùm ſuprema, & ſimpliciſſima ſint. Nam cùm in definitionibus non ſit procedendum in infinitum; opus eſt, vt veniamus ad aliquam rem primam, quæ non poſſit per aliam priorem definiri. Et ideò ſi illius naturam explicare velimus, neceſ-

necessariò retrocedendum est ad posteriora: explicando eius quidditatem per proprios effectus, qui nobis notiores sint, aut alia simili descriptione. Sicut punctum, & vnitas, quia sunt principia quantitatis continuæ, & discretæ, non habent aliud prius, per quod definiantur: & ideò eorum essentiam exponimus per effectus, qui sunt simpliciter posteriores, dicendo: *Punctum est extremum lineæ: vnitas est principium numeri*. Quas definitiones omnes admittunt, quia per lineam, & numerum, quæ nobis notiora sunt explicantur punctum, & vnitas, quæ licèt secundùm se notiora sint, vtpotè cùm sint priora; nobis tamen sunt minùs nota. Et hoc sufficit, vt dictæ definitiones sint congruæ.

Secundò obseruandum est ex eodem Arist. *lib. 7. Metaph.* quod concreta apparent magis entia, quam abstracta: & ideò quodlibet concretum quoad nos est magis notum, quam suum abstractum. Quod in concreto, seu effectu formali qualitatis, nempè *quale* liquidò experimur: facilè namquè agnoscimus quales simus, an ægri, sani, intemperati &c. cùm tamen harum qualitatum naturam vix post multū studium penetremus. Quapropter quandò aliquod abstractum non possumus perfectè definire, quia est genus supremum, congruum erit, vt recurramus ad eius concretum, per quod, tanquam per rem nobis notiorem, abstracti quidditatem explicemus.

Hinc suadetur assertio ratione: nam genera suprema; quæ nequeunt rigorosè definiri, congruè describuntur per sua concreta; cùm hæc descriptio fiat saltem per notiora quoad nos: sed Aristoteles explicat supremum genus qualitatis per suum concretum: ergo prædicta descriptio non est reijcienda, vt vitiosa. sed debet admitti, vt congrua; licèt non sit omninò rigorosa. ¶ Accedit, quod vix apparet aliquid, in quo conueniant omnes species qualitatis, quas Arist. designauit: vndè non potuit ipsa commodiùs describi, quam per eius effectum formalem in concreto significatum, quod nobis notiùs est. Non enim apparet aliud nomen clariùs qualitati in communi adæquatè respondens.

3 Nec refert si cum Hurtado *disp. 14. Metaph. sect. 1.* & alijs Modernis opponas primò, quod hæc definitio explicat idem per se ipsum: nam *qualitas*, & *quale* idem re ipsa sunt, sicut albedo, & album. ¶ Secundò, quod non est notior suo definito, sed obscurior; quia ad cognoscendum, quid sit *quale*, priùs oportet scire, quid sit *qualitas*. ¶ Tertiò, quod illius definitum eam ingreditur: siquidem *quale* idem significat in recto, & pro formali, ac ipsa qualitas. ¶ Quartò, quod hæc definitio est circularis: nam Aristot. priùs qualitatem per quale, & posteà quale per qualitatem definiuit: constat autem definitionem circularem tetum absolutarum esse inutilem, & vitiosam: ergo.

Non, inquam, hæc referunt: nam ad primam obiectionem respondetur, quod in hac definitione non definitur idem omninò per se ipsum; sed eadem res significata in abstracto, & quatenùs est nobis minùs nota, explicatur per se ipsam in concreto significatam, qua ratione est notior nobis. Quod licèt non sufficiat, vt definitio sit omninò rigorosa; sufficit tamen, vt non sit prorsùs inutilis, & contemnenda.

Ad secundam dicimus, quod quamvis quale secundùm se sit minùs notum, quam qualitas, & per eam debeat innotescere: nihilominùs respectu nostri notiùs est quale, quam essentia qualitatis, & hoc satis est, vt prædicta definitio sit clarior suo definito: alias deberent reijci omnes definitiones descriptiuæ, in quibus explicamus causas per effectus; siquidem in eis vrget eadem ratio, quæ taugitur in hac definitione.

Ad tertiam respondemus, definitum cuiuslibet definitionis esse re ipsa idem cum illa; & solùm differre penès implicitum, & explicitum: quod satis est, ne dicatur, quod idem explicatur per se ipsum, vel quod ingreditur suam definitionem. Distinctio autem penès implicitum, & explicitum etiam inuenitur in definitione præsenti: siquidem *quale*, & *qualitas* sunt diuersa nomina, ex quibus *quale* per effectum formalem qualitatis, & connotando subiectum explicat nobis illius naturam; quæ *qualitatis* voce non æquè nota est respectu nostri.

Ad quartam dicendum est, circulum difformem non semper esse inutilem, sed quandoquè esse necessarium, vt ostendemus in libris Posteriorum; & huiusmodi est ille, quo vsus est Aristot. definiendo qualitatem; nam priùs qualitatem in abstracto explicat per *quale*, sicut per effectum formalem, qui est notior quoad nos: deindè *qualia* describit per qualitatem, sicut per formam, & causam magis notam secundum se, sed minùs notam respectu nostri. Quocircà quamvis hæc definitio non sit adeò perfecta; nihilominùs non tot scaturit vitiis, quot illi imponunt Neoterici aliqui: quorum studium est minimè reuereri placita Principum Scholæ; sed eorum auctoritatem quantum possunt, euacuare, & demoliri.

QVÆSTIO II.

An definitio qualitatis tradita à D. Thoma sit legitima?

4 QVia definitio qualitatis ab Aristotele tradita non est ita perspicua, nequè ea pollet perfectione, quam habere posset: ideò illius interpretes variè distracti sunt in assignando aliam definitionem meliorem. Est autem admodum difficilè intellectui nostro pro hoc statu qualitatis essentiam in communi acceptam inuestigare, vt supra prænotauimus ex D. August. Cuius difficultatis rationem reddere possumus ex Angel. Doctore 1. *p. qu. 84. artic. 7. Metaphys. lection. 17.* nam obiectum proportionatum intellectus nostri pro hoc statu est quidditas materialis, seu natura in materia corporali existens: qualitas autem in communi accepta non dicit ordinem ad corpus; sed abstrahit à qualitatibus spiritualibus, & corporalibus: & idcircò cum difficultate cognoscitur. Accedit, quod alia accidentia, quæ possunt etiam in substantijs spiritualibus reperiri, qualis est relatio, dicunt ordinem ad aliquod extrinsecum: quod intellectum juvat, vt facilè ea percipiat. Hoc tamen qualitati non conuenit, cùm hæc ex communi conceptu solum respiciat subiectum, in quo est, & non ordinetur ad aliud. Hinc licèt plures prouinciam hanc perlustrandam susceperint, nihilominus ferè omnes aberrarunt à scopo.

5 In primis enim perdoctus Suarez *disput. 42. section. 1.* sic qualitatem definit: *Qualitas est accidens quoddam absolutum adiunctum substantiæ creatæ ad complementū perfectionis eius, tam in existendo, quam in agendo*. Cujus definitionis, vt bene probat Gallego *controuers. 27.* plura sunt vitia, quam voces: quippe cum omnia eius verba superfluant, nequè tandem explicet propriam qualitatis naturam. Nam in primis illa particula *quoddam* superflua est, cùm non ponatur loco generis, nequè gerat vices differentiæ, vt liquet. Eodem vitio laborat ly *adiuncta substantiæ creatæ*: id enim satis exprimitur prima illa particula *accidens*; liquidem accidens, quatenùs tale, petit adjungi substantiæ creatæ: cùm in substantia increata repugnet dari accidentia. Similiter superfluit ly *ad complementum perfectionis eius*: nam hoc conuenit qualitati ex eo, quod sit accidens:

omnia namquè accidentia complent substantiam aliqua perfectione secundùm quid. Præterquam quod hæc verba nequeunt adaptari omni contento sub definito: quoniam habitus vitiosi, qui sunt qualitates, non deseruiunt ad ornamentum, & complementum substantiæ; sed potiùs illam diminuunt, & deturpant. Aliæ particulæ *tàm in existendo, quàm in agendo*, vel sumuntur collectiuè, & sic non conueniunt omni qualitati; nam plures non sunt actiuæ: vel sumuntur disiunctiuè, & ita jam non erit vna definitio, sed plura; cùm non definiatur genus supremum, sed membra diuidentia secundùm vnamquamque partem illius disiunctionis. Denique quod peius est, tota definitio conuenit quantitati? hæc enim est *accidens absolutum adiunctum substantia creata ad complementum eius, tàm in existendo, quàm in agendo:* quia non solùm ad esse, sed etiam ad operari requiritur debita quantitatis proportio.

6 Nihilò melior est definitio, qua Hurtado vbi supra, reijciens definitionem Aristot. (quam inquit non esse definitionem, sed inanem nugationem) explicat qualitatem dicens: *Qualitas est accidens absolutum à quantitate distinctum*. Nam inprimis hæc definitio conuenit alijs à definito, nimirùm sex vltimis prędicamentis: sunt namquè entia absoluta à quantitate distincta, vt infrà constabit. Prætereà hæc definitio nullo modo explicat essentiam qualitatis: cùm non declaret illud per quod ens contrahitur ad esse qualitatis, & per quod istud prædicamentum distinguitur ab aliis generibus. Dicere namquè qualitatem esse accidens absolutum distinctum à quantitate, notificat quid qualitas non sit; sed minimè exponit, quid sit. Quod planè nugatorium est: sicut si quis definiret animal esse *viuens distinctum à planta*; vel *viuens, quod non est planta*: nihil enim explicaret. Vndè istum modum definiendi imperfectissimum arbitratur Arist. 1. *Topic. cap.* 4. Quare relictis ijs, & aliis definitionibus, quas iuniores pro libito fingunt; opus est vt legitimam qualitatis definitionem proponamus.

§. vnicus.

Elucidatur perfecta qualitatis definitio.

7 Dicendum est, germanam, & essentialem qualitatis definitionem esse illam, quam tradit D. Thom. 1. *p. quæst.* 28 *art.*.... & communiter sub hac forma circumfertur: *Qualitas est accidens dispositiuum substantia*. Sic docent communiter discipuli S. Doctoris. Ad cuius intelligentiam obseruandum est ex Aristot. 5. *Metaph. text.* 24. quod dispositio est *Ordo habentis partes*; vel vt ait D. Th. ibidē *lect.* 20. *Dispositio est ordo partium in habente partes*. Dispositio namq; dicitur à disponendo; disponere autem est ordinare, seu ponere aliqua cum ordine: ad quod requiruntur partes, quæ possint cum ordine collocari. Non tamen requiritur, quòd eæ partes sint verè, & realiter partes; sed sufficit multiplicitas partium virtualium; cuiusmodi sunt illæ, quas distinguimus in eadem potentia, v. g. in intellectu, in ordine ad recipiendos diuersos habitus, vel eundem habitum secundùm diuersos gradus, aut intensionem. Omnes enim admittunt, quod in Intellectu sit dispositio strictè dicta; in quo tamen non sunt partes realiter distinctæ: sed solùm quædam indifferentia ad plura, quæ est virtualis latitudo, & multitudo partium virtualium: secundum quas potest diuerso modo actuari, & disponi circa suum obiectum, tàm intensiuè, quàm extensiuè.

Porro dispositio partium est duplex: alia in ordine ad locum, quæ nimirum sic ordinat partes corporis, vt vna correspondeat loco sursum, alia loco deorsum &c. & huiusmodi dispositio constituit prędicamentum *situs*, vt infrà videbimus. Alia est dispositio, quæ ordinat rem in se ipsa, non habito respectu ad locum: vt figura hominis verè ordinat, & disponit partes eius: ita vt hæc vniatur illi, & non alteri; quæ dispositio distinguitur à præcedenti, & potest ab ea separari, vt de facto contingit in mysterio Eucharistiæ. Et de hac vltima dispositione intelligendus est D. Thom. cum definit qualitatem.

Deniquè obseruandum est, nullam esse speciem qualitatis, cui non conueniat per se primò constituere ordinem inter partes formales, vel virtuales proprij subiecti: vt constabit discurrendo per omnes. Habitus enim ordinat partes subiecti in ordine ad illius naturam: potentia in ordine ad operationem: passio in ordine ad terminandum motus: & figura in ordine ad terminationem quantitatis. Quæ omnia manifestiùs apparebunt, cùm singulas huius prædicamenti species explicuerimus: quod infrà vberiùs præstabimus.

Hinc apparet veritas nostræ assertionis: quia illa est definitio legitima, & essentialis alicuius generis supremi, quæ explicat illius rationem communem, & propriam differentiam, seu modum constitutiuum: sed huiusmodi est definitio qualitatis tradita à D. Thom. nempè *accidens dispositiuum substantiæ*: ergo &c. Minor patet ex his, quæ prænotauimus, & sic ostenditur: namly *accidens* est conceptus suo modo communis omnibus prædicamentis: esse verò *dispositiuum substantiæ* est propria ratio constitutiua qualitatis; cùm in ea conueniant omnes eius species, & per illam distinguatur ab alius generibus. Vndè sicut hæc est quidditatiua definitio quantitatis: *Quantitas est accidens extensiuum substantiæ*; quoniam propria ratio differentialis eius est extendere substantiam: sic quia disponere substantiam est propria qualitatis ratio; rectè, & quidditatiuè definitur per hoc, quod sit: *Accidens dispositiuum substantia*.

8 Cum hac definitione coincidit alia, qua vtitur D. Thom. *prima secunda, quæstione* 49. *articulo secundo*, dicens: *Qualitatem accidens esse modificatiuum substantia*. Pro cuius luce animaduertendum est, quod *modus* potest quadrifariam vsurpari. *Primò* enim accipitur pro omni accidenti, nam frequenter dicimus, quod accidentia modificant substantiam. *Secundò* restringitur ad quædam accidentia, quæ licèt reuera sint entia completa, & collocentur directè in prædicamentis; habent tamen entitatem aliis accidentibus debiliorem. Et hac ratione figuras, relationes, & vltima sex prædicamenta solemus appellare modos. *Tertiò* accipitur magis propriè pro quibusdam rebus imperfectissimis, incompletis, & debilis adeò entitatis, vt non constituant aliquod genus, vel speciem; sed sint purè affectiones aliorum entium, ad eorum prædicamenta indirectè pertinentes. Et huiuscemodi sunt vnio, punctum, subsistentia, motus, & similia, vt dicemus in postprædicamentis. *Quartò* sumitur modus pro determinata alicuius rei dispositione, siue ordinata determinatione: quo sensu secundùm phrasim Hispanam dicimus: *no tiene modo, o tiene buen modo*: hoc est in iis, quæ agit, non habet dispositionem, vel ordinatè procedit.

Quandò ergo D. Thom. docet, qualitatem esse *accidens modificatiuum substantia*, non vsurpat modum in tribus prioribus acceptionibus; sed in quarta: quo pacto modus non distinguitur à dispositione supra exposita, sed cum ea re ipsa coincidit. Quoniam qualitatem modificare substantiam, idem est ac partibus illius, quæ præsupponebantur confusæ, determinationem, & ordinem imponere: in quo pariter essentia dispositionis consistit. Vndè liquet, hanc definitionem esse in re eandem cum præcedenti: atque Angelicum Doctor. tam in

1. part. quam in 1. 2. explicuisse per idem, quamvis diuersis terminis, & vtrobique propriissimis, quidditatem qualitatis. Videatur Sanchez *lib. 5. quæst. 4*

QVÆSTIO III.

De prima specie qualitatis?

9 COgnita essentia qualitatis opus est species eius inuestigare. Et vt congruè procedamus, exordimur à prima specie, quæ est habitus; & dispositio. *Habitus* autem (qui ab habendo dicitur) potest tripliciter accipi, vt docet D. Thom. 1. 2. *quæst.* 49. *art.* 1. *Primò* enim habere idem est, ac possidere, quocumque modo possessio fiat; vt cùm dicitur aliquis habere amicum, pecunias &c. Iuxta quam acceptionem ipsa res habita, siue sit substantia, siue accidens solet appellari habitus secundùm illud. *A priuatione ad habitum non est possibilis regressus*. Et hoc pacto habere, seu habitus est postprædicamentum, de quo agemus infrà. *Secundò* sumitur minùs communiter pro quodam medio inter vestitum, & vestem, inter armatum, & arma, &c. Et hac ratione constituit vltimum prædicamentum, vt suo loco dicemus. *Tertiò* accipitur magis strictè pro eo, quo res benè, vel malè se habet in se ipsa; quo sensu solemus dicere: *Quomodo te habes?* Et habitus ita sumptus constituit primam speciem huius prædicamenti.

Dispositio etiam vltra acceptiones explicatas *quæst. præc.* sumitur tertiò pro qualitate disponente subiectum benè, vel malè in ordine ad se. Qua ratione videtur coincidere cum habitu: nam indifferenter solemus inquirere: *quomodo te habes? & quomodo dispositus es?* Differunt tamen in hoc, quod habitus est ex se difficilè mobilis à subiecto, & diuturnitatem quandam, seu permanentiam importat: dispositio verò facilè à subiecto remouetur, quia ex natura sua non vendicat caulas stabiles, & permanentes; sed infirmas, & citò transeuntes. Propter quod scientiam, virtutem, & alias qualitates diuturnas appellamus habitus: pulchritudinem verò, sanitatem, & alias qualitates minus stabiles vocamus dispositiones. In præsenti igitur duo sunt examinanda. Primum est, in quo consistat essentia huius primæ speciei, provt habitum, & dispositionem comprehendit. Secundum est, qualiter habitus, & dispositio distinguantur inter se.

10 Dicendum est primò, essentiam primæ speciei qualitatis, vt comprehendit habitum, & dispositionem, consistere in eo, quod sit qualitas disponens subiectum benè, vel malè in se ipso: & hoc, vel sistendo ibi, vt contingit in sanitate, & pulchritudine; vel in ordine ad operandum, vt contingit in scientia, & virtute. Ita Arist. 5. *Metaph. text.* 25. D. Thom. 1. 2. *quæst.* 49. *art.* 3. & ibi Conradus, Zumel, & alii expositores. Probatur ratione: nam illa est propria ratio constitutiua huius speciei, in qua conueniunt omnes illius qualitates, & per quam distinguuntur ab aliis speciebus: sed huiusmodi est ratio, quam in assertione descripsimus: ergo in ea consistit quidditas huius speciei. Probatur minor: nam sanitas, ægritudo, pulchritudo, deformitas, scientia, error, virtus, vitium, & omnes aliæ qualitates huius speciei disponunt conuenienter, vel disconuenienter subiectum, vt apparebit discurrenti per singulas: aliæ quidem in ordine ad naturam secundum se acceptam; aliæ verò importando ex consequenti, & ratione subiecti ordinem ad operationem, in quantum est finis naturæ: Hoc autem qualitatibus aliarum specierum minimè conuenit: nam secunda species, nempè naturalis potentia, & impotentia sumitur in ordine ad actionem absolutè non curando, an sit conueniens, vel disconueniens subiecto. Tertia, quæ est passibilis qualitas, sumitur in ordine ad motum. Quarta, quæ est figura, in ordine ad quantitatem. Et nulla illarum curat, an afficiat benè, vel malè subiectum; sed hoc relinquunt qualitatibus primæ speciei: In hac igitur ratione conueniunt omnes huius speciei qualitates, & distinguuntur à reliquis aliarum specierum.

11 Dicendum est secundò, habitum, & dispositionem propriè dicta differre essentialiter specificè. Ita D. Thom. *vbi sup. ad* 3. Caiet. & Conradus *ibidem*. Iauelus, Soto, & Masius *in hoc cap.* N. Didacus à Iesu *disp.* 15. *quæst.* 2. & alij plures. Sed priùs quam rationem huius conclusionis proponamus, obseruandum est, quod esse facilè, vel difficilè mobile dupliciter potest conuenire qualitati: vno modo per se, & ex natura suæ speciei; alio modo per accidens, & ex conditionibus indiuidualibus. Illa qualitas est per se difficilè mobilis, quæ ex natura sua determinat sibi causas inuariabiles; cuiusmodi sunt principia necessaria respectu scientiæ. Illa verò qualitas est per se facilè mobilis, quæ, ex se petit causas facilè transmutabiles: quales sunt respectu sanitatis calor, & frigus; quæ propter alterationem continuam facilè transmutantur. Si verò qualitas non ex natura sua, sed propter dispositionem subiecti magis, vel minus firmiter illi inhæret: tunc dicitur facilè, vel difficilè mobilis per accidens, & ex conditione indiuidui.

Deindè obseruandum est, dispositionem propriè sumptam esse illam qualitatem, quæ ratione suæ speciei facilè remouetur à subiecto: habitum verò propriè dictum esse qualitatem ex se difficilè mobilem. Quoniam nomine habitus intelligimus qualitatem petentem causas per se inuariabiles, & nomine dispositionis significatur qualitas, vendicans principia, quæ de facili subeunt alterationem. In cuius signum videmus, quod quandò dispositio firmatur per accidens in subiecto, appellatur habitus; vt cum febris transit in hecticam: & è contra, quandò habitus per accidens actuat imperfectè subiectum, dicitur dispositio; vt cùm inchoatur scientia.

Hinc depromitur fundamentum assertionis: nam ex diuersitate essentiali causarum sumitur distinctio essentialis in effectibus, quoties illi petunt ex natura sua talia principia: sed habitus, & dispositio petunt ex se causas essentialiter diuersas, vt constat ex prænotatis: ergo differunt essentialiter inter se. Et quamvis facilis, & difficilis mobilitas videantur accidentia qualitatis, cùm pertineant ad motum, vel passionem: per illas tamen circumloquimur proprias differentias habitus, & dispositionis: quia necessè est, vt specie essentiali differant, quæ ex natura sua postulant diuersa accidentia.

12 Ex quibus apparet, qualiter definienda sit hæc prima qualitatis species: nam loquendo de illa, provt abstrahit ab omnibus suis inferioribus, debet definiri sic: *Est qualitas secundum quam res benè, vel malè se habet.* In qua definitione ponitur ly *benè, vel malè* sub disiunctione: quia non habemus nomen incomplexum, quod significet conceptum communem huius speciei, provt abstrahit à conuenienti, & disconuenienti. Cùm autem ista species diuidatur essentialiter in habitum, & dispositionem per esse facilè, vel difficilè mobilem à subiecto: utriusque possumus definitionem efformare: *Habitus est qualitas, secundùm quam res benè, vel malè se habet, difficilè mobilis: Dispositio est qualitas, secundùm quam res benè, vel malè se habet facilè mobilis.*

Habitus propriè dictus diuiditur in acquisitum, & infusum. Sub illo continentur, Fides, Spes, Charitas, Lumen gloriæ, & aliæ virtutes supernaturales. Ille verò di-

tò diuiditur in intellectualem, & moralem, seu in habitum intellectus, & appetitus: qui rursus diuiduntur in varias species; quas nostri non est instituti recensere, & examinare. ¶ Sub dispositione propriè dicta continentur omnes dispositiones corporales: quia istæ simpliciter sunt facilè mobiles, vt docet D. Thom. 1. 2. *q.* 50. *art.* 1. Ad hanc etiam speciem pertinet illa qualitas spiritualis, quæ per primum actum virtutis causatur in voluntate, vt tradit idem D. Thom. *quæst.* 51. *sequenti art.* 3. vbi docet per primum actum scientificum posse generari scientiam, quæ sit verè habitus, licèt imperfectus: per primum verò virtutis actum non posse generari virtutem, quæ sit verè habitus; sed solùm erit dispositio: An autem gratia sanctificans pertineat ad speciem habitus, vel ad speciem dispositionis, difficultas est, quæ superat Dialecticum institutum: & ideò relinquenda est Theologis, qui illam tractant 1. 2. *q.* 110. *art.* 3.

QVÆSTIO IV.

De alijs tribus speciebus qualitatis.

RElìquæ species qualitatis faciliores sunt negotij, quam prima: & idcircò eas sub vna quæstione coniungimus, quia ab earum declaratione breuiter nos expediemus.

§. I.

De naturali potentia, & impotentia.

13 DVplex est principium operationis; aliud radicale, vt se habet anima respectu intellectionis: & hoc pertinet ad prædicamentum substantiæ: Aliud est principium proximum operandi, & hoc constituit secundam hanc speciem qualitatis: cuius nomine intelligimus potentiam inditam à natura, respicientem operationem absolutè, hoc est, præscindendo à ratione conuenientis: aut disconuenientis. Porrò hoc principium proximum bipartitur: nam aliud est principium operationis fortis, & perfectæ; qualiter se habet potentia visiua in iuvene: & hoc dicitur naturalis potentia. Aliud est principium operationis remissæ, & debilis; qualis est potentia visiua lenis: & illud appellatur impotentia naturalis. Vndè constat, naturalem impotentiam non dicere nudam priuationem; sed potentiam debilem, & remissam; & consequenter solum distingui à potentia naturali, sicut perfectum, & imperfectum intra eandem speciem.

Definitur autem sic: *Potentia est qualitas productiua*; vel est *principium actionis absolutè*. Et nomine actionis intelligitur non solùm ea, quæ est propriè, & rigorosè actio; sed etiam illa, quæ habet modum actionis, licèt nullum producat effectum: quales sunt magna, aut parua resistentia, quarum sunt principium durum, & molle. Et ideò durities, & mollitudo pertinent ad istam speciem, vt docent Arist. in præsenti, & D. Thom. *in* 1. *dist.* 42. *quæst.* 1. *art.* 1.

14 Diuiditur primò potentia naturalis in actiuam, & passiuam, seu resistitiuam: quarū rationes ex ipsis terminis patent, neque indigent definiri. Sub passiua continetur durum, & molle, salubre, & valetudinarium: quorum nomine intelligimus non sanitatem, & infirmitatem, quæ pertinent ad primam speciem; sed potentias naturales, quibus aliqui ratione complexionis fortiter resistunt infirmitatibus, vel illis facilè cedunt. ¶ Potentia autem actiua diuiditur in transeuntem: & immanentem. Illa est, quæ operatur per actionem receptam in subiecto distincto ab agente: cuiusmodi est potentia calefactiua. Immanens verò dicitur, quæ agit per actionem manentem in ipso agente: quales sunt intellectus, voluntas, & omnes sensus. De quibus latè à nobis agendum est in libris de anima.

Ad hanc speciem qualitatis reducuntur qualitates supernaturales, quibus homines deputantur ad cultum Dei, secundum ritum Christianæ religionis: quæ characteres appellantur. Ex quibus character Baptismi pertinet ad potentiam passiuam: quia non ordinatur ad agendum, sed ad receptionem aliorum Sacramentorum. Characteres verò Confirmationis, & Ordinis spectant ad potentiam actiuam: nam ordinantur ad actiones hierarchicas. Videatur D. Thom. 3. *p. q.* 63. *art.* 2. *& in* 4. *dist.* 4. *qu.* 1. *art.* 4. *quæstiunc.* 3. vbi doctrinam istam illustrat.

§. II.

De passione, & passibili qualitate.

15 PLures sunt acceptiones passionis, vt videre est apud Diuum Thom. 5. *Metaph. lect.* 20. *Primò* enim sumitur pro proprietate, quæ ab essentia dimanat: quo pacto risibilitas, est passio hominis, & diuisibilitas quantitatis: & in hac acceptione non est species qualitatis, cum inueniatur in aliis prædicamentis. *Secundò* sumitur pro receptione formæ in passo, quæ correspondet actioni, qua agens producit effectum. Et specialiter applicatur hoc nomen receptioni formæ, quæ fit cum aliqua transmutatione corporea, & disconuenienti: id namquè propriè patitur, quod remouetur à sua naturali dispositione, vt cùm quis infirmatur. Qua ratione actus appetitus sensitiui frequenter appellantur passiones: quia fiunt cum aliquali nocumento. Et neque in hac acceptione attinet passio ad hanc speciem; sed constituit speciale passionis prædicamentum, de quo infra. *Tertiò* sumitur passio pro qualitate, secundùm quam fit alteratio: quæ teste Arist. in præsenti dicitur passibilis qualitas, vel quia causat alterationem, vt calidum, & frigidum in tactu; vel quia resultant ex aliqua alteratione, vt album, & nigrum. Et passio sic accepta constituit tertiam hanc speciem qualitatis.

Passibilis autem qualitas coincidit re ipsa cum passione: solùm quippè differunt inter se accidentaliter, & per ordinem ad causas extrinsecas suæ durationis. Quandò enim qualitas ex aliqua breui alteratione resultat, vt rubor ex verecundia causatus, dicitur passio: cum verò ex fixa quadam, & permanenti alteratione oritur, vt pallor v. g. ex temperamento, vel infirmitate indutus, appellatur passibilis qualitas. Ex quibus satis constat, essentiam huius tertiæ speciei, prout passionem, & passibilem qualitatem comprehendit sitam esse in eo, quod sit *terminus, aut principium per se alterationis*; ac proindè continere sub se, tam primas qualitates, nimirum calorem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem: quam secundas, quæ sunt obiecta sensuum, vt colores, sapores, odores, &c. Omnes namquè huiusmodi qualitates, vel terminant per se alterationem, siue transmutationem corpoream, vel illam causare possunt saltem in sensibus.

§. III.

De forma, & figura.

16 VLtima species qualitatis, quæ est *forma* sumitur à dispositione, quam habent partes quantitatis in ordine ad se, & à qua deriuatur denominatio formosi, vel deformis: quo sensu dicitur *Psal.* 44. *Speciosus forma præ filijs hominum*. Eadem est quoad præsens acceptio *figura*. Quamuis enim vsurpetur aliàs pro signo, vel imagine, iuxta illud, 1. *ad Corinth.* 10. *Omnia in figura contingebant illis*: in præsenti tamen sumitur pro qualitate resultante ex terminatione quantitatis: qua illius partes determinantur, & disponuntur secundùm rotunditatem, quadraturam, aut aliam similem formam. Vndè liquet, figuram sic acceptam conuenire essentialiter specificè cum forma modo descripta. Distinguuntur tamen accidentaliter in hoc, quòd forma significat illam speciem naturaliter; idest concretam aliis accidentibus sensibilibus: figura verò, vt frequentiùs vsurpatur, dicit eandem speciem abstractam ab illis, adeòque Mathematicè: quæ diuersitas solùm est accidentalis, vt ex se constat. Aliam etiam differentiam assignat D. Thom. 7. *Physic. lect.* 5.

Sub forma continentur qualitates constitutiuæ artefactorum, vt turris, nauis, domus, & similes. Ad figuram verò præter figuras animalium, & aliarum rerum naturalium, pertinent omnes, quas Geometra speculatur, reducunturque ad duas species supremas, nempè ad figuram planam, & solidam. Figura plana est illa, quæ fit in superficiebus; & diuiditur in triangularem, quadrangularem, pentagonam, &c. & circulum, quæ est perfectissima inter figuras planas. Solida verò est, quæ fit in corporibus; & diuiditur in pyramidem, cylindrum, cubum, &c. & sphæram, quæ est perfectissima inter figuras solidas. Sed de his videantur Horontius *libro primo suæ Geometriæ*, & alii Mathematici.

§. IV.

Ostenditur, diuisionem qualitatis esse rectam, & adæquatam.

17 SVperest ostendamus, sufficientiam diuisionis qualitatis in quatuor species hucusque expositas: quam rectam, & adæquatam esse docent communiter Dialectici. Quod aptiùs præstare non possumus, quam proponendo rationem D. Thom. 1. 2. *q.* 49. *art.* 2. vbi diuisionem traditam ab Arist. explicat, & probat his ferè verbis.

Qualitas propriè accepta consistit in modo, seu determinatione substantiæ: ob idque partiri debet secundùm multiplicitatem prædicti modi. Modus autem, seu determinatio subiecti potest sumi, vel secundùm naturam ipsius subiecti, vel secundùm actionem, & passionem, quæ consequuntur principia naturæ, vel tandem secundùm quantitatem. Si determinatio sumatur in ordine ad quantitatem, constituit quartam speciem, nempè formam, & figuram. Si in ordine ad actionem, constituit secundam speciem, scilicet potentiam, & impotentiam naturalem. Si in ordine ad passionem, constituit tertiam speciem, nimirùm passionem, & passibilem qualitatem. In his autem speciebus nihil consideratur pertinens ad rationem boni, vel mali: quia bonum, & malum concernunt rationem finis: à quo motus, & passiones absolutè accepti præscindunt. Natura verò habet rationem finis, & consequenter per respectum ad eam debet sumi ratio boni, vel mali, conuenientis, aut disconuenientis. Vndè determinatio subiecti in ordine ad naturam constituit primam speciem qualitatis, videlicet habitum, & dispositionem; in quibus per se attenditur, quod afficiant benè, vel malè, conuenienter, aut disconuenienter. Sed non apparet aliqua species qualitatis, quæ sub his quatuor enumeratis non comprehendatur: vel ad eas conuenienter nequeat reduci: ergo dicta diuisio est sufficiens, & adæquata.

18 Sed obijcies primò: Aristot. post traditam diuisionem statim addidit esse fortè alia genera qualitatis: ergo opinatus est, datam à se qualitatis diuisionem non esse adæquatam. ¶ Respondetur; ea verba non ideò prolata fuisse ab Aristot. quia iudicauerit, esse alias species qualitatis præter eas, quas recensuerat: sed id dixit modestiæ causa, & vt simul ostenderet essentiam, & species huius prædicamenti cum difficultate deprehendi.

Objicies secundò: nam diuisio hæc non traditur per membra distincta, & inter se opposita: ergo non est recta. Probatur antecedens: nam idem calor v. g. pertinet ad tertiam speciem qualitatis, quatenùs est per se terminus alterationis; & spectat etiam ad secundam; cùm sit naturalis potentia ignis: quod fieri non posset, si dictæ species essent distinctæ, & inter se oppositæ. ¶ Respondetur negando antecedens: ad cuius probationem dicendum est, quod licèt eadem res non possit per se, & essentialiter pertinere ad duas species; potest tamen pertinere essentialiter ad vnam, & reductiuè, aut accidentaliter ad aliam. Et hoc pacto calor (& idem est de aliis primis qualitatibus) collocatur in diuersis speciebus; quoniam secundùm se, & essentialiter acceptus ponitur solùm in tertia; quia per se conuenit illi esse terminum alterationis: accidentaliter verò, & reductiuè potest poni in secunda, quatenùs in aliquo subjecto habet rationem passionis, siue potentiæ naturalis, vt in igne: vel potest collocari in prima, quatenùs habet rationem dispositionis conuenientis complexioni, vt in homine.

Objicies tertiò: quia species intentionalis est vera qualitas: & tamen non pertinet ad aliquam ex speciebus enumeratis: ergo dicta diuisio est insufficiens. ¶ Respondetur negando minorem: nam vt colligitur ex D. Thom. 1. 2. *q.* 50. *art.* 5. & 6. species impressæ pertinent ad speciem habitus; cùm disponant subiectum in ordine ad naturam, sintque ex ratione sua difficilè mobiles. Species autem expressæ constituuntur sub dispositione; quia sunt ex natura sua facilè mobiles, & ordinantur ad benè esse potentiæ. Sed perfectior huius difficultatis discussio pendet ex dicendis *in libro de anima*: vbi de speciebus intentionalibus ex professo agendum est. Videatur Sanchez *lib.* 5. *Log. quæst.* 43. qui alios modos dicendi refert.

DISPV-

DISPVTATIO XVII.

De sex vltimis Prædicamentis.

1 IN *cap. 9. huius libri* tractauit Aristoteles, licèt breuissimè de sex aliis prædicamentis, quæ sunt *actio, passio, vbi, quando, situs, & habitus*. Et quoniam de illis perpauca tradidit nobis Aristot. forsan reputans ea; vel parui momenti, vel captu facilia: ideò Gilbertus Porretanus singulare de eis edidit opusculum: ex quo alij Dialectici veram horum prædicamentorum notitiam desumpserunt; quam in hac disputatione breuiter simul, & perspicuè curabimus ministrare. Duo autem sunt, quæ principaliter examinare oportet: primùm, in quo essentia vniuscuiusque ex iis prædicamentis consistat: secundùm, an sint denominationes extrinsecæ, an entia absoluta, vel relatiua. Et quia exacta resolutio secundi dependet ex intelligentia primi; idcircò ab hoc exordiendum nobis est, licèt aliàs secundùm doctrinæ methodum ab vniuersalibus descendere oporteret ad particularia.

QVÆSTIO I.

In quo consistat essentia vniuscuiusque prædicamenti ex sex vltimis?

IN his exponendis parùm immorabimur, cùm quia non indigent disceptatione, sed explicatione: tum quia de *actione, passione, vbi, & quando* fusiùs agemus *in lib. Physicorum*.

§. I.

De actione, & passione.

2 VT intelligamus, quid sint actio, & passio; opus est priùs ostendere, quid non sint. Ad cuius lucem obseruandum est, plura concurrere in productione physica effectus, v. g. in calefactione. Primò inuenitur suppositum ignis; secundò potentia operatiua; tertiò effectus productus: quartò motus, medio quo passum, v. g. lignum transit de non calido in calidum: quintò denique mutua relatio inter agens, & passum. Et in nullo horum consistit proprius conceptus actionis, vel passionis: non in primo, quia suppositum agens pertinet ad prædicamentum substantiæ: neque in secundo, quia potentia immediatè operatiua spectat ad prædicamentum qualitatis: neque in tertio, quia effectus, vel est qualitas, vel substantia: neque in quarto, quia motus est ens incompletum, & post prædicamentum: neque tandem in quinto, quia illa relatio pertinet per se ad genus relationis, & resultat ex ipsa actione, & passione, in eisque fundatur. Vndè adhuc assignandæ restant formalitates, in quibus actio, & passio consistunt.

Incipiendo igitur ab actione, asserendum est esse operationem, seu causalitatem principij effectiui. Quæ operatio est duplex: alia immanens in ipso agente, vt intellectio, & volitio; alia transiens ad externam materiam, vt calefactio, & infrigidatio. Ex quibus prior non pertinet ad hoc prædicamentum; sed constituitur in genere qualitatis: nam actio constitutiua huius prædicamenti est operatio conjuncta motui; & ideò definitur 3. *Physicor.* per hoc, quod sit *motus prout ab agente*: actiones autem immanentes non important ex suo formali conceptu mutationem physicam: & ideò nequeunt sub hoc genere collocari. Quod fusiùs, & radicitùs expendemus *lib. 3. de anima*. Actio autem transiens formaliter, & metaphysicè accepta consistit in respectu transcendentali ad principium, a quo fluit, & ad effectum, seu terminum, quem inducit in passo cum illius transmutatione. Quod satis expressit definitio Gilberti: *Actio est forma secundùm quam in id, quod subijcitur, agere dicimus*. Nam agere in externam materiam importat formam transmutatiuam alius, quæ ita respiciat principium, à quo oritur, vt simul dicat habitudinem ad effectum, quem in materia sibi subiecta producit, & originat.

3 Passio autem, quæ vt *disp. praeced.* obseruauimus, vsurpatur multipliciter, constituit hoc prædicamentum, quatenùs est receptio formæ excludentis à subiecto statum, in quo præexistebat, ideòque cum transmutatione physica. Ad cuius intelligentiam notandum est, essentiam passionis non posse consistere in forma, quæ de nouo inducitur; hæc enim est qualitas, vel quantitas, &c. Et similiter non consistit in inhærentia eiusdem formæ: cùm inhærentia sit modus, & ens incompletum, & remaneat translacta passione. Qua etiam de causa nequit consistere formaliter in motu, vel in eius susceptione: quoniam omnia hæc sunt entia incompleta, & inepta ad constituendum prædicamentum, vt liquet. Vndè solum restat, quod ratio formalis passionis constitutiuæ huius generis sita sit in habitudine actualis subiectionis, quam mobile dicit ad agens, vi cuius superatur, & recipit nouam formam. Quod significant definitiones passionis: *Passio est accidens, à quo res constituuntur actu recipiens, vel est motus prout in passo*. Sicut enim actio est habitudo agentis ad passum, siue ad effectum, quem in passo inducit: ita passio est habitudo corporis patientis ad agens, siue ad terminum, quem patiendo sustinet.

Ex dictis infertur, diuisionem passionis prædicamentalis

talis colligendam esse ex diuisione actionis, siue motus: qui diuiditur prima, & generali diuisione *in alterationem, augmentationem*, & *lationem*, vt dicitur 3. *Physic.* vbi de specificatione, & diuisione motus ex professo agemus. Et similiter *lib. 1. de anima* explicabimus, à quo actio sumat vnitatem, & speciem, an à principio, vel à termino, vel ab vtroque. Quapropter in præsenti supersedendum est, ne exturbemus ordinem doctrinæ, vel inculcando nunc ea, quæ posteà suis locis dicenda sunt; vel ea ita perstrictim tangendo, vt confusionem magis pariant, quam lucem.

§. II.

De Prædicamento vbi.

4 PRo intelligentia huius prædicamenti notandum est, quod duplex est *vbi*, creatum scilicet, & increatum. Vbi creatum est forma accidentalis, per quam res fit præsens determinato loco, illiquè ita coaptatur, vt ita sit hic, quod non sit alibi: propter quod solet appellari *vbi deffinitiuum*. Vbi autem increatum, est ipsa Dei immensitas, per quam est præsens omni creaturæ, & existens vbique, hoc est in omni loco vero, & reali. Dicimus, *in omni loco vero: & reali*, quia, cùm esse in loco sit esse in aliquo; siquidem in nihilò nihil est, idcircò Deus non existit actu in spatiis imaginariis, sed solùm in locis, seu creaturis verè, & realiter existentibus. Qua etiam de causa priusquam Deus mundum è nihilò extraheret, nullibi erat, sed solùm in semetipso. Quod tradit D. Thom. *in 1. dist. 37. quæst. 2. artic. 3.* docentquè communiter Thomistæ aduersùs Suar. & alios Modernos: quorum opinionem iam olim excluserat D. Aug. *11. de ciuit. Dei, cap. 5.* appellans modum concipiendi istorum: *Inanes hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca; cùm locus nullus sit præter mundum.*

Vbi autem creatum, seu deffinitiuum diuiditur in *vbi diffinitiuum* particulariter dictum, & in *vbi circumscriptiuum*. Illud est accidens, quo res ponitur in loco diuisibili modo indiuisibili, hoc est, tota in toto, & tota in qualibet parte; ad eum modum, quo anima rationalis est in corpore. Et hoc pacto Angeli constituuntur in loco. *Vbi* verò *circumscriptiuum* est accidens, quo res ponitur in loco commensuratè ad locum; ita videlicet, quod tota res correspondeat toti loco, & partes eius partibus loci. Quod explicuit Gilbertus hac definitione: *vbi est circumscriptio corporis à circumscriptione loci proueniens*. Nam hoc ipso, quod corpus circumscribatur à loco resultat in illo quoddam accidens respectiuum transcendentaliter, per quod locatum redditur præsens loco, cum commensuratione ad dimensiones istius. Quam habitudinem appellamus vbi circumscriptiuum, seu corporeum; nam in solis corporibus inueniuntur dimensiones, per quas fiat correspondentia totius ad totum, & partium ad partes, inter rem locatam, & locum. ¶ His vbicationibus creatis annumerare possumus aliam, quæ solet appellari sacramentalis: & est forma, per quam Christus Dominus est formaliter, & immediatè præsens speciebus Eucharisticis; non quidem sicut locatum in loco, sed eo modo quo substantia est præsens suis accidentibus, vt explicat D. Thom. *3. p. q. 76. art. 5.*

5 Nunc videndum est, an omnes istæ vbicationes, quas recensuimus, pertineant per se ad hoc prædicamentum. In qua difficultate asserendum est, solùm *vbi circumscriptiuum*, seu corporeum constituere genus illud; reliquas verò vbicationes ad hanc categoriam non pertinere. Ita D. Thom. *3. p. q. 52. a. 1.* Caiet. Bañnez, & Nazarius *ibidem*. Ferrara *3. contra gentes, cap. 68.* & alij Thomistæ. Quod sic ostenditur: nam in primis vbi increatum est attributum diuinæ immensitatis: ergo nequit constitui sub isto, aut sub alio genere. Videantur *supradicta disput. 12. numero 16.* Deindè vbi Angelicum, seu diffinitiuum spectat per se ad prædicamentum qualitatis, quia est aliqua operatio spiritualis intellectus, vel voluntatis, vt docent communiter Thomistæ: eadem antem res nequit constitui per se in diuersis prædicamentis: ergo vbi deffinitiuum non potest in hoc genere collocari. Porrò *vbi sacramentale* non est verum vbi: quia Christus non est in Eucharistia sicut in loco diffinitiuè, aut circumscriptiuè: nequè per se est præsens loco, vel spatio specierum; sed solùm ipsis speciebus, eo modo, quo substantia comparatur ad suas dimensiones, vt docet D. Thom. *loc. cit. ex 3. p. & 4. contra gentes cap. 64.* Vndè per motum localem specierum non acquiritur, aut deperditur vbi sacramentale, seu præsentia Christi ad species, sed dumtaxàt vbi circumscriptiuum earum. Ergo vbi sacramentale debet excludi ab hoc prædicamento, in quo solùm constituitur vbi verum, & proprium, quod terminat motum localem.

Hinc sequitur vbi circumscriptiuum constituere adæquatè genus supremum huius prædicamenti. Quod satis expressit Gilbertus definiens genus istud verbis propositis: quæ soli vbi circunscriptiuo valent adaptari, & non aliis. Ex quo vlteriùs fit, species huius prædicamenti multiplicandas esse pro diuersitate locorum, siue positionum in loco ambiente: quarum sex differentias constituit Aristot. *3. Phys. text. 45.* dicens: *Ampliùs omne corpus sensibile in loco est. Loci autem species, & differentiæ sunt sursum, & deorsum; ante, & retro; dextrorsum, & sinistrorsum*, &c. Totidem igitur admittendæ sunt species. Vbi circunscriptiui.

6 Inquires primò, an istud vbi ita dependeat à loco, vt sine illo saluari, & conseruari non valeat? Respondetur affirmatiuè contra Suarez *disp. 51. Metaph. sect. 1.* & alios iuniores, quos rectè impugnant Sanchez *lib. 6. Log. quæst. 10.* & alij Thomistæ. Et ratio est perspicua: nam sicut *esse quandoquè* est esse in tempore; & ideò repugnat, quod sine tempore detur *quandò*, ita *esse alicubi* est esse in loco; & ita implicat, quod sine loco detur; aut intelligatur *vbi*. Quomodò autem cum hac doctrina cohæreat, quod supremum cœlum sit in loco, exponemus *in 4. Physic.*

Inquires secundò, an substantia, quantitas, & reliqua accidentia habeant propria *vbi* inter se distincta, mediis quibus sint in loco. Respondetur negatiuè contra eundem Suarez *vbi suprà sectione quinta*. Quoniam sicut substantia, & alia accidentia extenduntur, & coaptantur loco per vnicam, & eandem quantitatem: ita vnica vbicatione circunscriptiua possunt esse in loco, & fieri illi formaliter præsentia. Nequè refert, quod in Eucharistia substantia panis amittat *vbi* proprium; & tamen ibi perseueret *vbi* proprium quantitatis: quæ proindè videntur esse diuersa. Respondetur enim, quod idem *vbi*, quod prius afficiebat substantiam, per sistit non vbicando illam; sed quantitatem; quæ vices substantiæ gerit. Nam sicut, destructa substantia, perseuerant alia accidentia, ita & *vbi*: quod non afficiebat substantiam, nisi media quantitate.

§. III.

De Prædicamento quandò.

7 EX dictis §. *antecedenti* facilis negotij erit exponere, quid sit *quandò*: nam satis similis est illius rat o vbicationi. Quemadmodum enim ex circunscriptione

tione loci resultat in re locata *vbi*, quo formaliter est in loco: sic ex adiacentia, & mensuratione extrinseca temporis primi mobilis resultat in re temporali aliquod accidens, ratione cuius dicitur formaliter esse in tempore; quod accidens appellamus *quandò*. Vndè sicut *vbi* supponit in re locata quantitatem, per quam est apta vbicari, & supponit etiam locum, ex cuius extrinseca mensuratione resultat, ab eisquè, secluso intellectu, distinguitur: sic *quandò* supponit durationem intrinsecam ex parte rei, quæ est in tempore, supponit etiam tempus ipsum primi mobilis, à quo res temporalis mensuratur. Vndè nec est duratio ipsa, nec tempus; sed quid relictum in re durante ex eo, quod à tempore mensuretur. Quod satis conuincitur, cùm ex prædicta paritate: tùm ex definitione, qua Gilbertus explicat hoc prædicamentum dicens: *Quandò significat rationem ex temporis insidentia relictam; non tempus ipsum*. Et infrà: *Quandò est quædam affectio rebus addita: per quam dicuntur esse, aut fuisse, aut futuras esse; non verò est tempus ipsum*: Quod etiam satis expressè docet D. Thom. *Opusc.* 43. *&* 5. *Physic. lect.* 3. & alibi sæpè.

Vndè exclusa manet opinio Suarij *disput.* 50. *Metaphys. sect.* 12. vbi generaliter statuit, *quandò* nihil aliud esse, quam intrinsecam rei durationem, & persistentiam in esse: ac proindè species huius prædicamenti esse omnes durationes creatas. Cuius asserti falsitas, licèt satis appareat ex dictis, insuper potest ostendi: quoniam eadem forma nequit pertinere per se ad diuersa prædicamenta, cùm hæc sint essentialiter diuersa, vt vidimus *disput.* 14. *num.* 21. sed duratio rerum pertinet per se ad alias categorias: ergo non potest constituere per se prædicamentum *quandò*. Minor suadetur: nam si duratio rei v. g. temporalis distinguitur ab eius existentia, vt docent communiter Thomistæ, pertinet per se ad prædicamentum quantitatis, vt suprà diximus *disput.* 14. *num.* 21. & ex dicendis *in lib. Physic.* magis constabit. Si verò duratio est ipsa existentia, vel persistentia rei in esse, vt vult ipse Suarez, debet constitui per se in illis generibus, in quibus collocantur res durantes: ac proindè si res, quæ durat est substantia, duratio illius debet in opinione Suarij in genere substantiæ collocari: aliàs inconsequentiæ conuincitur. Dicere enim, quod respondet hic Auctor *num.* 14. non omnia prædicamenta accidentium esse vera accidentia; sed quædam esse, quæ propter solam prædicationem accidentalem constituunt genera accidentium: est destruere diuisionem accidentis realis in nouem prædicamenta; confundere accidens Logicum, seu prædicabile cum accidenti physico, seu prædicamentali; & collocare directè substantiam sub generibus accidentium: quæ omnia sunt manifestè falsa, & absurda. Videatur Ioannes Gonzalez 1. *p. quæst.* 20. *disp.* 22.

8 Species huius prædicamenti distinguendæ sunt secundùm diuersas habitudines ad diuersas partes temporis primi mobilis. Vndè Aristoteles *capite quarto* huius libri designat, vt species quandò *heri*, *hodie*, *superiori anno &c.* Iuxta quam sententiam sic potest ordinari hoc prædicamentum, vt primò diuidatur in *quandò*, ratione cuius rès dicuntur fuisse in tempore: & in *quandò*, ratione cuius dicuntur esse; & in *quandò*, ratione cuius dicuntur futuras esse. Ex quibus secunda species appellatur *hodie*, & est species infima: quia in tempore præsenti non dantur partes, per ordinem, ad quas sumantur diuersa *quandò*. Aliæ sunt subalternæ: nam sub prima continentur *heri*, *nudiustertius*, *superiori anno &c.* sub secunda verò, *cras*, *sequenti anno &c.*

Inquires, an forma, per quam Angeli inferiores coexistunt æuo, seu durationi Angeli superioris, ab eoquè extrinsecè mensurantur, pertineat per se ad istud prædicamentum. Respondetur negatiuè: tùm quia *quandò* constituens hoc genus resultat ex insidentia temporis primi mobilis, vt constat ex definitione Gilberti: quod non conuenit illi accidenti Angelico, vt ex se liquet. Tùm quia solum tempus est absolutè, & simpliciter quantitas, ac proindè solum tempus habet absolutè, & simpliciter rationem mensuræ; cùm hæc consequatur quantitatem: ergo solùm ex adiacentia temporis resultat in re mensurata verum accidens: quod hoc prædicamentum constituit. Tùm, denique, quia propriæ differentiæ *quandò* sunt *heri*, *hodie*, vel *cras*: Angeli autem coexistunt æuo Angeli superioris indiuisibili modo, hoc est sine discretione; vel successione vnius moræ post aliam, vt latiùs dicemus *lib.* 4. *Physic.* ergo forma, qua coexistunt superiori æuo, nequit spectare per se ad istud prædicamentum. Et hunc modum dicendi appellat Sanchez *lib.* 6. *Log. quæst.* 9. *concl.* 4. communem, & firmiorem in doctrina Arist. & D. Thom.

§. IV.

De Prædicamento situs.

9 Qvamvis corpus ratione vbicationis sit in loco per commensurationem ad illum; ita scilicet, quod vna pars eius sit extra locum alterius partis: ex vi tamen prædictæ vbicationis non determinat sibi in loco specialem partium positionem, seu ordinem ratione, cuius vna sit v. g. sursum; & alia deorsum. Et ad hunc effectum præstandum ponitur speciale prædicamentum *situs*: qui definitur à Gilberto, quod sit: *Positio partium, secundùm quam dicuntur stantia, vel sedentia, vel aspera, vel lenia &c.* & breuiùs à D. Thom. *opusc.* 48. *situs est positio, seu ordo partium in loco*. Vndè sufficienter apparet distinctio huius generis à prædicamento vbi: quam etiam possumus aliàs colligere ex eo, quod variata vbicatione potest *situs* inuariatus permanere, vt contingit in eo, qui sedens in naue mouetur de loco in locum.

Species huius prædicamenti docet B. Albertus *tract. de situ cap.* 1. esse *æquè*, & *non æquè situatum esse*. Sub quibus continentur *stare*, *sedere*, *asperum*, *lene*, & aliæ positiones. Sotus autem in præsenti diuidit hoc prædicamentum immediatè, in *naturalem*, & *præternaturalem*. Ille est, qui vnicuique corpori determinatè conuenit à natura: vt homo habet caput in loco superiori, & alias partes in loco magis, vel minus inferiori; planta verò habet caput scilicet radicem, in loco inferiori, & ramos in superiori; bruta autem medio modo se habent, quibus natura, neque caput versus cælum erexit, neque terræ infixit. Præternaturalis situs est, qui acquiritur ex appetitu animalis, diuiditurque in varias species, quales sunt *sessio*, *cubatio*, *statio*, & similes.

§. Vltimus.

De Prædicamento habitus.

10 NOn desunt, qui asserant, hoc prædicamentum esse accidens quoddam disponens partes corporis, vt possit commodè vestiri. Iuxta quam sententiam in solis hominibus reperitur habitus, nam eorum membra sunt à natura disposita, vt possint facilè indui: & in quolibet homine semper perseuerat idem habitus; cum persistat eadem corporis dispositio. Horum tamen opinio falsa est: tùm quia ex vi prædictæ aptitudinis corpus non dicitur vestitum, sed nudum: effectus verò hu-

jus prædicamenti est reddere corpus formaliter vestitum; quia per illud dicimur habere indumentum. Tùm etiam, quia illa membrorum dispositio non est accidens distinctum à figura, duritie, vel mollitudine eorum; quæ omnia certum est ad alia genere pertinere: ergo hoc prædicamentum nequit consistere in ea dispositione, vel aptitudine.

Quare asserendum est, quod sicut ex circunscriptione loci resultat in re locata novum accidens, quo dicitur esse in loco: sic ex adiacentia indumenti resultat in re animata, noua quædam forma; ratione cuius res dicitur esse induta: & hanc appellamus *habitum*. Quod significauit Gilbertus dicens habitum esse: *Corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt adiacentiam*. Quam etiam doctrinam satis expressit Arist. 5. *Metaph. cap.* 10. docēs, habitum esse medium quoddam per modum actionis, & passionis inter vestem, & habentem ipsam.

Hinc sequitur animalia irrationalia, quæ à natura acceperunt indumenta, vt pilos, lanam &c. non habere respectu eorum *habitum*: quia talia indumenta non sunt aliquid extrinsecum, ex cuius adiacentia *habitus* resultat, sicut vbi ex circunscriptione loci. Quod si in ordine ad humanos vsus induantur, habere poterunt habitum huius prædicamenti, vt tradit D. Thom. *opusc.* 48. Qua ratione equus dicitur armatus, vel phaleratus. ¶ Sequitur etiam, species huius prædicamenti designandas esse iuxta diuersa genera indumentorum: quæ sunt *arma*, & *vestimenta*. Porrò vestimenta multiplicantur secundùm modum vestiendi, qualiter se habent *pileus, tunica, calceamentum &c.* Et idem proportionabiliter de armis dicendum est. Qui plura voluerit, consulat D. Thom. *opusc. cit.* & Sanchez *lib.* 6. *Logic. à quæst.* 34.

QVÆSTIO II.

An ista sex prædicamenta consistant in denominatione extrinseca: & vtrum sint entia absoluta.

§. I.

Defenditur communis, & vera sententia.

11 Dicendum est primò, hæc prædicamenta non esse puras denominationes extrinsecas, sed formas intrinsecas relictas in subiecto ex applicatione, vel adiacentia alicuius extrinseci. Sic docent B. Albertus, Et Gilbert. quos refert, & sequitur Capreolus *in* 2. *dist.* 2. *q.* 1. *art.* 3. Soncinas 5. *Metaph. quæst* 41. Arauxo ibidem *quæst.* 7. *art.* 1. Gonzalez 1. *p. q.* 10. *disp.* 22. *ad* 3. & communiter Doctores. Estque proculdubiò mens D. Thom. nam 5. *Metaph. lect.* 15. generaliter docet, sex vltima prædicamenta esse respectus intrinsecos relictos in rebus ex aliquo extrinseco. Idemque specialiter tradit de *actione*, & *passione in* 2. *dist.* 40. *q.* 1. *art.* 4. *de vbi*, & *quandò in* 4. *dist.* 16. *quæst.* 3. *art.* 1. *de situ*, & *habitu* 5. *Metaph. lect.* 20.

Probatur ratione: quia prædicamenta, secluso intellectu, distinguuntur, & sunt primò diuersa; at distinctio penès intrinsecam, & extrinsecam denominationem eiusdem formæ nequit inducere distinctionem realem, & diuersitatem essentialem: ergo sex vltima prædicamenta non consistunt in denominatione extrinseca prouenienete à forma alterius prædicamenti, vt *quandò* à tempore, *situs* à loco &c. sed sunt formæ intrinsecæ inter se, & à quolibet extrinseco realiter essentialiter distinctæ. Minor probatur: nam eadem omninò forma, quæ denominat intrinsecè subiectum, in quo est, denominat extrinsecè terminum, quem respicit; & consequenter denominatio extrinseca non dicit in recto aliam realitatem præter realitatem formæ, à qua desumitur: animal enim esse videns, & parietem esse visum eandem formam dicunt in recto, nempè visionem: ergo distinctio penès extrinsecam denominationem causare non potest realem, & essentialem distinctionem.

Confirmatur: quoniam, vt vidimus *quæst. præced.* omnia hæc prædicamenta dicunt pro formali aliquid intrinsecum resultans ex positione, vel mensuratione alicuius extrinseci: *vbi* enim non est locus, sed quid ex loci circunscriptione resultans: & similiter *quandò* non est tempus, sed entitas consurgens ex insidentia temporis, & sic de aliis: ergo hæc prædicamenta non consistunt in denominatione extrinseca, sed sunt formæ intrinsecæ, ab aliquo tamen extrinseco dependentes.

12 Dicendum est secundò, sex vltima prædicamenta non esse relationes prædicamentales, sed tantùm relatiua transcendentalia, & secundùm dici: ac proinde esse formas simpliciter absolutas. Ita Sotus, & Masius in præsenti. Arauxo *vbi supra conclus.* 4. Sanchez *lib.* 6. Logicæ per totum, & communiter Doctores. Fundamentum est: nam relatio prædicamentalis ex proprio, & formali conceptu dicit esse *ad*: sed hoc non conuenit his prædicamentis: ergo non sunt relationes prædicamentales, vel secundùm esse. Minor constat: quia actio per se primò dicit esse *ab agente*; passio *in passo*; vbi, & situs *in loco*, quandò *in tempore*, & habitus *in vestito*: ergo non dicunt per se primò *ad*, seu respectum ad purum terminum.

Confirmatur primò: nam relatiua prædicamentalia sunt simul natura: sed actio, & passio non sunt simul natura: ergo non sunt relationes secundùm esse. Probatur minor, quia actio est actus actiui, & passio passiui ex Aristot. 3. *Physic. text.* 29. sed actiuum, & passiuum non sunt simul natura: sed illud est causa istius, & prius eo: ergo. ¶ Confirmatur secundò, & vrgentiùs: quoniam si hæc prædicamenta essent relationes secundùm esse, non constituerent genera diuersa à prædicamento relationis, sed ponerentur in eo; cùm sub illo contineantur omnes relationes creatæ, & secundùm esse: consequens est apertè falsum, nam destruit denarium prædicamentorum numerum, & adstruit quatuor duntaxàt suprema genera contra communem Philosophorum sententiam: ergo hæc prædicamenta non sunt veræ relationes; sed entia absoluta. Quia tamen important dependentiam ab aliquo extrinseco, quod transcendentaliter respiciunt; ideò frequenter appellantur relatiua transcendentalia, & secundum dici.

§. II.

Satisfit argumentis in contrarium.

13 Prima opinio primæ conclusioni opposita defendit, quod hæc vltima prædicamenta consistunt in denominatione extrinseca; ita vt *quandò* v. g. nihil aliud sit, quam denominatio proueniens à tempore mensurante, & sic de aliis: Quam amplectuntur: Herucus *quodlib.* 1. *q.* 9. Iauellus 5. *Metaph. quæst.* 23. Sotus, & Masius in præsenti, & alij. Nulla ratio potest in fauorem huius sententiæ formari, cui opus sit specialiter occurrere: quandoquidem ex dictis pro communi placito apparet illius veritas; & vires aduersæ partis ta-

tis

tis superquè eliduntur. Sed præcipuum eius fundamentum sumitur ex auctoritate D. Thom. 1. p. q. 110. art. 3. vbi asserit, quod *Mobile secundùm locum, non est in potentia ad aliquid intrinsecum, in quantum huiusmodi; sed solùm ad aliquid extrinsecum, scilicet ad locum*: & *primo contra gentes cap. 3* inquit: *Aliquandò denominatur aliquid ab eo, quod est extra ipsum, vt à loco dicitur aliquod esse alicubi*. Ergo sentit Angelicus Doctor, quod *vbi* est denominatio extrinseca prouenienś à loco. Idem manifestè insinuat 3. *Physic. lect.* 5. loquens generaliter de his vltimis prædicamentis.

Respondetur, D. Thom. priori loco distinguere motum localem ab augmentatione, & alteratione in hoc, quod hi duo motus terminantur ad aliquid omninò intrinsecum, nempè ad quantitatem, & qualitatem, quæ provt sic à nullo extrinseco dependent. Motus autem localis terminatur ad *vbi* quod omninò dependet à loco, qui est aliquid extrinsecum: & ideò priùs mobile intelligitur conjungi loco, quam quod resultet *vbi*. Qua ratione dicitur, quod mobile secundùm locum est in potentia ad aliquid extrinsecum: quod non habent alij motus, quibus comparat D. Thom. motum localem. Præterquam quod propositio illa: *Mobile secundùm locum, in quantùm huiusmodi*, hoc est provt præcisè exprimit ordinem ad locum, *non est in potentia ad aliquod intrinsecum* &c. est in sensu formali verissima; cùm locus sit quid extrinsecum: nobis tamen non aduersatur vllo modo, vt consideranti constabit.

Ad alias auctoritates dicendum est, S. Doctorem solùm intendere; quod res dicatur esse alicubi à loco causaliter, & sicut à forma extrinseca: quia locus est id, à quo sumitur *vbi* denominans intrinsecè subiectum: & idem proportionabiliter intelligendum est de aliis prædicamentis. Forma enim extrinseca aliquandò denominat immediatè per se ipsam, vt visio parietem visum: & hæc denominatio est purè extrinseca: aliquandò verò denominat mediante aliquo respectu ad se terminato; & tunc denominatio est simpliciter intrinseca, cùm proueniat immediatè à respectu intrinseco: appellatur tamen extrinseca, quia est ab aliquo extrinseco, sicut a termino. Et hoc vltimum intendit dumtaxat D Thomas, si alicubi appellat hæc prædicamenta denominationes extrinsecas.

14 Secunda sententia nostræ assertioni contraria docet, sex vltima prædicamenta consistere in relatione secundum esse extrinsecus adueniente. Ita Scotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 1. Suadetur ratione: quia proprium est relationis secundùm esse petere terminum actu existentem, quam existentiam non exigunt relatiua secundùm dici, vt patet in scientia respectu obiecti: sed hæc prædicamenta important pro formali respectum ad aliquid extrinsecum, vt existens: ergo sunt relationes secundùm esse. Minor admittitur à nobis, & est manifesta: quia *vbi* non potest existere, non existente loco; nec *quandò*, non existente tempore, & sic de aliis.

Respondetur, quod licèt relationes transcendentales non petant ex genere suo terminum actu existentem, vt patet in potentiis, & habitibus: nihilominùs aliqua relatiua secundùm dici, siue transcendentalia dantur, quæ ex propriis rationibus exigunt existentiam termini: quia ad positionem eius resultant, & sunt entia imperfecta, & minimæ entitatis. Quod non solùm relationi, sed etiam aliis entibus conuenit, vt vnioni, & aliis modis. Distinguuntur igitur relatiua secundùm esse; & secundùm dici in hoc, quod illa ex genere suo postulant semper terminum existentem, vt diximus *disp.* 14. *num.* 10. ista autem non semper exigunt illum; sed solùm quando sunt entia imperfecta: qualia esse hæc sex vltima prædicamenta patet ex hucusque dictis.

QVÆSTIO III.

De Post-prædicamentis.

15 IN tertia parte huius libri disserit Aristotele per quinque capita de quibusdam affectionibus, quæ consequuntur decem suprema genera, de quibus hactenùs egimus. Et quia huiusmodi affectiones non sunt entia completa, sed entitates quædam imperfectæ, & per varia genera diuagantes; idcircò nequeunt ad aliquod speciale prædicamentum reduci, sed appellantur *post prædicamenta*. Sunt autem quinque, videlicet *oppositio, prioritas, simultas, motus, & modus habendi*. Sed quæ Aristot. de illis tradit, facilia sunt intellectu, & vnanimiter ab omnibus recipiuntur: propter quod in eorum explicatione non procedemus disputatiuè, sed solùm resolutoriè. Qua etiam de causa pro horum expositione noluimus specialem disputationem instituere; sed omnia sub vna quæstione complectimur, eamquè præsenti disputationi annectimus, quamvis minùs propriè.

§. I.

De Oppositione, & eius speciebus.

16 ANte alia præmittendum est, quod in præsenti non est sermo de oppositione propositionum, aut terminorum, de qua tractauimus *lib.* 2. Institutionum: sed de oppositione rerum. Hæc enim est, quæ consequitur ad prædicamenta, & constituit post-prædicamentum istud: quam sic possumus definire. *Oppositio est repugnantia determinata aliquorum*. In qua definitione *repugnantia*, quæ dicit aliquorum distinctionem, & incompossibilitatem conueniendi eidem ponitur loco generis: quia in hac ratione conuenjunt opposita propriè dicta cum aliis, quæ opponuntur impropriè, appellanturquè repugnantia, seu disparata; quales sunt differentiæ diuisiuæ cuiuslibet generis. Alia particula *determinata* gerit vices differentiæ: nam significat determinationem extremorum, quam non important repugnantia, & disparata, sed indifferenter repugnant aliis; homo enim non magis opponitur equo, quam aquilæ, vel leoni. Oppositum verò propriè dictum constituitur in esse talis, per respectum ad aliquem certum terminum, quem sibi vendicat, vt extremum, cui determinatè, & velut è regione occurrit, & repugnat, vt calidum frigido, cæcitas visui, &c.

Huiusmodi autem oppositio est quadruplex: alia *relatiua*, vt inter duplum, & dimidium: alia *contraria*, vt inter bonum, & malum: alia *priuatiua*, vt inter visum, & cæcitatem: & alia *contradictoria*; vt inter ens, & non ens. Cuius diuisionis sufficientia probatur: quia vel repugnantia, quam importat oppositio, est inter ens, & non ens; vel inter ens, & ens. Si primum, vel inter ens, & non ens simpliciter; & sic est *oppositio contradictoria*: vel inter ens, & non ens in determinato subiecto; & sic est *oppositio priuatiua*. Si secundum: vel ens, & ens mutuo se expellunt; & sic est *oppositio contraria*: vel se respiciunt; & sic est *oppositio relatiua*. Ex quibus omnium maxima est contradictoria, deindè priuatiua, tertiò contraria, & vltimo relatiua. Quod ex descriptionibus earum satis deprehenditur.

Vndè etiam patet, prædictam oppositionis diuisionem non esse vniuocam, sed analogam, vt docet Diu. Thom. *opusc.* 37. & cum eo Caietanus, Sotus, & Ma-

sius in præsenti. Ratio est: quia sola oppositio contradictoria est per se primò, & simpliciter oppositio, cum excludat omne medium, quod tamen aliæ oppositiones non excludunt: & idcirco per participationem ab illa sortiuntur rationem oppositionis; & quo magis accedunt ad eam, eò magis de oppositione participant.

17 Probat autem Aristot. quod priuatiuè opposita non sunt opposita contrariè: quia in contrariis inquit, potest fieri mutatio indifferenter de vno in aliud, vt de albo in nigrum, & è contrà. At in priuatiuè oppositis, licèt ab habitu, id est à forma, vel re, qua fit priuatio, sit possibilis transitus ad priuationem; ab hac tamen ad habitum impossibilis est regressus: fit enim ex vidente cæcus, non verò ex cæco videns. Ad cuius dicti (quod difficultate non caret) rectam intelligentiam animaduertendum est ex D. Thom. 8. *Metaph. lect.* 4. duplex esse genus priuationum. Quædam enim sunt, quas subjectum æquè immediatè respicit, ac formam, vel habitum, quo priuant: quales sunt ignorantia, quies, somnus, tenebræ, &c. ex quibus proindè dabilis est regressus ad ipsum habitum, aër enim v. g. indifferenter potest transire à luce ad tenebras, & à tenebris ad lucem. Aliæ autem priuationes sunt, quæ non habent immediatum generationis ordinem ad suum subiectum; sed respiciũtur ab eo mediante forma, qua priuant: quales sunt mors, & similes. Susceptibile namquè mortis, & vitæ non respicit immediatè mortem, sed media vita: quia mors non est, nisi vita præcesserit, vt ex se liquet. Et in hoc genere priuationum nequit dari regressus naturalis, & immediatus à priuatione ad habitum in eodem subiecto: atquè in his verificatur dictum Aristot. quia vi naturæ non fit immediatè ex cæco videns, ex edentulo dentatus, aut ex mortuo viuens.

Diximus *immediatè*, & *in eodem subiecto*: quia si substractum habitus, & priuationis destruatur, & plures transmutationes interueniant poterit fieri regressus à priuatione ad habitum. Si enim cadauer comedatur, & conuertatur in sanguinem, vel semen, suscipiet iterum vitam: at iam non erit idem subiectum sed aliud; nequè id fiet per immediatum regressum, vel transmutationẽ, sed interuentu plurium.

18 Designat denique Aristotel. quasdam contrariorum proprietates. *Prima* est non esse necessarium, si vnum contrarium existit, quod existat etiam aliud. Non enim infertur, si album est, nigrum etiam esse: quia possunt omnia esse alba. *Secunda* est duo contraria non posse esse in eodem subiecto. *Tertia* est contraria esse circa idem subiectum, vt si subiectum sanitatis est animal, idem etiam sit subiectum ægritudinis. Et has duas conditiones complectitur definitio contrariorum desumpta ex 10. *Metaphys. cap. 6.* scilicet, *Contraria sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, & eidem subiecto insunt; à quo mutuo se expellunt.* Vltimò inquit Aristot. contraria esse, vel sub eodem genere, vt albedo, & nigredo sub genere coloris; vel esse sub contrarijs generibus, vt iustitia, & iniustitia sub virtute, & vitio, vel esse ipsa genera contraria, vt virtus, & vitium. Quod traditæ definitioni minimè aduersatur; quia illa particula, *sub eodem genere maximè distant*, extenditur ad genus infimum, & subalternum; atquè ita verificatur de quibuscumque contrariis: iustitia enim, & iniustitia, virtus, & vitium sunt sub genere habitus, & qualitatis.

§. II.

De modis prioritatis, & modis simul.

19 Quatuor distinguit Aristot. *prioritatis* modos. Alia enim est prioritas temporis, seu in essendo: quo pacto homo generans est prior genito. Alia dignitatis, & honoris: quo sensu honorabiliores in populo appellantur priores. Alia ordinis, qualem habent partes respectu compositi, præmissæ respectu conclusionis, & literæ respectu syllabæ. Alia subsistendi consequentia, cum scilicet ab vno ad aliud nulla est vis illationis, & hoc modo genera sunt priora speciebus: ab animali quippè ad hominem nulla est consequentia affirmatiuè. His modis, qui suo tempore circumferebantur adiunxit Aristot. quintum, videlicet prioritatem *naturæ*, seu *causalitatis*, & *independentiæ*: quæ consistit in eo, quod vnum sit causa alterius, cum quo est simul tempore: & hac ratione omnis causa actu causans est prior suo effectu. ¶ Quibus, & nos addere possumus vltimam, & nobiliorem prioritatem, nempè originis, quam Aristot. non cognouit: & hæc solùm inuenitur inter personas diuinas, consistitquè in eo, quod vna persona procedat ab alia absquè vlla dependentia inter se. Quæ prioritas solùm est à *quo*, & non in *quo*: quia non datur aliquod instans reale, vel rationis, in quo vna persona sit sine alia.

Ex ijs facilè erit explicare modo *simultatis*; nam alia est simultas temporis, qualis datur inter duos gemellos, & inter essentiam, & passionem. Alia dignitatis, vt inter personas æquè nobiles. Alia subsistendi consequentia, vt inter rationale, & risibile. Alia naturæ, quæ consistit in eo, quod aliqua mutuo se inferant; & tamen neutrum ab alio dependeat: quo pacto se habent relatiua, quæ proindè sunt simul natura, & cognitione. Simultas autem originis nequit excogitari.

§. III.

De speciebus motus, *& modis* habendi.

20 Circa *motum* solùm est dicendum in præsenti; quod habet sex species, aut quasi species, videlicet *generationem*, & *corruptionem* ad substantiam; *augmentationem*, & *diminutionem* ad quantitatem; *alterationem* ad qualitatem; & *lationem*, seu *motum localem* ad vbi. Harum verò proprias rationes, diuersitatem, & contrarietatem exponemus ex professo *in lib. Physic. & in lib. de Generatione, & corruptione*, vbi propriam sedem habent: quocircà ab ijs pro nunc supersedendum est.


Habere sumitur multipliciter, vt suprà prænotauimus *disput.* 15. *num.* 9. in præsenti autem sumitur pro possidere, qualitercumque possessio fiat. hac enim ratione constituit hoc postprædicamentum habitus. Cuius plures modos recenset Aristot. illos tamen possumus cum Soto ad quinque reducere. *Primus* est, quo vna res dicitur habere aliam, quam trahit ad suam dispositionem, & naturam: vt febris dicitur habere infirmum, & tyrannus ciuitatem. *Secundus* est, quo res habet aliam, sicut subiectum formam: vt substantia quantitatem, qualitatem &c. *Tertius* est, quo res habet aliam sicut continens contentum: vt dolium vinum. *Quartus* est, quo res tenet aliam per violentiam, ne moueatur suo motu naturali, vel libero: sicut columnæ habent domum, & vehemens passio hominem. *Quintus*, & vltimus est modus habendi per solam relationem: quo sensu dicitur quis habere amicum, vel vxorem. Quem modum appellat Arist. imperfectissimum, & remotissimum: quia iuxta illum vna res habet aliam, & habetur ab ea, vt constat exemplis adductis.

DISPVTATIONES
AD
LIBROS POSTERIORVM,
Seu de Demonstratione.

PROOEMIVM.



IRIGITVR intellectus noster in suis actibus per diuersas secundas intentiones, quarum contemplationi Logica incumbit, & iuxta quas (vt suprà *monuimus) partitur in varios tractatus. Nam* vniuersale, prædicabile, vniuocum, analogum, genus, species, *&c. sunt termini secundæ intentionis, quorum notitia perficit primam intellectus operationem; quibus proindè correspondet prima pars Dialecticæ: & de his hactenùs egimus exponentes prædicabilia Porphyrij, & prædicamenta Aristotelis.* Nomen *autem,* verbum, oratio, propositio, oppositio, æquipollentia, *& aliæ similes intentiones dirigunt intellectum circa secundam operationem; & ideò earum notitia spectat ad secundam Logicæ partem: & de his disserit Aristot.* duobus libris Perihermenias, *nosquè latè tractauimus* in lib. 2. Institutionum*: propter quod nihil occurrit addendum in præsenti.* Syllogismus *verò* fallacia, figura, medium, demonstratio, *& similia, sunt intentiones dirigentes tertiam operationem intellectus; & sic pertinent ad tertiam partem Dialecticæ, quarum notitiam Aristot. diuersis libris complectitur. Quorùm ordinem, vt intelligamus, præ oculis habendum est, quod resolutio est reductio rei in partes ex quibus componitur. Partes autem cuiuslibet entis artificialis sunt forma, & materia: & ideò ex parte vtriusque potest fieri resolutio artefacti, vt triangulus ligneus verbi gratia ex parte formæ resoluitur in tres lineas, ex parte verò materiæ resoluitur in elementa constituentia lignum. Ita similiter syllogismi resolutio potest attendi, vel ex parte formæ, quæ est apta dispositio propositionis in modo, & figura: vel potest considerari ex parte materiæ, quæ sunt dictæ propositiones, ostendendo earum veritatem per principia, ex quibus legitimè deducuntur. Et quia forma antecellit materiam dignitate, & cognitione; resolutio ex parte formæ debet præcedere eam, quæ se tenet ex parte materiæ: & idcircò Aristotele priùs egit de forma syllogistica, duosquè libros super hac re editos inscripsit de priori analysi, seu resolutione. Disputatque diffusè in illis de forma argumentationis, de varijs eius speciebus, de triplici syllogismorum figura, de arte inueniendi medium, & alijs hùc spectantibus, ex quibus tamen quia necessaria selegimus* lib. 3. Institutionum *nunc circa hos libros supersedendum est. Notitiam autem, & modum resoluendi syllogismum ex parte materiæ præstitit Aristot.* aliis libris Posteriorum, Topicorum, & Elenchorum. *Sed quia materia necessaria, ex qua constat demonstratio præstat, materiæ probabili, & sophisticæ, ex quibus coalescit syllogismus topicus, & sophisticus; & in his propter eorum imperfectionem nequit fieri exacta resolutio: idcò duo libri, in quibus agitur de* demonstratione *titulum de posteriori* resolutione *absolutè sibi vsurparunt. In quibus Aristot. de demonstrationis speciebus, partibus, principijs, proprietatibus, & effectibus per quam plura capita disputat. Illius tamen doctrinam (quæ hic præcipuè acutissima est) breuiter, & perspicuè, vt postulat institutum nostrum, proponemus: consulentes vbiquè commentaria Angelici Doctoris super hos libros, quæ inter alia eius opera sunt præclara.*



DISPVTATIO XVII.

De Praerequisitis ad demonstrationem.

1 ACTVRVS Aristoteles de natura, & diuisionibus demonstrationis differuit priùs, de quibusdam ad illam præreqvisitis. Cuius ordini, sicut & menti indivulsè, quantùm possumus adhærentes, in præsenti disputatione de his agemus, quorum notitia ad demonstrationem præmitti debet; in sequenti verò illius essentiam, & species declarare curabimus.

QVAESTIO I.

Vtrum omnis cognitio intellectiua ex praexistenti fiat cognitione?

OCcasionem quæstioni præbuit Aristot. dùm tractatum hunc auspicatur ijs verbis: *Omnis doctrina, omnisquè disciplina intellectiua ex praexistenti fit cognitione.* Quibus duas antiquorum opiniones, vel potiùs errores latentes notat, insimulquè refellit. Nam supponens, dari doctrinam, & disciplinam intellectiuam sese opponit placito Heracliti, Cratylli, & Academicorum, qui nihil certò posse cognosci autumabant; sed omnia dubitanter, & cum formidine: & consequenter de medio tollebant omnem demonstrationem, & scientias. Quam positionem falsitatis conuincit tùm appetitus naturalis, quem habet homo ad sciendum; qui vanus esset, si non perueniret ad euidentem alicuius rei notitiam: tùm experientia ipsa; plura namquè ita certò cognoscimus, vt nulla de illis suboriatur dubitatio, vt patet in conclusionibus mathematicis: tùm deniquè efficax dilemma, quo D. Augustinus Academicos subtiliter redarguit. *Negant* (inquit *lib. 3. contra Academ. cap. 9.*) *Academici aliquid sciri posse. Vndè hoc vobis placuit studiosissimi homines, atque doctissimi? Mouit nos, inquiunt definitio Zenonis. Cur quæso? Nam si vera est nonnihil veri nouit, qui vel ipsam nouit. Sin falsa, non debuit constantissimos commouere.* Videantur suprà dicta disput. 3.

2 Cum autem Aristotel. determinat doctrinam hanc intellectiuam fieri ex alia præexistenti, Platonem impugnat, qui licèt admiserit scientias; negauit tamen esse necessariam demonstrationem ad eas comparandas: quia existimauit illas fuisse à principio animæ inditas, nosquè proindè nullam de nouo consequi; sed nostrum scire tantum esse quoddam reminisci. Quod sic probat in Mennone: nam dùm quis conatur scientiam acquirere, vel scire desiderat id, quod iam scit; vel id, quod penitùs ignorat? Non primum quia nemo cupit comparare id, quod iam possidet, & agnoscit. Nequè etiam secundum: quia vana foret talis inquisitio: sicut siquis inquireret hominem, quem nullo modo nouit; quamvis enim ipsi obuiam fieret, adhuc non cognosceretur.

Hanc sententiam excludit Arist. dicens, *doctrinam intellectiuam fieri ex praexistenti cognitione.* Si enim datur in nobis aliqua doctrina, quæ ex præexistenti fiat: ergo non omnia à principio sciuntur: dabiturquè proindè demonstratio, per quam scientia comparetur. Fundamentum verò Platonis facilè diluitur: respondetur enim eum, qui scientiam adipisci conatur, non appetere notitiam eius rei, quam perfectè scit, aut totaliter ignorat: sed habere appetitum sciendi id, quod ignorat simpliciter, nimirùm in se ipso; & agnoscit secundùm quid, videlicet in suis principiis. Quoniam sicut effectus naturales præcontinentur in virtute suarum causarum, vbi existunt secundùm quid; & posteà virtute agentis educuntur in actum existendi in se ipsis, quo pacto existunt simpliciter: ita conclusio, quæ præcontinetur in principiis, ibiquè virtualiter duntaxàt, & secundùm quid cognoscitur, potest virtute discursus reduci in expressam, & perfectam sui notitiam, per hoc quod cognoscatur in se ipsa. Sic enim transit de cognitione vniuersali; & potentiali in cognitionem actualem, & propriam. Vndè conclusionis inquisitio superuacanea non est, sed necessariò debet admitti demonstratio, per quam scientia simpliciter aquiratur: & hoc est, *doctrinam intellectiuam fieri ex praexistenti cognitione.*

§. Vnicus.

Respondetur quæsito.

3 HÆc licèt ita sint; dubium est inter Auctores, qualiter intelligendum sit dictum Aristotelis. Quidam enim illud extendunt ad omnem operationem intellectus, tàm simplicem, quàm compositam. Alii autem dictam propositionem ad omnes, & solas cognitiones compositas accommodant. Nonnulli verò ad solam cognitionem demonstratiuam restringunt. A qua difficultate, vt facilùs nos expediamus.

Obseruandum est primò, præter simplicem apprehensionem dari in nostro intellectu aliam operationem, qua vnum de alio enunciamus, & appellatur iudicium. Vtriusque meminit Arist. 1. *Periher. cap. 4. & 3. de Anima, cap. 6.* & D. Thom. *ibidem*, & alibi sæpè. Deindè inuenitur in intellectu nostro discursus, qui communiter tertia operatio appellatur: & est cognitio attingens vnum obiectum in virtute alterius priùs cogniti per aliam cognitionem. Quem procedendi modum nobis inesse experientia probat: sæpè namquè ex notitia causæ deuenimus, media inquisitione, in cognitionem effectus; vt cùm ex rationalitate risibilitatem deducimus: sæpè verò è contrariò ex cognitione effectus comparamus causæ notitiam, vt cum ex eclipsi Lunæ, terræ interpositionem agnoscimus. Porrò hic discursus quandoque est necessarius, seu demonstratiuus, nimirùm cùm conclusionem necessariam ex principiis necessariis colligimus: quandoque verò solùm est probabilis: vel apparens, scilicet cum conclusionem deducimus ex con-

contingenti principio, vel ab aliquo signo apparenti.

Secundò obseruandum est, iudicium non esse aggregatum aliquod multorum apprehensionum; sed simplicem quendam intellectus actum ab apprehensione essentialiter diuersum. Quod communiter tradunt Doctores. Non est autem ita exploratum, an discursus sit actus quidam simplex à iudicio realiter distinctus: an potiùs sit cognitio iudicatiua sub secunda operatione entitatiuè contenta. In quo, quidquid alij opinentur, nobis secunda pars longè probabilior videtur. Tùm quia ita docent Aristot. 6. *Ethicor. cap.* 3. & D. Thom. *quæst.* 14. *de veritate, art.* 1. *& in* 3. *dist.* 23. *qu.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 1. Vbi sub secunda operatione intellectus, nempè iudicio, collocat cognitionem opinatiuam, & scientificam; cùm eæ sint propriè actus discursus. Tùm etiam quia hoc ipso, quod intellectus iudicet de conclusione motus, & determinatus à iudicijs habitis de præmissis, intelligitur propriè discurrere; siquidem ex vna cognitione verè procedit ad aliam, in quo consistit propria, & formalis ratio discursus: ergo præter iudicia, quæ correspondent præmissis, & conclusioni, non requiritur distinctus actus, in quo consistat discursus; sed est ipsum iudicium, quo intellectus assentitur conclusioni, quatenùs conclusio est, & dependet à præmissis. Vndè idem entitatiuè actus dicitur iudicium, & discursus: iudicium, quatenùs attingit absolutè vnionem inter subiectum, & prædicatum; discursus verò quatenus assentitur eidem vnioni prædicati cum subiecto, propter vnionem cum medio habitam in præmissis. Et per hunc intrinsecum ordinem ad præcedentia iudicia circa præmissas distinguitur tertia intellectus operatio à prima, & secunda, & constituitur formaliter in esse discursiuæ. Videatur Ferrara 3. *de Anima quæst.* 11. Vbi hunc modum dicendi optimè elucidat.

4 His necessariò prælibatis dicendum est, quod licèt propositio illa: *Omnis doctrina, omnisquè disciplina intellectiua, fit ex praeexistenti cognitione*, possit verificari in qualibet operatione intellectus: nihilominùs iuxta mentem Aristot. intelligenda est de omni, & sola cognitione discursiua. Prima assertionis pars satis ex se constat: nam discursus fit ex antecedenti iudicio; iudicium verò præsupponit apprehensionem, hæc autem requirit cognitionem sensuum: ergo verificatur omnem cognitionem intellectus fieri ex præexistente cognitione.

Secundam partem docent B. Alb. Auerro. Philopon. & communiter interpretes: quibus subscribunt Sanchez *lib.* 7. *quæst.* 1. Masius hic *qu.* 1. *ad* 2. & alij. Probatur primò ex D. Thom. *in hoc lib. lect.* 1. vbi docet, per disciplinam, & doctrinam intelligi non omnem cognitionem, sed solùm quæ ex alia acquiritur, & est propriè discursiua: diciturquè doctrina in magistro, & disciplina in discipulo. Et addit: *Nequè accipitur hic doctrina, & disciplina secundùm quod se habet ad acquisitionem scientiæ tantùm; sed ad acquisitionem cognitionis cuiuscumque: Quod patet: quia manifestat hanc conclusionem etiam in disputatiuis, & rhetoricis disputationibus, per quas non adquiritur scientia.* Ergo dicta propositio intelligenda est de sola cognitione discursiua, siue illa demonstratiua sit, siue probabilis.

Id quod potest singillatim ostendi: nam in primis nomine præexistentis cognitionis intellexit Aristot. cognitionem intellectiuam: sic enim directè procedit contra Platonem, & adstruit possibilem esse demonstrationem: nam cognitio conclusionis causatur ex cognitione antecedentis; quam constat esse etiam intellectiuam: ergo nomine cognitionis quæ fit ex præexistenti, non intellexit apprehensionem; hæc enim solum supponit cognitionem sensuum.

Deindè: Aristot. hoc ponit discrimen inter propositiones per se notas, & propositiones demonstrabiles, quod istarum assensus fit ex præexistenti cognitione; non verò assensus illarum: ergo nomine cognitionis præexistentis intelligi debet ea cognitio, quæ necessariò supponitur ad assensum conclusionis, non verò ad assensum principiorum: sed hæc non est cognitio apprehensiua; nam ista etiam præsupponitur ad assensum principiorum: ergo debet esse iudicatiua: ergo nomine cognitionis, quæ fit ex præexistenti, non est intelligendum iudicium, sed solum discursus. Probatur hæc vltima consequentia: quia iudicium, vt iudicium est non prærequirit cognitionem iudicatiuam: sed solam apprehensionem terminorum.

Quod autem dicta propositio non sit restringenda ad demonstrationem, sed debeat intelligi de omni cognitione discursiua, etiam probabili, & apparenti constat, tùm ex ipso textu: nam Aristot. probat illam propositionem vniuersalem Inductione facta in demonstrationibus mathematicis, in syllogismis probabilibus Dialecticæ; & in exemplis, & enthymematibus Rhetoricæ. Tùm quia loco illius termini *intellectiua*, quo frequentiùs vtuntur latini codices, habetur in textu græco alia vox, quæ idem valet, ac *discursiua*. Propter quod emendatiores codices legunt: *Omnis doctrina, omnisque disciplina discursiua ex præexistenti fit cognitione*, vt obseruant Boët. Niphus, & Conimbricenses. Ergo iuxta mentem Aristot. propositio illa intelligenda est de omni, & sola cognitione discursiua. Nequè aduersus hanc communem expositionem est argumentum alicuius momenti, cui opus sit satisfacere.

5 Oppones tamen primò contra dictum Arist. scientia Angelorum est verè doctrina intellectiua, siquidem perfectè cognoscunt rerum proprietates per suas causas, vt hominem esse risibilem, quia est rationalis; & tamen hæc doctrina non fit ex præexistenti cognitione: nam Angeli vnico simplici intuitu attingunt causam, & effectus: ergo non omnis doctrina intellectiua fit ex præexistenti cognitione. § Secundò: discursus non est cognitio solius conclusionis, sed etiam præmissarum: ergo cognitio præmissarum non est præexistens respectu cognitionis discursiuæ: ac proindè impropriè dicitur, doctrinam intellectiuam, seu discursiuam fieri ex præexistenti cognitione, nempè ex iudicio circa præmissas. Antecedens suadetur: nam cognitio solius conclusionis tantùm est simplex quædam enuntiatio: ergo vt sortiatur rationem discursus, debet præmissas attingere.

Sed ad hæc facilè est occurrere: nam ad primam obiectionem dicimùs Aristot. loqui de cognitione propriè discursiua, de cuius conceptu est procedere ad cognitionem vnius obiecti ex cognitione habita circa aliud: hoc autem minimè competit Angelis qui non attingunt per diuersas cognitiones essentiam, & proprietates, sed eodem actu vtrumque cognoscunt: ac proindè sententia Aristot. nequit illis applicari. § Adde, quod licèt ex parte Angelorum non sit proprius, & formalis discursus; ita vt ex cognitione principij procedant ad cognitionem conclusionis: ex parte tamen ipsarum rerum habent quemdam discursum obiectiuum, quatenùs vna res cognoscitur mediante alia, vt proprietas v. g. per essentiam. Vndè eadem cognitio Angeli secundum quod terminatur ad conclusionem, seu effectum, quasi præsupponit seipsam secundum quod terminatur ad principium, seu causam: & sic aliqualiter fit ex præexistenti cognitione.

Ad secundam obiectionem dicimus, quod discursus non cadit supra præmissas attingendo eas, vt obiectum *quod*; sed solùm consistit formaliter in assensu conclu-

sionis,

sionis, vt procedit ab assensu præmissarum: & sic propriissimè dicitur fieri ex præexistenti cognitione. Nec tamen hinc sequitur, discursum esse simplicem enuntiationem: quia discursus non est vtcumquè iudicium circa conclusionem, sed est iudicium illatum, & dependens ab assensu præmissarum: quòd non importat simplex conceptus enuntiationis.

QVÆSTIO II.

Quid debeat præcognosci ad demonstrationem.

NOmine demonstrationis non intelligimus omnes actus, qui in demonstratione includuntur vtcumquè; sed duntaxàt actum vltimum, qui dicitur conclusio scientifica, & cognitio discursiua. Nam cùm Aristot. asserat huiusmodi cognitionem fieri ex alia præexistenti, necessariò ad demonstrationem aliqua præcognoscenda sunt: quæ inuestigamus in hac quæstione.

§. I.

Obseruantur aliqua ad decisionem difficultatis.

6 OBseruandum est primò, *præcognitionem* propriè dici cognitionem, quæ aliam præcedit; *præcognitum* verò appellari obiectum, quod cognoscitur ante aliud. Vndè cùm cognitio demonstratiua fiat ex præexistenti cognitione præmissarum, consequens est, quod aliquæ præcognitiones, & nonnulla præcognita ad eam requirantur. Et quidem præcognita satis constat esse tria, nimirùm *subiectum*, *passionem*, & *principium*. Nam cùm in conclusione cognoscamus, passionem conuenire subiecto propter vnionem habitam cum medio, & cognitam in præmissis; opus est ante conclusionem cognoscere ipsum subiectum, & passionem, & insuper præmissas, quæ efficiunt vnam integram causam conclusionis; atque ideò vnum principium, & vnum præcognitum appellantur. Vnde solùm difficultas est, quid de vnoquoque ex iis tribus præcognitis debeat cognosci ante conclusionem; & consequenter, quæ præcognitiones illam necessariò præcedant.

Et ideò obseruandum, & supponendum est secundò, quod de his præcognitis duo tantùm ante demonstrationem possunt cognosci; nimirum *an sint*, & *quid sint*. Ratio est: quia aliæ duæ quæstiones, videlicet *quia est*, & *propter quid est* cognoscuntur per ipsam demonstrationem; siquidem per ipsam scimus, quod passio conuenit subiecto, & propter quid illi conueniat: ac proindè duæ solùm quæstiones præcognoscentur ante conclusionem, nempè *an sit*, & *quid sit*: quas proindè Aristot. meritò appellat præcognitiones.

¶ Diuiditur autem vnaquæque in alias duas: nam quæstio *an est* diuiditur in *an est rei*, & *an est veritatis*. Illa inquirit, an sit actu, vel potentia existens aliquod obiectum simplex, vt homo. Hæc autem explorat, an sit vera aliqua propositio v. g. hominem esse risibilem. Similiter quæstio *quid sit* diuiditur in *quid rei*, & *quid nominis*. Prima explicat essentiam rei, secunda verò exponit, quid nomen significet. Vndè habemus duas præcognitiones in generali, & quatuor in particulari: & videndum restat, quæ harum quæstionum debeant ante demonstrationem cognosci de vnoquoque præcognitorum.

§. II.

Dirimitur difficultas.

7 DIcendum est primò, de *subiecto* debere præcognosci *an sit*, & *quid sit rei*. Assertio est communis inter Dialecticos, & facilè suadetur quoad vtramque partem: quia res impossibilis nequit habere passiones, quæ de illa demonstrentur: sed in conclusione ostenditur, quod passio conuenit subiecto: ergo præcognosci debet, quod subiectum existit actu, vel aptitudine; ac proindè præcognoscitur de illo quæstio *an est*. ¶ Deindè essentia subiecti nequit demonstrari à priori, sed ex ipsa proceditur ad passiones demonstrandas: ergo de subiecto opus est præcognoscere essentiam, seu quæstionem *quid sit*.

8 Dicendum est secundò sufficere, vt de *passione* præcognoscatur *quid est nominis*. Sic docent Aristot. & D. Thom. in præsenti, & probatur breuiter: nam de prædicta passione cognoscimus per ipsam demonstrationem *an sit*, & *quid sit rei*; ergo sufficit, & debet præcognosci de illa *quid sit nominis*. Probatur antecedens: nam propria ratio passionis consistit in eo, quod conueniat subiecto per se, & necessariò: sed hoc cognoscimus in conclusione demonstratiua: ergo non præcognoscitur de passione, *quid sit*. Rursùs nequit sciri de aliqua re, quod habeat veram essentiam, quin eo ipso cognoscatur eam esse possibilem: ergo etiam cognoscitur in conclusione *an est* passionis, ac proindè non debet præcognosci. Diximus tamen de illa præcognosci debere, *quid sit nominis*: quia si ignoremus quid significet nomen, non poterit in demonstratione attribui subiecto tale nomen. Quod licèt sit commune subiecto, & principio (de omnibus enim præcognosci debet *quid nominum*) tribuitur tamen specialiter passioni, quia nullam aliam habet præcognitionem.

9 Dicendum est tertiò de præmissis, seu *principio* præcognoscendum esse *an sit veritatis*. Assertio est indubitata: nam ante assensum conclusionis necessariò supponitur assensus præmissarum; cùm intellectus assentiatur conclusioni propter præmissas: ergo præmissæ præcognoscuntur, vt veræ: & consequenter de principio præcognoscitur *an sit veritatis*.

Dices: de præmissis aliquandò demonstratur, quod sint veræ, nam præmissæ huius demonstrationis: *Omne admiratiuum est risibile: omnis homo est admiratiuus; ergo est risibilis*, possunt demonstrari per rationalitatem dicendo: *Omne rationale est risibile: omne admiratiuum est rationale; ergo omne admiratiuum est risibile*; ergo veritas principiorum non debet præcognosci. ¶ Respondetur, duplex esse principium: aliud simpliciter primum, vt se habet essentia cuiuslibet rei: & hoc nequit demonstrari, sed habet semper rationem principii. Aliud ita est principium respectu vnius, quod tamen habet rationem posterioris, & effectus respectu alterius, vt contingit in secunda, vel tertia passione. Principia ergo primi generis semper debent præcognosci: quia nunquam demonstrari valent: alia verò præcognosci debent, quandò sumuntur, vt principia, cum provt sic non demonstrentur; licèt possint alias demonstrari. Vndè quia in assertione loquuti sumus de præmissis formaliter, vt præmissæ, & principia sunt, manet illius veritas inconcussa.

10 Vltimò dicendum est, Aristotel. rectè assignasse tria præcognita, & duas tantùm præcognitiones. Hæc conclusio ita sitiur communiter à Dialecticis, & liquidè colligitur ex hactenùs dictis: nam quod præcognita sint

tria, iam *suprà* statuimus *num. 6.* Quod autem de subiecto debeat præcognosci *an sit*, & *quid sit* liquet ex dictis *num. 7.* Aliæ autem quæstiones, quæ de passione scitari possunt, nempè *quia est*, & *propter quid est*, ostenduntur per ipsam demonstrationem, ac per consequens non præcognoscuntur ad illam: ergo rectè designantur ab Arist. tria præcognita, & duæ tantum præcognitiones. Quæ omnia videre licèt in hac demonstratione: *Omne rationale est risibile: omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis.* In qua ante conclusionem cognoscimus de *subiecto*, nempe homine, quod est rationale: ac proindè procognoscimus *quod sit*, & *quid sit*. Præterea de *passione*, videlicet risibilitate, prænoscimus *quid est nominis*; aliàs non possemus attribuere illam subiecto in conclusione: & non prænoscimus *quid sit rei*, & an sit; quia hoc per ipsam demonstrationem probatur. Tandem cùm non assentiamur conclusioni, vt veræ, nisi in virtute assensus præstiti præmissis, opus est præcognoscere de illis, quod sunt veræ. At nihil ampliùs requiritur, vt demonstremus risibilitatem per se, & necessariò conuenire homini, & esse passionem illius: ergo cognitionem demonstratiuam tantùm præcedunt tria præcognita, & duæ præcognitiones, modo nuper exposito.

11 Sed obijcies primò: ante demonstrationem debet cognosci bonitas illationis, quæ distinguitur à præcognitis huc usque recensitis: ergo non sunt tantum tria præcognita. ¶ Respondetur, bonitatem illationis pertinere ad formam demonstrationis, & consequenter ad libros Priorum: & ideo illius non meminit Aristot. in præsenti; quia dumtaxàt proponit præcognita posterioristica, siue ex parte materiæ.

Obijcies secundò: quæstio *an est* aliquandò demonstratur de subiecto, vt circa existentiam Logicæ *suprà* fecimus *disp. 1. num. 1.* ergo non semper dantur duæ præcognitiones. ¶ Respondetur, quod existentia potest probari de subiecto conclusionis, quandò habet rationem prædicati, & dicitur tertium adiacens: quia habet tertium locum in propositione, vt cùm dicimus: *Logica est existens*. Quando verò se tenet ex parte verbi, vt secundum adiacens, quia tertium locum obtinet aliqua passio subiecti ab eius existentia diuersa, vt in hac propositione: *Homo est risibilis*: tunc existentia non demonstratur per conclusionem, sed prænoscitur ad illam: qui enim dicit hominem esse risibilem, supponit hominem esse actu, vel aptitudine. Doctrina igitur à nobis hactenùs stabilita procedit de demonstratione, in qua non existentia, sed aliqua passio de subiecto concluditur: quare quod existentia subiecti possit aliquandò probari, illius veritati neutiquam aduersatur: & sic soluitur objectio.

QVÆSTIO III.

An assensus præmissarum sit causa assensus conclusionis in genere causæ efficientis?

12 VT quæstio hæc locum habeat, necessariò supponendum est actum, quo assentimur formaliter præmissis, distingui realiter ab actu, quo attingimus formaliter conclusionem: id quod in omni vero, & proprio discursu reperiri certum est. Si enim per eandem cognitionem, quæ terminatur formaliter ad præmissas, cognoscatur conclusio, quæ in illis virtualiter continetur; non posset assensus præmissarum influere realiter in assensum conclusionis: nam realis causalitas exposcit distinctionem realem, quæ tunc inter assensum, & assensum minimè reperiretur, vt ex se liquet.

Supponimus etiam, actum attingentem conclusionem dependere in aliquo genere causæ ab actu, quo præmissis assentimur: tum, quia ita docet Aristot. in præsenti dicens, cognitionem discursiuam fieri ex præexistenti cognitione præmissarum. Quoniam ly *ex* non designat terminum *à quo*, vt aliqui autumant: hic enim opponitur termino *ad quem*, & destruitur per acquisitionem illius, vt patet quandò ex frigido fit calidum: constat autem assensum præmissarum non opponi assensui conclusionis, neque illo adueniente, necessariò deperdi: ergo ly *ex* non significat terminum a quo: sed denotat causalitatem, vt explicant commentator, & alij interpretes. Tùm etiam quia ita expressè traditur à D.Thom. 1. *contra gentes, cap. 55. ratione 4. & 1. p. q. 14. art. 7.* vbi discursum propriè dictum appellat discursum secundùm causalitatem. Tùm præterea quia continentia virtualis est propria causa respectu effectus: sed assensus conclusionis continetur virtualiter in assensu præmissarum: ergo comparantur inter se per modum causæ, & effectus. Tùm deniquè, quia propria ratio discursus non consistit in eo, quod vnum cognoscatur post aliud; siquidem plures propositiones disparatæ possunt successiuè cognosci, absque eo quod efficiant verum discursum: ergo istius propria ratio consistit in eo, quod conclusionis cognitio ex præmissarum cognitione causetur.

Eadem certitudine supponendum est, actum circa præmissas non influere in assensum conclusionis in genere causæ materialis, aut formalis: nam vnus simplex actus nequit esse materia, vel forma alterius, vt ex se liquet. Qua etiam claritate constat, assensum præmissarum non esse causam finalem assensus adhibiti conclusioni: quia potiùs è contra res se habet: cùm assensus conclusionis sit terminus motus discursiui; terminus autem motus habet rationem finis. Vndè difficultas restringitur ad genus causæ efficientis: proceditque respectu intellectus benè dispositi, qui nimirum cognoscit vim illationis, & alia de causa non est impeditus.

§. vnicus.

Defenditur pars affirmatiua.

13 DIcendum est, assensum præmissarum concurrere effectiuè ad assensum conclusionis. Ita docet D. Thom. *hic lect. 3.* his verbis: *Principia se habent ad conclusiones in demonstratiuis, sicut causæ actiuæ in naturalibus ad suos actus: vndè in secundo Physicorum propositiones syllogismi ponuntur in genere causæ efficientis.* Et loco citato ex primo contra gentes, inquit: *In omni scientia discursiua oportet aliquid esse causatum: nam principia sunt quodammodò causa efficiens conclusionis. Vndè & demonstratio dicitur syllogismus faciens scire.* Angelico Magistro subscribunt communiter Doctores, vt testatur Arauxo 1. *Metaphys. quæst. 3. art. 4.*

Probatur ratione: nam id, quod constituit potentiam actiuam in actu primo ad efficiendum, influit effectiuè cum illa ad actum secundum, vt constat in speciebus intelligibilibus, quæ ideò concurrunt actiuè ad intellectionem, quia complent, & constituunt intellectum in actu proximo primo ad intelligendum, vt dicemus *in lib. de Anima*: sed actus quo assentimur præmissis, cōstituit intellectum in actu primo ad assentiendum conclusioni: ergo influit actiuè in huiusmodi assensum. Probatur minor. Tùm quia intellectus nudè consideratus, & priusquam assentiatur præmissis, non est sufficienter determinatus, neque constitutus in actu primo proximo ad assentiendum conclusioni; secùs autem

post-

postquam præmissis assensum adhibuit: qui enim, (cōpertis aliàs legibus, & natura illationis) assentitur ijs præmissis: *Omne rationale est risibile*, & *omnis homo est rationalis*; eo ipso trahitur ad judicandum *omnem hominem esse risibilem*. vt patet experientia. Tùm etiam, quia sicut in assensu conclusionis datur communis ratio intellectionis, quę correspondet intellectui, ita etiam inuenitur particularis ratio intellectionis discursiuę, quę refunditur in assensum pręmissarum: ergo sicut intellectus est secundùm se in actu primo ad communem rationem intellectionis; ita constituitur per assensum pręmissarum in actu primo proximo ad intellectionem, vt discursiuam.

Confirmatur primò: nam ita se habet attingentia principiorum ad assensum conclusionis, sicut intentio finis ad electionem mediorum, vt dicitur 7. *Eth. cap.* 8. quemadmodum enim ex intentione finis trahitur voluntas ad eligenda media; ita per assensum præmissarum determinatur intellectus ad assensum conclusionis: sed volitio finis est causa efficiens volitionis mediorum, vt docent communiter Theologi cum D. Thom. 1. 2. *q.* 9. *a.* 3. ergo etiam assensus præmissarum influet actiuè in assensum conclusionis.

Confirmatur secundò: quia intellectus assentitur conclusioni propter præmissas; & ideò magis illis assentitur: sed ly *propter* denotat aliquam dependentiam, vt ex se patet, & non potest eam importare in genere causæ finalis, formalis, aut materialis, vt liquet ex supradictis *num.* 12. ergo significat dependentiam, quam actus circa conclusionem habet à iudicio de præmissis in genere causæ efficientis.

14 Contrariam sententiam videtur tenere Durandus *in* 2. *dist.* 24. *quæst.* 1. *num.* 12. Et probatur primò: quia si assensus præmissarum esset causa efficiens actus, quo assentimur conclusioni, deberet esse causa æquiuoca; cùm distinguantur specie: sed non potest esse causa æquiuoca: ergo neque efficiens. Suadetur minor: nam causa æquiuoca est causa vniuersalis, & remota, vt patet in sole: at assensus præmissarum proximè concurrit ad assensum conclusionis, vt principium proprium illius: ergo non se habet, vt causa æquiuoca.

Respondetur negando minorem, quam probatio non euincit: quoniam non est de conceptu causæ æquiuocæ, quod sit vniuersalis, & remota: potest enim esse proxima, & particularis. Cuius exemplum, aliis relictis, sumitur ex iis, quę tradit Aristot. 1. *de generat. animalium cap.* 16. vbi docet, esse quædam animalia imperfecta, & ex putrefactione genita: quæ coëunt, & generant, vt causæ particulares vermiculos quosdam diuersæ speciei: de quibus consequenter asserendum est, esse causas æquiuocas particulares, & proximas illorum affectuum.

15 Arguitur secundò: nam causa efficiens non operatur, nisi dùm existit actu in rerum natura: sed quandò intellectus habet assensum conclusionis, iam non existit assensus præmissarum; aliàs intellectus simul haberet plures cognitiones, intelligeretque plura, vt plura: quod esse impossibile probat D. Thom. 1. *p. q.* 85. *art.* 4. ergo assensus præmissarum non est causa efficiens assensus conclusionis. Maximè cùm nequeat explicari qualiter fiat hic influxus.

Respondetur negando minorem: quoniam cùm primò adest assensus, conclusionis, adhuc perseuerat assensus præmissarum, vel formaliter in se ipso, vel virtualiter in aliqua determinatione in intellectu relicta: & ideò optimè potest ad prædictum assensum efficienter concurrere. Neque obstat probatio in contrarium adducta: quia minimè repugnat, intellectum simul affici pluribus cognitionibus inter se subordinatis (qualiter se habent assensus præstiti præmissis, & conclusioni) nam eo ipso, quod inter se subordinentur, non attingit intellectus plura, vt plura; sed plura, vt vnum: cùm ipsa subordinatio sit modus quidam vnitatis. ¶ Ad id, quod vltimò additur, dicendum est, assensum præmissarum influere in assensum conclusionis, vel immediatè per se ipsum, quandò scilicet adest; vel si iam transiit mediante aliqua virtute, & determinatione, quam ex se in intellectu reliquit: eo planè modo, quo intentio finis solet influere actiuè in electionem mediorum. Vnde sufficienter apparet qualiter fiat hic influxus.

QVÆSTIO IV.

An per assensum præmissarum necessitetur intellectus ad assentiendum conclusioni?

16 Pro tituli, & difficultatis intelligentia notandum est, quod necessitas est duplex, *nempè quoad specificationem*, & *quoad exercitium*. Prior contingit quando potentia ita determinatur circa aliquod obiectum, vt licèt possit absolutè non operari in ordine ad illud, nihilominùs ex suppositione, quòd illud attingat, debet elicere actum determinatæ speciei, & non alterius. Verbi gratiâ voluntas nostra in via ita se habet circa beatitudinem in communi, quod licèt possit non exercere vllum actum circa illam; tamen si vult illum exercere, debet esse amoris, & non odij: & sic necessitatur quoad specificationem. Posterior autem necessitas addit supra priorem: nam determinat potentiam, non solum ad peculiarem speciem actus; sed etiam ad illius exercitium, ità vt non remaneat facultas ad illius suspensionem. Quo pacto necessitatur voluntas ad amādum Deum clarè visum: quia non solùm nequit eum odisse; sed neque cessare ab amore illius, qui vndequaque diligibilis apparet. Cùm ergo intellectus per assensum præmissarum determinetur ad assentiendum conclusioni, vt vidimus *quæst. præced.* examinandum superest, quo gradu necessitatis trahatur ad eliciendum assensum conclusionis, præsupposito iudicio de præmissis.

§. vnicus.

Resoluitur quæstio duabus assertionibus.

17 Dicendum est primò, intellectum cognoscentem vim illationis per assensum præmissarum necessitari, quoad specificationem ad assentiendum conclusioni legitimè illatæ. Sic docent Arist. hic *cap.* 1. & Diu. Thom. *lect.* 2. quos sequuntur Sanchez *lib.* 7. *quæst.* 3. Masius *quæst.* 9. & 10. & communiter Doctores.

Probatur ratione: quia causa naturalis, positis omnibus requisitis, influit necessariò in effectum, & est determinata ad speciem illius: sed intellectus constitutus in actu per assensum præmissarum est causa naturalis, & completa assensus præstandi conclusioni: ergo necessitatur ad speciem illius: ¶ Confirmatur primò: nam qui cognoscit ex vero non posse sequi falsum, & aliqua principia esse vera; hoc ipso cognoscit, conclusionem ex illis rectè deductam non posse esse falsam; ergo licèt possit assensum illius suspendere, nequit tamen elicere dissensum. ¶ Confirmatur secundò: quia hoc ipso, quod intellectus assentiatur præmissis, est impotens ad dissentiendum conclusioni ex eis legitimè illatæ. ergo assensus præmissarum necessitat intellectum quoad specifica-

QVÆSTIO I.

An definitiones demonstrationis ab Aristot. traditæ sint rectæ.

DVas demonstrationis definitiones proponit Aristot. *in hoc cap.* primam sub hac forma: *Demonstratio est syllogismus epistemonicon, id est faciens scire*. Secundam his verbis: *Demonstratio est syllogismus procedens ex veris, primis, & immediatis, notioribus, prioribus, causisquè conclusionis*. De quibus inquirimus, an sint bonæ. In cuius difficultatis resolutione præ oculis habendum est, Aristot. in præsenti solùm definisse demonstrationem *propter quid*: cui, absque controuersia, conuenit generare scientiam, & procedere ex immediatis, prioribus, &c. vt magis constabit ex dicendis in hac *disp.*

§. I.

Defenditur prior definitio.

1 DIcendum est primò, primam demonstrationis definitionem esse rectam. Sic docet D. Thom. *hic lect.* 4. quem sequuntur vnanimiter Doctores. Probatur breuiter: nam definitio, quæ datur per propriam causam definiti, est bona; descriptiua quidem, cum causa est extrinseca; essentialis verò quandò est intrinseca, vt diximus in proœmio Institutionum: sed hæc definitio traditur per respectum ad causam propriam demonstrationis: ergo est legitima. Suadetur minor: quia demonstratio est instrumentum quoddam intellectuale, cuius propria causa finalis est scientia: sed hoc explicat prædicta definitio: *Demonstratio est syllogismus faciens scire*: ergo traditur per propriam causam definiti.

Sed obijcies primò: generare scientiam conuenit demonstrationi solùm ex parte materiæ; pro formali namquè est ens rationis; quod causare non potest qualitatem realem; qualis est scientia: ergò demonstrationis essentia, seu ratio formalis non rectè explicatur per generare scientiam.

Vt hanc obiectionem perspicuè diluamus, & simul explicemus artificium, vtriusque definitionis ab Aristot. traditæ, obseruandum est, syllogismum vt diximus *lib. 3. Institut. cap. 7.* esse artefactum rationis constans materia, & forma, sortitquè proindè ex parte vtriusque varias diuisiones. Nam ratione formæ diuiditur in tres figuras; & ratione materiæ in demonstrativum, topicum, & sophisticum. Prior diuisio est essentialis; secunda verò est diuisio accidentis in subiecta: quia eadem forma syllogismi posita in materia necessaria facit demonstrationem; in probabili facit syllogismum topicum, & in apparenti sophisticum. Vndè nomen demonstrationis significat formam syllogisticam applicatam determinatæ materiæ, nempè propositionibus necessariis.

Deindè obserua Aristot. in libris priorum latè egisse de forma demonstrationis: & ideò in his libris Poster. non definit eius formam, nequè aggregatum illud, quod ex materia, & forma consurgit: sed tantùm intendit explicare, quid conueniat demonstrationi ex parte materiæ, seu quid requiratur in propositionibus, vt accedente forma syllogismi, fiat vera demonstratio. Quod præstat vtraque definitione: nam prima id explicat per effectum proprium demonstrationis, conuenientem ei ex parte materiæ, scilicet generare scientiam; qui etiam est finis proprius demonstrationis: & ideò dicta definitio tradita est per causam finalem definiti.

Hinc patet ad obiectionem: dicimus enim Arist. in præsenti, non definisse demonstrationem ex parte formæ (quam aliundè notam supponebat) sed explicuisse illam ex parte materiæ: & ideo rectè adduxisse proprium effectum, seu finem, qui demonstrationi, ratione materiæ, competit.

3 Obijcies secundò: conclusio scita est pars demonstrationis; imò demonstratio consistit formaliter in conclusione, seu discursu; qui est ipsum scire, seu scientia actualis: sed nihil potest se ipsum facere, vel causare: ergo impropriè dicitur, quod demonstratio est syllogismus faciens scire.

Respondetur primò, *scire*, quod dicitur effectus demonstrationis, significare scientiam habitualem, quæ producitur efficienter per actum discursus, seu assensum conclusionis, qui est ipsum scire actuale. Quod satis constat ex definitione scientiæ, *quæ est habitus acquisitus per demonstrationem*, & distinguitur adæquatè ab illa. ¶ Respondetur secundò, demonstrationem frequenter sumi pro præmissis dispositis in forma argumentationis, & prout sunt instrumentum sciendi, vt benè obseruat Masius in *lib.* Priorum *sect.* 1. *quæst.* 3. Cùm ergo præmissæ, seu assensus earum attingant effectiuè conclusionem, in qua consistit ipsum scire, aut scientia actualis; meritò dixit Aristot. demonstrationem esse syllogismum, qui facit scire.

§. II.

Elucidatur posterior definitio.

4 DIcendum est secundò, posteriorem demonstrationis definitionem, videlicet, *Demonstratio est syllogismus procedens ex veris, primis, & immediatis notioribus, prioribus, causisquè conclusionis*, esse conuenientem. Hæc assertio est æquè communis, ac præcedens, & suadetur eodem fundamento: nam definitio, quę datur per propriam causam definiti, est recta: sed hęc definitio demonstrationis explicat eius essentiam per propriam causam illius, videlicet per propriam materiam; ergo est recta. Minor probatur, & explicatur: quia omnes illę particulę *ex veris, primis*, &c. declarant conditiones, quas debent habere propositiones, quę sunt materia propria demonstrationis: quibus nimirum applicata forma syllogismi demonstrationem constituit. Vndè ad perfectiorem definitionis intelligentiam, oportet singulas has particulas explicare: quod breuiter pręstabimus, ea tantum perstringendo, quę notatione digna videntur.

Dicitur, demonstrationem procedere *ex veris*: nam materia propria demonstrationis debent esse propositiones necessariò verę: aliter enim non poterunt generare scientiam; quę est habitus attingens infallibiliter. Quia falsum non potest esse causa veri, cum illud non pręcontineat; quamvis aliquandò ex falso sequatur per accidens verum. Videantur quę diximus *lib. 3. Institutionum c. 2.*

5 *Primis, & immediatis*. Obserua, quod propositio vera est duplex, quędam immediata, vel per se nota, quędam vero mediata, aut nota per aliud. Prima est, quę caret alia priori, per quam probetur; sed innotescit ex ipsis terminis, vt hęc: *Totum est maius sua parte*. Secunda autem est, cuius veritas non apparet ex terminis; sed ex alia propositione priori, per quam probatur, vt ista: *Homo est visibilis*. Quemadmodum enim sol est visibilis per se ipsum, alia verò corpora videntur

per lucem participatam à sole: sic inter intelligibilia; quędam sunt per se nota, vt propositiones immediatę; quędam autem illuminantur per aliud: cuiusmodi sunt propositiones mediatę. Rursus propositio per se nota multipliciter diuiditur, cuius varias species solent adducere interpretes: eas tamen consultò omittimus in pręsenti, quia illarum notitia ad pręsentem materiam non est adeò necessaria.

Ad denotandum igitur, quod pręmissę demonstrationis debent esse propositiones immediatę, adduntur illę particulę *primis*, & *immediatis*: quę in re non differunt, nam propositio immediata nequit non esse prima; aliàs iam haberet aliam propositionem priorem, per quam innotesceret: & sic non esset immediata, seu per se nota. Explicant tamen dictę particulę diuersa munera eiusdem propositionis: nam idem principium, quatenùs caret medio, dicitur immediatum; appellatur verò primum secundùm, quod dicit habitudinem causę ad subsequentes propositiones, quę per illud demonstrantur.

Dices: hic syllogismus, *omne admirativum est risibile; omnis homo est admirativus: ergo omnis homo est risibilis* est vera demonstratio propter quid; siquidem continet propriam causam conclusionis: & tamen vtraque pręmissa est mediata; cùm possit demonstrari à priori per primam hominis passionem, nempè discursivum: ergo non omnis demonstratio procedit ex primis, & immediatis, ac proindè adducta definitio non conuenit omni definito.

Respondetur, quod pręmissę mediatę non valent demonstrationem constituere, atque scientiam generare, nisi per resolutionem ad prima, siuè immediata principia, in quorum virtute agunt. Quarè omnis demonstratio propter quid constat formaliter, vel virtualiter ex pręmissis immediatis. Quod satis est ad verificandum illam particulam *immediatis*: quia non supponit determinatè prò pręmissis immediatis formaliter; sed prò his, vel prò immediatis virtualiter, vt sumitur ex D. Thom. *in praesenti lect*. 4. Vndè 1. *Topicorum cap*. 1. dicitur, quod *Demonstratio est ex primis, & veris, aut his, quæ per ea fidem sumpserunt*.

6 *Notioribus, prioribus, causisquè conclusionis*. Ex his particulis vltimam priùs explicat Aristot. quia ex eius declaratione duæ priores innotescunt: si enim præmissæ sunt causa conclusionis, erunt vtiquè priores, & notiores illa; siquidem causa prior, & notior est, quam effectus. Ergo ad huius particulæ intelligentiam notandum est, quod omnes præmissæ sunt causa conclusionis in cognoscendo, seu apparere: eò quod illam nobis manifestant. Quædam verò vltrà hoc continent veram causam illius in essendo, vt quando per essentiam subiecti probamus illius passiones: & tunc dicuntur eius causa in essendo, & cognoscendo. Cùm autem definitum huius definitionis sit sola demonstratio propter quid, quæ semper est à priori, vtiturquè vt causa cognitionis eo, quod est vera causa rei, meritò apposita est dicta particula *ex causis*, quæ denotat, demonstrationem hîc definitam constare ex præmissis, quæ sunt causæ conclusionis, non solùm in cognoscendo; sed etiam in essendo. Et quia præmissæ debent esse notiores conclusione, quam manifestant; importantque in actu exercito prioritatem respectu illius: ideò additur *ex notioribus*, & *prioribus*: quia id non satis exprimit nomen causæ; licèt illud re ipsa importet, & includat.

At opponés: in demonstrationibus metaphysicis entitas est medium, per quod passiones entis probamus: & similiter in demonstrationibus Theologicis per essentiam Dei probamus illius attributa: sed entitas respectu passionum entis, & Dei essentia respectu attributorum nequeunt habere rationem causæ in essendo: siquidem non distinguuntur realiter: ergo plures sunt demonstrationes propter quid, quarum principium seu medium non est causa conclusionis in essendo.

Respondetur, causam in essendo esse duplicem: aliam formaliter, & rigorosè talem; aliam verò virtualiter, & impropriè, quæ frequentiùs solet appellari ratio à priori. Illa importat distinctionem realem ab effectu; ad istam verò sufficit ita se habere ad id, respectu cuius dicitur ratio à priori, quod ita nostro modo intelligendi illud radicet, vt si distinguerentur realiter, esset vera causa illius. Quo pacto immaterialitas animæ ad illius immortalitatem se habet; & Dei immutabilitas ad illius æternitatem comparatur. Vndè ad obiectionem respondemus, ad demonstrationem propter quid non esse necessarium, quod præmissæ importent causam conclusionis in essendo formaliter talem; sed sufficit esse causas virtualiter: quod reperitur in demonstrationibus metaphysicis, & theologicis.

QVÆSTIO II.

De alijs conditionibus præmissarum?

7 IN conditionibus pręmissarum, quas *quæst. praeced.* explicuimus alię etiam virtualiter continentur: eas tamen Aristot. in adductis definitionibus explicitè non proposuit: quia maiori indigent discussione. Postea vero *cap*. 4. de illis tractare cępit, statuitque aliatria esse requisita ad demonstrationem videlicet, quod pręmissę sint *de omni, de per se*, & *de prædicato vniuersali*. Et *cap*. 5. sequenti addit alia duo, nimirum quod demonstratio non procedat ex communibus; neque ex extraneis; sed *ex proprijs*. Quę omnia discussione indigent, cui in pręsenti vacare curabimus: examinantes, an omnes hę, & singulę conditiones conuenienter assignentur.

§. I.

An præmissæ demonstrationis debeant esse de omni, & ac per se, & de prædicato vniuersali.

NOn aliter possumus difficultatem hanc expedire, nisi præmittendo aliqua, quibus istos terminos, explicemus. Ergo obserua primò, quod *dici de omni* est duplex, prioristicum videlicet, & posterioristicum. Vt aliqua propositio sit de omni prioristico, sufficit eam esse vniuersalem; etiam si prædicatum non conueniat subiecto pro omni differentia temporis: cuiusmodi sunt hę propositiones, *omnis homo vigilat, omnis homo est albus*. Quoniam ad *dici de omni* prioristicum, nihil aliud desideratur, nisi quod propositio afficiatur signo vniuersali, & quod conclusio illata probari queat per *dici de omni*, quod est vnum ex principijs, quibus innititur ars syllogistica. ¶ Propositio autem de omni posterioristico est illa, in qua prædicatum conuenit subiecto, & omni contento sub illo; & pro omni differentia temporis; vt ista: *Omnis homo est risibilis*. Imò etiam propositio singularis v. g. *Petrus est risibilis*, licèt non sit de omni prioristico; potest esse de omni posterioristico, cùm prædicatum conueniat subiecto prò omni temporis differentia.

8 Obserua secundò, quod propositio *de per se* est illa, in qua prędicatum non per accidens; sed necessariò conuenit

uenit subiecto. Prædicatum autem conuenit necessariò subiecto, cùm sit de eius essentia, vel propria passio illius. Vndè propositio, seu modus dicendi per se est duplex: alius, in quo essentia, vel pars illius prædicatur de subiecto: alius, in quo prædicatur propria passio. Addit Aristotel. tertium, & quartum modum dicendi per se: tertium, cùm substantia dicitur ens per se; quartum verò, quandò subiectum est causa per se prædicati, vt in hac propositione: *Medicus medetur*. Cæterùm neuter ex ijs duobus posterioribus modis dicendi per se spectat ad præsens institutum: nam tertius non est modus dicendi per se; sed essendi per se: vltimus autem importat modum causandi per se; non verò prædicandi. Illa enim propositio, *Medicus medetur* accidentalis est, & quinti prædicabilis: quia licèt medicus sit causa per se medendi; actualis tamen medicatio per accidens, & contingenter ei conuenit. Quare de duobus tantùm prioribus modis dicendi per se habenda est ratio in præsenti.

9 Obserua tertiò, propositionem de *prædicato vniuersali* illam dici, cuius prædicatum conuertitur cum subiecto, conuenitquè illi secundum quod tale. Quoniam vniuersale non sumitur hîc, secundum quod est vnum in multis, qualiter illud Porphyrius definiuit; sed accipitur secundum quandam adæquationem prædicati ad subiectum: quandò nimirùm prædicatum non inuenitur extra subiectum, neque subiectum extra prædicatum; sed adinuicem conuertuntur. Vndè propositio de prædicato vniuersali eo ipso est etiam de omni, & per se: quia prædicatum, quod conuenit subiecto secundùm quod ipsum, necessariò, & per se conuenit illi: si autem illi conuenit per se, conuenire etiam debet omnibus contentis sub eo; cum ibi eadem ratio inueniatur. Quare hæc tria, prædicatum *de omni*, *per se*, & *vniuersale* comparantur inter se, sicut superiùs, & inferiùs: nam prædicatum *de omni* latiùs patet, quam prædicatum de *per se*: quia omne de *per se* est etiam *de omni*, & non è contra, vt patet in albo, quod conuenit omni niui, sed non per se. Similiter prædicatum *per se* latiùs patet, quam prædicatum vniuersale; siquidem omne prædicatum vniuersale, est etiam *per se*, non tamen è contra, vt patet in *sensibili*, quod conuenit *per se* homini; cum illi conueniat essentialiter, non tamen conuenit ei vniuersaliter, & secundùm quod ipsum: siquidem non competit ei, quia homo, sed quia animal. Quæ maximè obseruare oportet ad vitandos defectus circa prædicatum vniuersale, qui inter disputandum solent obrepere. Propter quod statuit Arist. hanc regulam; *Quandò posito subiecto ponitur prædicatum, & ablato aufertur; tunc prædicatum conuenit subiecto vniuersaliter, aut secundùm quod ipsum*, vt exponit D. Thom. *hîc lectio 12*.

10 Vltimò obserua, demonstrationem *propter quid* esse duplicem, videlicet perfectissimam, & minùs perfectam. Illa est, quæ probat propriam passionem de proprio, & adæquato subiecto illius, ostendens propter quid illi conueniat, vt risibilitatem de homine: hæc verò dicitur, quæ probat passionem de aliquo inferiori, aut indiuiduo subiecti adæquati, vt risibilitatem de Petro. Nam propria passio per se primò conuenit proprio, & adæquato subiecto, & ratione illius conuenit inferioribus eius: ac proindè demonstratio, in qua passio concluditur de proprio, & adæquato subiecto longè perfectior est quacumque alia. Vndè Aristot. *in hoc libro*, *cap.* 10. multis rationibus probat, demonstrationem vniuersalem potiorem esse particulari: appellat autem vniuersalem illam in qua passio probatur de proprio, & adæquato subiecto.

11 His suppositis dicendum est primò, præmissas demonstrationis *propter quid* perfectissimæ, debere esse *de omni*, & *per se*, & *de prædicato vniuersali*. Hæc assertio est expressa Aristotel. *hic cap.* 4. admittiturquè ab omnibus Dialecticis, & suadetur breuiter ex proximè obseruatis: quia perfectissima omnium demonstratio est illa, in qua passio per propriam, & immediatam causam concluditur de suo subiecto adæquato, vt nuper vidimus: sed in hac demonstratione medium, & extremitates debent esse termini conuertibiles: ergo vtraque illius præmissa debet esse de prædicato conuertibili, seu *vniuersali*: ergo etiam debet esse *de omni*, & *per se*. Hæc vltima consequentia liquet: nam omnis propositio de prædicato vniuersali est etiam de omni, & per se, vt obseruauimus *num.* 9. Minor autem probatur: quoniam propria, & immediata causa passionis conuertitur cum illa; aliàs non esset immediata, & propria, sed remota, & communis, at passio etiam conuertitur cum suo subiecto adæquato; siquidem eo posito ponitur, & ablato aufertur, vt liquet: ergo in demonstratione *propter quid* perfectissima medium, scilicet causa, & extremitates, nempè subiectum, & passio sunt termini conuertibiles. Quod cernere licet in hac demonstratione: *Omne admiratiuum est risibile: omnis homo est admiratiuus: ergo omnis homo est risibilis:* vbi omnes termini conuertuntur, & consequenter omnes propositiones sunt de prædicato vniuersali.

Diximus in assertione *præmissas demonstrationis propter quid perfectissimæ* &c. quoniam ad demonstrationem minùs perfectam non requiritur, quod vtraque præmissa sit de prædicato vniuersali; sed sufficit, & requiritur, quod altera illarum id habeat. Primum liquet: nam hæc est vera demonstratio propter quid, licèt minùs perfecta: *Omne animal est sensibile: omnis homo est animal: ergo omnis homo est sensibilis*: & idem dicendum est de omni syllogismo, in quo passio probatur per veram causam de subiecto inadæquato: & tamen solum major præmissa est de prædicato conuertibili, seu vniuersali: ergo ad demonstrationem propter quid minùs perfectam non requiritur vtramque præmissam esse de prædicato vniuersali. ¶ Secundum etiam constat: nam in demonstratione *propter quid* medium est propria causa passionis demonstratæ: at propria causa conuertitur necessariò cum suo effectu: ergo illa præmissa, in qua medium vnitur cum passione, nequit non esse de prædicato conuertibili, vel vniuersali.

§. II.

An demonstratio debeat procedere ex proprijs.

12 PRo explicatione nota, quod medium syllogismi potest esse triplex, nimirùm extraneum, commune, & proprium. Tunc est *extraneum*, quandò non habet necessariam connexionem cum minori extremitate, videlicet cum subiecto; sed solum contingentem: vt contingit quotiès per entia rationis aliquid concludimus de ente reali. *Commune* verò est quandò non est causa immediata, & propria passionis; sed tantùm remota, & communis. Hoc autem contingit dupliciter: nam causa remota alicuius effectus aliquandò est conuertibilis cum illo; aliquandò verò est inconuertibilis: quia latiùs patet, quam ipse. Priori modo se habet essentia ad secundam passionem, v. g. rationale ad risibile: quoniam non influit immediatè in illam; sed remotè, & mediante prima passione v. g. discursiuo. Posteriori modo comparatur essentia animalis ad risibilitatem, vel respirationem, influit quippè in hos effectus: sed non

non dicitur ad conuertentiam cum illis; plura namquè sunt animalia, quæ non rident, nequè respirant. Cùm ergo proprium aliquandò accipiatur, provt opponitur contra extraneum, & aliquandò, vt distinguitur contra commune, videndum est an demonstratio debeat procedere ex propriis vtroque modò.

13 Dicendum est secundò, quod medium demonstrationis *propter quid* non potest esse extraneum subiecto, aut passioni, & ita debet esse proprium in sensu, quo proprium opponitur contra extraneum. Assertionem hanc statuit Aristot, *cap.* 7. quem sequuntur D. Thom. *ibidem lect.* 15. & communiter Doctores. Ratio est perspicua: nam medium extraneum illud dicitur, quod non connectitur necessariò cum extremitatibus; sed contingenter se habet ad illas: sed demonstratio constare debet ex præmissis necessariis; aliàs non posset generare scientiam; ergo impossibile est, quod illius medium sit extraneum, siue quod non procedat ex propriis. Quomodò autem cum hac doctrina cohæreat subalternatio scientiarum, vbi subalternata procedit ex principijs subalternantis applicatis materiæ extraneæ; non potest nunc conuenienter explicari: sed id relinquimus suo loco examinandum.

14 Dicendum est tertiò, quod medium demonstrationis propter quid non potest esse commune posteriori acceptione supra explicata, id est, nequit esse inconuertibile cum effectu, siue superiùs ad illum. Ita Aristot. *cap. citato*, & D. Thom. *ibidem lect.* 17. quibus subscribunt vnanimiter Dialectici. Fundamentum est: quia cum medium syllogismi sit commune, & superiùs ad effectum, neutra præmissarum potest esse de prædicato vniuersali, seu conuertibili; nam eo ipso quod medium sit commune nequit conuerti cum passione, aut subiecto proprio illius, vt ex se liquet: sed ad veram demonstrationem *propter quid* requiritur quod aliqua præmissarum sit de prædicato vniuersali, siue conuertibili vt diximus *num.* 11. ergo medium demonstrationis non potest esse commune, seu superiùs ad effectum.

Hinc intulit Aristoteles, syllogismum Anacharsidis probantis in Scythia non esse tibicines; hoc pacto: *Vbi sunt tibicines, sunt vites: in Scythia non sunt vites: ergo non sunt tibicines* non esse veram demonstrationem propter quid: non ob aliam causam, nisi quia procedit per medium commune, & inconuertibile cum effectu; qualis est vitis respectu rectę modulationis. Et idem dicit de syllogismo, in quo animal assumitur, vt medium ad concludendam respirationem: quia aliqua sunt animalia, quæ non respirant.

15 Vltimò asserendum est, non repugnare veræ demonstrationi *propter quid*, quod illius medium sit commune priori modo ex supradictis *num.* 12. Hæc conclusio est communis inter Dialecticos: eamquè explicat Caietanus *lib.* 1. *cap.* 13. *quæst.* 5. Probatur ex hucusque traditis: nam syllogismus, in quo per essentiam hominis v. g. probamus secundam, aut tertiam illius proprietatem, vt puta risibilitatem, est vera demonstratio *propter quid*: sed essentia respectu dictæ passionis est causa communis; cùm sit causa remota: ergo non repugnat veræ demonstrationi procedere ex causa communi, seu remota; dum tamen sit conuertibilis, vti est essentia respectu cuiuscumque passionis, siue primæ, siue secundæ. Maior constat, tum ex communi consensu Dialecticorum. Tùm quia licèt secunda passio oriatur mediante prima, hoc non tollit, quo minus fluat ab essentia, sicut à propria causa, cui per se conuenit, & cum qua conuertitur. ¶ Obserua tamen, prædictam demonstrationem non esse perfectissimam sui generis: quia licet medium sit propria causa passionis; nihilominùs non importat integrum propter quid illius; hoc enim complectitur essentiam, & primam passionem respectu secundæ.

§. III.

Explicatur duplex axioma.

16 PRinsquam progrediamur ad alia, conueniens duximus hic exponere duo axiomata tradita ab Aristot. *in hoc libro*: quia eorum vsus non rarò inter disputandum occurrit. Primum habetur *cap.* 2. vbi concludit Aristot. intellectum firmiùs, perfectiùs, & magis assentiri præmissis, quam conclusioni: nam si assentitur conclusioni propter præmissas: ergo magis assentitur ipsis præmissis: quia *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. Cuius dicti plures limitationes, & glossas adducit D. Thom. diuersis in locis, ex quibus omnibus Caiet. hìc *cap.* 2. §. *circa propositionem illam*, hanc breuem, & verissimam deprompsit regulam: quod scilicet tunc teneat axioma illud, quando nomen totius effectus potest reflecti supra veram causam. Verbi gratia quandò dicimus, *Luna est lucida propter solem*, potest fieri reflexio sic: *Luna est lucida, quia sol est lucidus*: & ideò benè sequitur, *ergo sol est magis lucidus*. In quo sensu vniuersaliter verificatur hoc dictum. Nonnullas tamen aduersus illud proponemus instantias, vt ex earum enodatione veritas prędictæ regulæ euidentiùs appareat.

17 Obijcies ergo primò: Filius æternus spirat Spiritum Sanctum propter patrem, a quo accepit vim spirandi: & tamen pater non magis spirat: ergo. ¶ Respondetur, quod licèt Filius ęternus habeat vim spiratiuam à patre; nihilominus non comparatur ad illum in hac ratione, nequè in aliis sicut effectus ad causam, cum eadem realiter vis spirandi sit in vtroque. Vndè ibi non habet locum dictum axioma: quia tunc solum tenet, quando nomen effectus reflectitur supra causam, vt statuit Caietanus. Videatur D. Thom. *in* 1. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 2.

Obijcies secundò: terra est calida propter solem calefacientem: & tamen sol non est magis calidus: ergo. ¶ Respondetur quod non potest applicari *magis tale*, nisi verificetur *absolutè tale*; siquidem omne comparatiuum supponit positiuum: & ideò dictum Aristotel. solùm tenet, quando causa, & effectus habent idem nomen: quod circumloquutus est Caietanus per ly *nomen effectus* &c. Vndè cum sol non sit formaliter calidus; nequit denominari magis calidus, quam terra: sed solum sequitur, quod sit in eo quędam virtus altior calore. Ita etiam respondet D. Thom. *in præsenti*, *lect.* 6.

Obijcies tertiò: res cognoscuntur ab anima propter species intelligibiles: & tamen non magis cognoscuntur species, quam obiecta: ergo. ¶ Respondetur ex dictis, quod species sub munere specierum, non sunt in ordine obiectorum, neque cognoscuntur vt *quod*; & sic nequit de illis verificari, quod magis cognoscuntur. Oppositum contingit in pręmissis, & conclusione; nam hęc omnia pertinent ad genus obiecti, & cognoscuntur; & ideò bene sequitur; intellectus assentitur conclusioni propter pręmissas: ergo magis assentitur pręmissis: quia verificatur absolutum, & potest fieri reflexio sic: *intellectus assentitur conclusioni, quia assentitur præmissis*. Ex ijs patet solutio ad alias instantias, quas possemus adducere: & idcirco illas omittimus.

18 Secundum axioma habetur *cap.* 10. *huius lib.* & est huiusmodi: *Si affirmatio est causa affirmationis; negatio est causa negationis, & è contra*. Quod vt optimè obseruat Caietanus *cap.* 13. §. *circa illam regulam*, solum

sùm verificatur de causa propria, & conuertibili. Vndè quia rationale est causa propria risibilis, benè valet, quod si hæc est legitima consequentia *est rationale; ergo est risibile*; hęc etiam sit recta *non est rationale; ergo non est risibile*. Quod non sic contingit in causis communibus, & in conuertibilibus. Vndè quia animal, & respiratio non conuertuntur, cùm plura sint animalia, quæ carent respiratione: idcircò licèt negatio animalis inferat negationem respirationis; affirmatio tamen animalis non ponit affirmationem respirationis. Sicut è contra, quamvis affirmatio hominis sit causa affirmationis animalis; non tamen qui negat hominem, negat animal. Quapropter dictum axioma restringendum est ad causas proprias, & conuertibiles: neque extendi valet ad inconuertibiles, & communes.

QVÆSTIO III.

An diuisio demonstrationis in quia, & propter quid sit adæquata?

EXplicata demonstrationis essentia rectus ordo postulat, vt eius diuisiones inuestigemus. Plures adducit Aristot. in hoc libro, quas oportet referre, vt faciliùs procedamus in difficultatis resolutione.

§. I.

Diuiditur demonstratio multipliciter.

19 DIuidit imprimis Aristotel. *cap.* 20. demonstrationem in vniuersalem, & particularem. Illa dicitur, cuius vtraque præmissa est de prædicato conuertibili cum subiecto; ista verò est, quæ id non habet: de quibus diximus *suprà numer.* 11. Deindè *cap.* 21. diuidit demonstrationem in affirmatiuam, & negatiuam. Affirmatiua est, in cuius conclusione prædicatum tribuitur subiecto: negatiua autem est, in qua ab illo remouetur. Ex quibus hæc posterior est priori ignobilior: quia affirmatio est causa negationis, illamque natura, & cognitione præcedit. Tandem *capite* 22. demonstrationem diuidit in ostensiuam, & indirectam: quarum sufficientem notitiam dedimus *lib.* 3. *Institutionum cap.* 6. & ideò eam non inculcamus in præsenti.

Diuiditur prætereà demonstratio in demonstrationem à priori, & à posteriori. Prior est, quæ procedit per medium, quod est priùs conclusione, nedum in cognoscendo; sed etiam in essendo. Vndè cùm omnis causa tàm propria, quàm communis, tàm proxima, quàm remota sit prior suo effectu: idcircò omnis demonstratio, quæ procedit per aliquam ex ijs causis, est verè demonstratio à priori. Posterior appellatur ea, cuius medium est priùs conclusione solùm in cognoscendo, non verò in essendo: & huiusmodi sunt omnes demonstrationes, quæ procedunt per effectum ad causam, vel à signo ad rem significatam.

20 Sed omnes has diuisiones vsu, & notitia apud Doctores præcellit ea, qua diuiditur demonstratio in *quia*, & *propter quid*. Demonstratio *propter quid* illa dicitur, quæ non solum manifestat, passionem conuenire subiecto; sed etiam ostendit propter quid illi conueniat. Quod tunc fit, quandò medium importat propriam causam passionis, vt in hac demonstratione: *Omne discursiuum est admiratiuum: omnis homo est discursiuus: ergo omnis homo est admiratiuus*. Demonstratio verò *quia* illa appellatur, quæ solùm probat passionem conuenire subiecto: non tamen ostendit propriam causam illius proprietatis: quia non aperit; sed potiùs reticet propter quid illi conueniat, vt patet in hac demonstratione: *Stellæ non scintillantes sunt propè nos: planetæ sunt stellæ non scintillantes: ergo sunt propè nos*. In qua solùm manifestatur planetas esse propè nos, sed non designatur propria causa huius prædicati. Vndè licèt hæc demonstratio dicatur *quia*, ly *quia* non sumitur causaliter: sed in vi puræ connexionis, & concomitantiæ: ita vt demonstratio *quia* sit idem, ac demonstratio ostendens, quod hoc sit hoc, vt bene obseruat Soto in præsenti *cap.* 10.

Ex quibus infertur primò, omnem demonstrationem à posteriori esse demonstrationem *quia*: nam cùm solùm procedat ab effectu, vel signo, nequit in ea designari proprium propter quid conclusionis. § Infertur secundò, plures demonstrationes à priori, eas nimirùm, quæ procedunt per causam remotam conclusionis, & inconuertibilem cum ea, esse demonstrationes *quia*; cùm in eis solùm ostendatur prædicatum conuenire subiecto; non verò causa propter quam connectitur cum illo. Qua ratione demonstrationem Anacharsidis, & similes *supra num.* 14. reiecimus ab ordine demonstrationis propter quid.

21 Vndè infertur tertiò contra Cabero *hic disput.* 2. *dub.* 4. & alios Modernos, diuisionem demonstrationis in *quia*, & *propter quid* non coincidere cum diuisione illius in demonstrationem à *priori*, & à *posteriori*; sed ab ea longè differre. In quo prædicti Iuniores diuisiones has confundentes apertè decipiuntur: tùm quia, vt liquet ex dictis, non omnis demonstratio à *priori* est *propter quid*; sed plures pertinent ad demonstrationem *quia*, eæ videlicet, quæ procedunt per causam remotam, & inconuertibilem cum conclusione. Tùm etiam, quia omnes demonstrationes, in quibus ex conclusionibus scientiæ subalternantis procedit subalternata ad suas conclusiones sunt tantùm demonstrationes *quia*, vt expressè docent Aristot. hic *cap.* 10. & D. Thom. *ibidem lect.* 24. & tamen plures earum sunt à priori; vt patet in Musica, quæ frequentius procedit per causam; ergo sæpè contingit demonstrationem, *quia* esse à priori. His suppositis, inquirimus, an diuisio demonstrationis in *quia*, & *propter quid* sit adæquata.

§. II.

Resolutio difficultatis.

22 DIcendum est, diuisionem demonstrationis in *quia*, & *propter quid* esse adæquatam. Hæc conclusio est Aristot. *cap.* 10. & D. Thom. *ibidem lect.* 23. quos sequuntur communiter Dialectici. Videantur Sanchez *lib.* 7. *quæst.* .... N. Didacus à Iesu *disput.* 17. *quæst.* 1. Probatur breuiter: nam omnis demonstratio, vel ostendit tantùm passionem conuenire subiecto, vel vlteriùs etiam manifestat propter quid illi conueniat; inter hæc enim non datur medium: si primum, est demonstratio *quia*; si verò secundum; est demonstratio *propter quid*, vt constat ex modo præmissis: ergo demonstratio adęquatè diuiditur in demonstrationem *quia*, & *propter quid*. Quæ ratio est adeò efficax, & perspicua, vt superfluum sit alias confirmationes in fauorem nostræ assertionis adijcere.

23 Nihilominus oppositam sententiam defendunt Auerroës hic *comment.* 95. Raymundus Lullius *in arte magna, part.* 7. & alij. Pro qua arguitur primò: quia demonstratio signi, in qua scilicet, per aliquod signum probamus passionem conuenire subiecto, nec est *quia*, nec

nec *propter quid*, cùm non procedat per causam, aut per effectum: & tamen est vera demonstratio: ergo hæc non diuiditur adæquatè in *quia*, & *propter quid*. ¶ Confirmatur primò: quia quandò ab vna ratione formali procedimus ad probationem alteriùs; quæ non comparantur inter se per modum causę, & effectus; sed purè concomitantur, & deriuantur æqualiter ab eadem causa, vt quandò sic concludimus: *Qui habet pulsum inaqualem afficitur calore immoderato: sed qui laborat febre putrida habet pulsum inaqualem; ergo afficitur calore immoderato*: tunc non procedimus à causa ad effectum, neque ab effectu ad causam: ergo præter demonstrationem *quia*, & *propter quid* assignanda est alia. ¶ Confirmatur secundò: nam hęc est vera demonstratio: *omne animal est substantia; omnis homo est animal; ergo omnis homo est substantia*; & tamen neque est *quia*, neque *propter quid*: nam animal non est effectus, vel causa substantiæ: ergo.

Respondetur; quod si semel omnes syllogismi, qui in argumento, & confirmationibus adducuntur sunt veræ demonstrationes) quod aliqui negant, vt videre est apud Masium hic *sect. 1. quæst. 6.*) erunt demonstrationes *quia*: nam in eis ita ostenditur prædicatum conuenire subiecto, vt simul taceatur proprium propter quid illius. Demonstratio enim *quia* complectitur omnes illas, quæ solùm probant vnum de alio; non afferendo propriam, & adæquatam causam prædicati: siue procedant à priori, siue à posteriori, siue à signo, siue à concomitantibus, vel alio quocumque modo: hoc namquè de materiali se habet ad demonstrationem *quia*. Et omnes adductæ instantiæ laborant in æquiuoco: autumant enim aduersarii demonstrationem *quia*, & demonstrationem à *posteriori* esse idem: quod tamen est falsum, vt supra vidimus.

24 Arguitur secundò: quoniam demonstrationes negatiuæ sunt veræ demonstrationes: & tamen non procedunt per causam, aut effectum, negatio enim cùm nihil sit, nequit verè causæ, vel effectus conditionem sortiri: ergo non omnis demonstratio est *quia*, vel *propter quid*.

Huic argumento satis constabat ex proximè dictis: nam omissis maiori, & minori neganda erat consequentia. Addimus tamen, negationem habere suo modo causam, & effectum, vt *supra* vidimus. Vndè sicut ex demonstrationibus affirmatiuis illæ, quæ afferunt propriam causam passionis, sunt *propter quid*, aliæ verò omnes *quia*; sic ex negatiuis illæ, quæ manifestant propriam causam, propter quam passio remouetur à subiecto, spectant ad demonstrationem *propter quid*; cæteræ verò sunt demonstrationes *quia*; siue fuerint directæ, & ostensiuæ, siue indirectæ, & deducentes ad impossibile.

25 Arguitur tertiò: quia syllogismus, in quo colligitur propositio particularis ex aliqua vniuersali necessaria, est vera demonstratio distincta ab ea, in qua colligitur talis propositio vniuersalis: & tamen non habet distinctum *propter quid*, aut distinctum *quia*: ergo constituit aliud speciale genus demonstrationis.

Huic argumento respondet Vazquez *1. p. disp. 135. num. 6.* negando maiorem: quia propositio vniuersalis continet omnes particulares, & coalescit ex illis: & ideò syllogismus, in quo ex illa vniuersali deducitur aliqua particularis, non est noua demonstratio; sed quædam duntaxat maior explicatio, & applicatio præcedentis demonstrationis, in qua vniuersalis propositio conclusa fuit. ¶ Respondetur secundò negando minorem: quia eodem modo, quo demonstratio, in qua colligitur propositio vniuersalis, distinguitur ab ea, in qua ex tali vniuersali infertur propositio particularis, distinguuntur proportionabiliter *propter quid*, & *quia* vtriusque. Nam quod in prima demonstratione erat maior, aut minor extremitas, assumitur, vt medium in secunda: vt videre est in sequenti exemplo: *Omne discursiuum est risibile: omnis homo est discursiuus; ergo omnis homo est risibilis*. Si enim ex hac conclusione vniuersali velis particularem aliquam concludere, debes dicere: *Omnis homo est risibilis: Petrus est homo: ergo est risibilis*. Cuius syllogismi medium est *propter quid* distinctum à medio præcedentis, vt ex se liquet.

26 In calce huius quæstionis obseruandum est cum Aristot. *cap. 10.* ex demonstratione *quia*, in qua per effectum adæquatum causam demonstramus, fieri demonstrationem *propter quid*, si inuertendo terminos talem effectum probemus per suam causam: vbi datur quidam circulus, dùm effectum per causam, & causam per effectum demonstramus. Circa quam Aristot. doctrinam discutiendum erat: an, & quomodò liceat vti demonstratione circulari.

Ad quod breuiter respondetur, quod si demonstrationes fiant difformiter, si vna sit à priori, & altera à posteriori: tunc vtraque demonstratio est secundùm se conueniens. Idem asserendum est, quandò in diuerso genere causæ fit circulus inter duo, quæ sunt sibi inuicem causa, vt materia, & forma. Tunc enim illæ demonstrationes sunt simpliciter difformes, siquidem fiunt in diuerso genere causæ. Sed quia demonstratio est cognitio discursiua, cuius proprium est procedere à notioribus ad minùs nota; idcircò oportet non vti demonstratione circulari in eadem disputatione: nisi fortè admisceatur aliquis discursus, per quem augeatur cognitio conclusionis, à qua fit regressus. De quo videndus est Caietanus *1. Post. cap. 13.* qui hanc doctrinam prosequitur, & subtiliter illustrat.

QVÆSTIO IV.

Qualis sit diuisio demonstrationis in quia, & propter quid? & an per vtramque generetur scientia.

27 DEmonstratio potest considerari ex parte formę, vel ex parte materiæ. Et quidem si ad solam formam attendamus, diuisio demonstrationis in quia, & *propter quid* nequit esse generis in species. Et ratio est perspicua: nam eadem potest esse forma vtriusque. Quemadmodum enim existente eadem forma specifica syllogismi, si præmissæ sint necessariæ, est demonstratiuus; & si probabilis, topicus: & ideò diuisio syllogismi in demonstratiuum, & topicum si ad formam attendamus non est essentialis; sed accidentis in subiecta: sic existente eadem forma specifica demonstrationis, si medium sit propria causa in essendo conclusionis, est demonstratio *propter quid*; si verò non sit propria causa, est demonstratio *quia*: quo circà non potest hæc diuisio sumpta ex parte formæ esse generis in species; sed est absolutè accidentalis.

Si verò demonstratio consideretur ex parte materiæ, importat propositiones ita necessarias, vt possint generare assensum infallibilem. Et hoc pacto demonstrationes *quia*, & *propter quid* nequeunt non distingui essentialiter, cum vna procedat per propriam causam conclusionis, alia verò non sic procedat. Quo sensu habet locum præsens difficultas, & inquirimus, an quælibet possit generare scientiam, & qualis sit diuisio demonstrationis in illas. In qua difficultate supponimus tanquam certum apud omnes, demonstrationem *propter quid* esse simpliciter demonstrationem, generareque proinde, per se loquendo, habitum scientiæ perfectum.

Vnde

Vndè dubium deuoluitur ad demonstrationem *quia*.

§. Vnicus.

Respondetur vtrique parti quæstionis.

18 Dicendum est primò, per demonstrationem *quia* solùm produci scientiam imperfectè, & in esse dispositionis; non verò sub statu habitus, donec accedat demonstratio *propter quid*. Explicatur assertio: solet eadem qualitas in specie habere ex parte subjecti rationem dispositionis, quandiù est remissa, nequè omninò firmatur in illo: assequitur autem statum habitus, quandò intenditur, & firmiter ei inhæret, vt supra diximus *disp.* 15. *num.* 11. Sic proportionabiliter dicimus, per demonstrationem *quia* produci qualitatem imperfectam ex parte medij: quandò verò aduenit demonstratio *propter quid* eadem qualitas perficitur, & assequitur statum habitus. Quæ perfectio, vel imperfectio non sumitur ex parte subjecti; sed ex intranea conditione medij, per quod procedunt: & ideò quantumcumquè repetantur demonstrationes *quia*, nequeunt producere scientiam perfectè, vsque dùm habeatur demonstratio *propter quid*. Assertio sic explicata est Aristot. *in hoc lib. cap.* 2. & D. Thom. *ibidem lect.* 4. & satis frequens inter Doctores.

Fundamentum est, quia scientia est cognitio rei per propriam causam: sed demonstratio *quia* non affert propriam causam conclusionis: ergo licèt generet scientiam imperfectè, vt videbimus *disput. seq.* nequit tamen illam producere sub perfectione, & statu habitus. Maior est expressa Aristot. *loco citato*, vbi hæc habet; *Scire autem putamus vnamquamque rem simpliciter, & non sophistico modo, cùm putamus causam cognoscere propter quam res est, illius causam esse, nequè posse eam aliter se habere.*

Confirmatur, & explicatur primò: quia licèt concludamus hominem esse risibilem per effectum ridendi nobis notum; adhuc non quiescit intellectus, nequè existimat id absolutè scire, vsque dùm cognoscat propriam causam, seu propter quid risibilitatis: sed demonstratio *quia*, non manifestat propriam causam: ergo pertingere nequit ad generandam scientiam perfectè.

Confirmatur, & explicatur secundò: nam ideò scientia subalternata in absentia subalternantis non habet perfectionem, & statum scientiæ; quia non attingit proprium *propter quid* suarum conclusionum: vt patet in Chirurgo; qui non censetur perfectè scire, quod *vulnera circularia difficiliùs curantur, quia eorum latera magis distant*; vsque dùm id demonstret Geometra per propriam causam, ex natura scilicet circuli, qui est figura absque angulis: ergo cùm demonstratio *quia* solùm probet, quod prædicatum conueniat subiecto, & non ostendat causam conclusionis; sequitur quod se sola non possit generare scientiam perfectam; sed solùm in esse dispositionis. Videatur D. Thom. *quæst.* 14. *de veritate art.* 9. *ad* 3.

29 Dicendum est secundò, solam demonstrationem *propter quid* esse simpliciter demonstrationem; demonstrationem verò *quia* tantùm esse demonstrationem secundùm quid; & consequenter hanc diuisionem esse analogi in analogata. Hæc assertio manifestè colligitur ex proximè dictis, suitquè constans, ac perpetua sententia inter antiquos Philosophos, vt testatur Zabarella *cap.* primò de speciebus demonstrationis, refertquè, & sequitur Masius *cap.* 10. *huius libri sect.* 1. *quæst.* 1. & 2. Probatur ratione; quia demonstratio *propter quid* est productiua scientiæ perfectæ; demonstratio verò *quia* solùm potest producere scientiam, quæ sit talis inchoatiuè, & secundùm quid, vt statuimus assertione præcedenti: ergò vis productiua scientiæ non est communis vtrique demonstrationi vniuocè; sed solùm analogicè: ergo diuisio demonstrationis sumptæ ex parte materiæ, secundùm quam importat virtutem ad producendam scientiam, est diuisio analogi in analogata.

30 Contrariam huic assertioni opinionem tenent Rubio *in hoc cap. quæst.* 2. & alij Moderni. Sed certè nullum argumentum opponunt cuius solutio facilè non occurrat ex hactenùs dictis: & ideò superuacaneum censemus in hac difficultate ampliùs immorari.

DISPVTATIO XIX.

De Scientia, quæ est effectus demonstrationis.

1 VT notitia demonstrationis, cuius essentiam, & diuisiones hucusquè illustrauimus, habeatur perfectiùs; oportet de Scientia, quæ est illius effectus, instituere sermonem. Explicat autem Aristot. scientiæ naturam, species, & vnitatem *cap.* 2. & 10. & 23. huius libri: quæ omnia nos in hac disputatione complectemur.

QVÆSTIO I.

Quid sit Scientia; & in quo subalternatio consistat.

SCientiæ existentiam, tam ratio, quàm experientia conuincit, vt contra Heraclitum, & Cratyllum ostendimus *disp.* 17. *num.* 1. & ideò ad illius quidditatem, & multiplicitatem exponendam gradum facimus.

§. I.

Exponitur quid sit scientia.

QVidditas scientię non aptiùs potest nobis innotescere, quam per eius definitiones. Ex definitione autem scientiæ actualis ab Aristot. tradita definiuimus habitualem *disp.* 1. *num.* 21. quod sit *Habitus acquisitus per demonstrationem*, vt ibidem explicuimus: vndè in hoc non est immorandum. Vnum tamen obseruare oportet; quod licèt hæc scientiæ definitio tradatur per demonstrationem; quam supra definiuimus cum Arist. per ordinem ad ipsam scientiam; non tamen ob id est defectuosa, quasi incidens in circulum vitiosum. Tùm quia dictæ definitiones procedūt in diuerso genere causæ: nam demonstratio respicit scientiam, vt causam finalem; hæc verò respicit illam, vt causam efficientem. Tùm etiam, quia ex alia definitione demonstrationis per causam materialem, quam supra exposuimus *disp.* 18. *à num.* 4. redditur sufficienter nota, vt per eam possimus ipsam scientiam definire.

Æquè perfecta est alia scientiæ definitio desumpta ex Aristot. 6. *Ethic. cap.* 6. *Scientia est habitus circa propositiones, vniuersales, necessarias, & mediatas.* In qua priores particulæ exprimunt genus proximum, in quo conuenit habitus scientificus cum habitu primorum principiorum: vterque enim versatur circa propositiones vniuersales, & necessarias. A quo tamen differt per vltimam particulam quæ ponitur loco differentiæ: quia habitus primorum principiorum versatur circa propositiones immediatas, & indemonstrabiles; scientia verò circa propositiones demonstrabiles, & mediatas, vt docet Aristot. *loco citato*. Ad cuius intelligentiam obserua quod obiectum habitus cognoscitiui potest sumi incomplexè, & complexè. Priori modo coincidit cum subiecto cuius cognoscuntur aliqua prædicata: & quia de eadem re v. g. homine possunt scientia, & habitus principiorum manifestare aliquid, ideò possunt attingere idem subiectum, seu obiectum incomplexè sumptum. Posteriori autem modo acceptum dicit illas propositiones, circa quas habitus per se primò versatur. Qua in re distinguuntur habitus principiorum, & scientia: nam ille fertur in propositiones immediatas, & per se notas, id est, quæ non habent alias priores, per quas probentur, hæc verò attingit propositiones mediatas, siue quæ per alias priores probari possunt.

2 Vndè colligitur contra Vasquez 1. *p. disp.* 1. *cap.* 1. & alios Modernos, scientiam in nobis esse habitum realiter distinctum ab habitu principiorum; quæ doctrina est communis inter Dialecticos, & meritò. Tùm quia eam docet expressè Aristot. *loco citato, &* 2. *Posterior. cap. vltimo*. Tùm quia omnis scientia fit ex aliqua præexistenti cognitione: ergo scientia non versatur circa principia; sed supponit ea cognita per distinctum habitum, nempè principiorum. Tum quia scientia non potest attingere per se primò illas propositiones, de quibus non est demonstratio, cùm sit habitus acquisitus per demonstrationem: ergo nequit attingere prima principia indemonstrabilia. Tùm deniquè, quia habitus principiorum, & scientia cognoscunt obiectum sub diuersa ratione formali sub qua; siquidem ratio formalis assentiendi primis principiis est immediata connexio prædicati cum subiecto; ratio verò formalis assentiendi conclusionibus est connexio extremitatum cum medio cognita in præmissis. Videatur Nazarius 1. *p. q.* 1. *art.* 1. vbi optimè Vasquium impugnat.

His ad explicandam vtcumquè quidditatem scientiæ in communi necessariò prælibatis, superest vt de illius speciebus disseramus. Sed ante omnia opus est scientiarum subalternationem exponere; & quid sit scientia subalternans, quid subalternata examussim aperire: continet enim hæc materia non leues difficultates: propter quod in discussione earum procedemus cum distinctione, vt claritatem conciliet.

§. II.

Propria subalternationis ratio declaratur.

3 SCientia subalternans est, quæ sub se alteram continet: subalternata verò dicitur, quæ sub alia continetur. Difficultas autem est qualis debeat esse hæc continentia, vt propriam subalternationem constituat. Pro cuius luce obserua, tripliciter posse contingere, quod vna scientia contineatur sub alia, eiquè subordinetur. Primò ex parte finis, quandò nimirùm finis vnius ordinatur ad finem alterius: quo pacto artes ministræ subalternantur dominabus, vt fræne-factoria equestri, equestris militari, & militaris politicæ: quia frænum ordinatur ad rectè equitandum, recta equitatio ad victoriam, & hæc ad pacem reipublicæ. ¶ Secundò ex parte principiorum, scilicet cùm propositiones, quæ in vna scientia recipiuntur, vt principia, demonstrantur in alia, cuius sunt conclusiones. Qua ratione Medicina subordinatur Geometriæ in eo principio: *Vulnera circularia difficiliùs curantur*: quod demonstratur à Geometra, quia videlicet, circulus caret angulis, & sic latera illius magis distant, & difficiliùs iunguntur.

Tertiò continetur vna scientia sub alia ratione obiecti, quia nimirùm obiectum vnius comprehenditur sub obiecto alterius. Porrò hæc continentia est duplex, nempè essentialis, & accidentalis. Prior contingit, quandò obiectum vnius scientiæ addit differentiam essentialem obiecto alterius, quo pacto homo continetur sub animali, & omnia obiecta scientiarum comprehenduntur sub ente, quod est obiectum Metaphysicæ. Ad posteriorem autem desideratur, quod differentia addita obiecto scientiæ continentis sit illi in esse rei accidentalis; eius tamen conditionis, vt ex illius coniunctione ad prędictum obiectum resultent speciales proprietates, quæ possint de illo coniuncto demonstrari. Et ita se habet sonoreitas ad numerum, qui est obiectum Arithmeticę, & visualitas ad lineam, quæ est obiectum Geometriæ: sonus enim sic accidit numero, vt tamen ex coniunctione ad ipsum resultent in sonis speciales passiones, videlicet consonantiæ: & idem est de linea visuali. Vndè Musica respiciens numerum sonorum subordinatur hoc pacto Arithmeticæ agenti de numero; & Perspectiua attingens lineam visualem continetur sub Geometria, quæ lineam contemplatur.

4 In præsenti ergo supponimus, primum modum continentiæ ortæ ex parte finis, non constituere subalternationem rigorosam; atque ideò scientiam, quæ conti-

netur

netur sub alia solùm ratione finis, non subalternari simpliciter ei; sed tantùm illi inseruire. Quod satis constat in Logica, cuius finis nempè cognitio secundarum intentionum, ordinatur ad fines aliarum scientiarum; & tamen ipsa illis non subalternatur: probat enim suas conclusiones independenter ab aliis scientiis; imò ad eas ex natura sua præsupponitur: quod veræ subalternationi repugnat, vt satis constabit ex dicendis.

Supponimus, etiam idem proportionabiliter dicendum esse de continentia, & subordinatione scientiarum ortis præcisè ex dependentia vnius ab alia in vno, aut altero principio: quo pacto diximus Medicinam subordinari Geometriæ. Quoniam hæc subordinatio solùm est quædam connexio inter scientias, ob quam se inuicem juvant, & sibi mutuò subsidio sunt. Nulla enim est ita suprema, quæ non mutuetur ab alia vnum, aut alterum principium: vt videre est in Sacra Theologia, quæ inspectantibus ad virtutes, & vitia, nonnulla principia desumit ex Philosophia morali: cùm tamen certum sit, quod ei non subalternatur.

5 Supponimus deindè, continentiam obiectiuam accidentalem nuper explicatam constituere subalternationem rigorosam inter scientias. Quod facilè constat tùm quia in omnium sententiâ Musica subalternatur propriè Arithmeticæ, & Perspectiua Geometriæ: constat autem numerum sonorum, qui est obiectum Musicæ solùm addere differentiam accidentalem numero, qui est obiectum Arithmeticæ; & idem est de linea visuali, quæ est obiectum Perspectiuæ respectu lineæ, quæ est obiectum Geometriæ: ergo. Tùm etiam quia scientia propriè subalternata ea dicitur, quæ ita dependet ab alia, vt ea seclusa, nequeat probare vllam conclusionem: sed scientia, cuius obiectum addit differentiam accidentalem supra obiectum alterius, ita vt ex tali conjunctione resultent speciales passiones demonstrabiles, est huiusmodi: ergo est propriè subalternata. Explicatur, & suadetur minor: nam eo ipso obiectum scientiæ superioris pertinet ad proprium *propter quid* passionis, quæ de prædicta differentia accidentali in scientia inferiori demonstratur: quia in tantùm prædicta passio ab hac differentia oritur, in quantùm ipsa coniungitur obiecto superioris: vt videre licet in exemplo sæpiùs adducto numeri sonori. Consonantiæ enim, quas demonstrat musicus non oriuntur à sonoreitate, nisi juncta numeris: ob idquè si Arithmetica, quæ agit de numeris, periret; destrueretur necessariò ipsa Musica: quia nullum ei suppeteret principium, per quod procederet ad suas conclusiones.

Quare solùm remanet difficultas de continentia obiectiua essentiali, qualem habent omnia obiecta scientiarum respectu entis, quod est obiectum Metaphysicæ: & inquirimus, an sufficiat ad veram subalternationem scientiarum constituendam.

§. III.

Vnica assertio ad perfectiorem subalternationis notitiam.

6 Dicendum est, continentiam obiectiuam essentialem non constituere subalternationem rigorosam. Hæc conclusio est Aristotel. *cap.* 7. *&* 10. huius libri, D. Thom. *ibidem lect.* 15. *&* 25. quos sequuntur Caietanus 1. *p. q.* 1. *art.* 2. Bañez *ibidem dubit.* 2. Zumel *quæst.* 3. Iauellus 1. *Metaph. q.* 2. Arauxo *ibidem quæst.* 4. *art.* 1. & communiter Doctores.

Probatur ratione: quia scientia propriè subalternata est illa, quæ ita dependet à subalternante, vt nequeat absque subordinatione ad eam vllam conclusionem demonstrare: sed scientia, cuius obiectum addit differentiam essentialem obiecto alterius, potest absque illa plures demonstrationes conficere, ostendendo proprium propter quid passionum: ergo non est illi propriè subalternata. Probatur minor quia eò ipso, quod obiectum scientiæ inferioris addat differentiam essentialem obiecto superioris, jam inferior habet absque superiori, vndè probet suas conclusiones, nimirùm differentiam illam essentialem, quæ est principium, & proprium propter quid passionum, quæ ab eadem differentia dimanant, vt ex se constat. Tùm etiam, quia hac ratione Philosophia demonstrat quamplures passiones de ente mobili independenter a Metaphysica, vt patet experientia; licèt ens mobile sub ente, quod est obiectum Metaphysicæ essentialiter contineatur.

Confirmatur primò: quoniam scientia propriè subalternata est illa, quæ independentèr à subalternante non potest conclusiones reducere in principia per se nota: ex eo namquè dicitur subalternata, quia non conjungitur immediatè cum habitu primorum principiorum; sed media subalternante; cùm scientia subalternata ibi incipiat, vbi definit subalternans, & illius principia sint conclusiones istius: sed scientia, cuius obiectum addit differentiam essentialem obiecto alterius, potest independenter ab ea omnes, vel plures conclusiones reducere in prima principia per se nota, quando in prædictam differentiam, aut gradum essentialem per eam constitutum, à quo passiones, vt à causa propria pullulant: ergo.

Confirmatur secundò: nam scientia propriè subalternata solùm probat de suo obiecto *quia est*; propter quid enim pertinet ad scientiam subalternantem, cum huius conclusiones sint principia illius: at scientiæ quarum obiecta continentur essentialiter sub obiecto alterius superioris possunt ostendere proprium propter quid suarum passionum: ergo continentia obiectiua essentialis est insufficiens ad subalternationem rigorosam. Minor patet in Logica, Philosophia, & aliis scientiis, quarum obiecta continentur essentialiter sub obiecto Metaphysicæ: & tamen demonstrant non solùm *quia*; sed etiam *propter quid* suarum passionum, vt omnes fatentur.

7 Sed objicies; omnis scientia, aut est subalternans, aut subalternata respectu alterius, vt indicat Arist. *cap.* 10. huius libri: sed Metaphysica nulli subalternatur: ergo est subalternans respectu omnium. ¶ Deindè Metaphysica probat aliarum scientiarum principia, vt docet Arist. 1. *Phys. text.* 8. sed hoc est proprium scientiæ subalternantis: ergo omnes scientiæ subalternantur Metaphysicæ. ¶ Denique: scientia subalternata nequit absque subalternante cognoscere perfectè suas conclusiones: sed absque Metaphysica non potest vllum obiectum perfectè cognosci, cum ipsa doceat, quid sit ens, & bonum, substantia, vel accidens: ergo nulla est scientia naturalis, quæ illi non subalternetur. Sed hæc subalternatio aliarum scientiarum respectu Metaphysicæ fundatur in eo, quod obiecta aliarum scientiarum addunt differentiam essentialem obiecto Metaphysicæ: ergo hæc continentia essentialis sufficit, vt detur rigorosa subalternatio.

Respondetur, has obiectiones solùm conuincere, quod impropriè loquendo aliæ scientiæ naturales subalternantur Metaphysicæ sicut earum reginæ: ad hoc quippe satis est, quod procedat per altissimas causas, & quod illius obiectum cæterarum scientiarum obiecta comprehendat, & includat. Minimè autem euincunt subalternationem illam rigorosam, quam hactenus explicuimus, & denegauimus aliis scientiis respectu Metaphysicæ. Vndè ad primam respondetur, diuisionem

illam non esse scientię in tota sua latitudine; sed scientię subalternatim positę: quę scilicet per se coniungitur cum alia: quam si contineat, est subalternans, si verò ab ea contineatur, est subalternata. Quare stat optimè, Metaphysicam esse perfectè scientiam, quin alteri subalternetur, vel alias sibi propriè subalternet.

Ad secundam dicimus, Metaphysicam non probare aliarum scientiarum principia demonstratiuè, & vt proprias sumet conclusiones, sed duntaxàt explicat earum terminos, & ab impugnatoribus defendit, vel arguendo ad hominem, vel ducendo ad impossibile. Ad rigorosam autem subalternationem desideratur, vt principia scientię subalternatę sint proprię conclusiones subalternantis, & per eam demonstratiuè probentur. ¶ Ad vltimam dicendum est, sufficere ad debitam perfectionem scientię inferioris, quod cognoscat suas conclusiones quoad ea prędicata, quę sub tali scientia cadunt; ostendendo proprium earum *propter quid* absque scientia superiori: quod habent alię scientię sine Metaphysica; & ideò non subalternantur ei propriè loquendo. Minimè autem requiritur, quod scientia inferior attingat suas conclusiones secundum omnia prędicata, aut gradus superiores, quales sunt rationes entis, substantię &c. alias nulla esset scientia perfecta intra suam speciem.

QVÆSTIO II.

An scientia subalternata sit verè scientia?

SCientiam subalternatam possumus considerare dupliciter: vno modo secundùm se, & pręscindendo à statu essendi, cum scientia subalternante, vel sine illa: alio modo ex parte subiecti, in quo non est scientia subalternans. Dubitari ergo potest, an secundùm vtrãque considerationem verę scientię naturam sortiatur. In pręsenti autem difficultatem hanc discutiemus, loquendo solùm de scientia subalternata secundùm se.

§. Vnicus.

Defenditur communis sententia.

8 DIcendum est, scientiam simpliciter subalternatam secundum se acceptam esse verè, & propriè scientiam. In hac conclusione conueniunt omnes Dialectici cum Aristot. *cap.* 7. Probatur breuiter: quia tunc scire arbitramur aliquam rem: cùm cognoscimus causam, ob quam res est, illius esse causam esse, nequè posse eam aliter se habere. vt dicitur *cap.* 2. huius libri: sed quandò in Perspectiua ex hoc principio Geometriæ: *Linea ducta ab eadem basi ad punctum distantius, causant minorem angulum*, concludimus res à longè visas apparere minores; cognoscimus propriam causam huius cõclusionis, nequè posse eam aliter se habere: & idem posset ostendi quampluribus exemplis: ergo scientia subalternata considerata secundùm suam essentiam est verè scientia.

Adde primò, virtutem naturalem purè intellectualem adæquatè diuidi in scientiam, & habitum principiorum: at scientia subalternata est verè virtus intellectualis; siquidem ita attingit verum, vt nequeat deflectere ad falsum: & aliàs non est habitus principiorum, vt ex se liquet: ergo est verè scientia. ¶ Adde secundò, ad veram demonstrationem sufficere, quod procedat ex principiis per se notis, mediatè, vel immediatè, vt suprà diximus *disp.* 18. *num.* 5. ergo ad rationem veræ scientiæ, quæ est effectus proprius demonstrationis sufficit, quod procedat mediatè, seu remotè ex principiis per se notis; immediatè verò ex principiis proximis, quæ per illa fidem susceperunt: atqui scientia subalternata, secundùm se accepta, est huiusmodi; cùm ex natura sua sit coniungibilis cum scientia subalternante, & ex principiis illius procedat: ergo. Nequè in ostendendo hãnc veritatem ampliùs remoramur: quia eius veritas ex dicendis *quæstione sequenti* à fortiori constabit.

9 Sed quamvis assertio nostra sit adeò certa, & communis; habet tamen contra se obiectionem admodùm difficilem, cuius solutio non parum negotij Auctoribus facessiuit. Est autem huiusmodi: de ente per accidens non potest esse vera scientia: sed objectum scientiæ simpliciter subalternatæ est ens per accidens: ergo hæc non est vera scientia. Major est certa: tùm quia eam expressè docent Aristot. 6. *Metaph. cap.* 2. & D. Thom. *ibidem lect.* 2. Tùm quia ens per accidens non habet vnicam essentiam: ergo nequit definiri, nequè habere passiones, quæ de illo scientia demonstret. Tùm deniquè, quia si ens per accidens esset objectum simpliciter scibile; posset dari vera scientia de numero colorato, aut de linea calida: quod est absurdum. Minor etiam constat: quia numerus sonorus qui est objectum Musicæ, constituitur ex pluribus entibus in actu, & diuersorum generum, nempè ex numero, qui est quantitas, & sono, qui est qualitas: ex quibus nequit consurgere vnum ens per se. Idemquè potest inductiuè ostendi in objecto cuiuscumque scientiæ simpliciter subalternatæ: cùm addat differentiam accidentalem objecto subalternantis.

Confirmatur, & explicatur: quoniam scientia subalternata nequit conficere veram demonstrationem: ergo non est verè scientia. Antecedens ostenditur: nam prędicta scientia non aliter conficit syllogismum, nisi applicando principia subalternantis materię extraneę; vt videre possumus in Musica, quę principia numeri applicat sonoreitati: atqui principia subalternantis nequeunt conjungi necessario cum materia extranea, sed tantum contingenter, vt constat ex terminis: ergo cum huiusmodi accidentalis conjunctio repugnet verę demonstrationi; planè infertur, quod scientia subalternata nullam demonstrationem veram efficiat. Quod etiam ostenditur exemplo Logicę vtentis: cuius syllogismi nequeunt esse demonstrationes: quia ex principiis entis rationis descendit ad entia realia: quę sunt materia omninò extranea.

10 Vt huic argumento liquidò satisfiat, & plures solutiones, quæ à vero deflectunt, prætermittamus; obseruandum est primò, obiectum scientiæ subalternatæ constitui essentialiter ex obiecto subalternantis, & ex differentia accidentali illi superaddita, non tamen ex æquo: sed hanc differentiam importat in recto; prædictum verò obiectum in obliquo, & vt est principium illius. Sit exemplum in numero sonoro: hic enim prout est obiectum Musicæ dicit harmoniam sonitus in recto; numerum autem, à quo prædicta harmonia causatur, importat in obliquo: & sic obiectum Musicæ est sonus, vt habens numeros.

Secundò animaduertendum est, quod duo entia in actu, & diuersorum generum possunt optimè constituere vnum ens per se, etiam in esse entis, si ad illius constitutionem vnum pertineat in recto; aliud verò in obliquo, & vt principium illius. Quod potest declarari exemplis: nam linea, & superficies sunt duo entia in actu, & distinguuntur specie: & tamen linea intrat per se ad constituendam superficiem: non quidem in recto, & ex æquo, sed in obliquo, & per modum principij illius.

lius: vndè non impedit, quod superficies sit ens per se. Similiter linea, & triangulus sunt entia in actu, & spectantia ad diuersa prædicamenta: siquidem triangulus est in quarta specie qualitatis; linea verò in prędicamento quantitatis: & tamen linea essentialiter ingreditur in obliquo, & per modum principij constitutionem trianguli, pertinetquè hoc pacto ad quidditatem illius. Et ratio est: nam principium essentiale alicuius formæ non se habet per accidens ad illam; sed valdè per se: ingreditur enim illius definitionem: ergo ex illo, & prædicta forma optimè potest consurgere vnum ens per se. Maximè, quia principium quatenus tale, reducitur ad speciem formæ, quam originat.

Vltimò, & præcipuè notandum est, principia scientię subalternantis debere ita vniri ad talem differentiam accidentalem, quod ex hac coniunctione resultet qualitas, cui possint conuenire proprię passiones, quas scientia subalternata demonstret: eo proportionali modo, quo ex vnione, & mixtione primarum qualitatum resultat color. Aliter enim prędicta differentia non erit apta ad constituendum obiectum scientię subalternatę: nam ob hanc rationem non datur scientia de numero colorato, vel de linea frigida: quia videlicet nullas passiones radicant. Vndè fit, quod sicut vnio v. g. caloris, & frigiditatis potest sumi dupliciter: vno modo absolutè, & sic est accidentalis; alio modo in ordine ad causandum calorem, & sic est necessaria, & per se: ita vnio principiorum scientię subalternantis ad differentiam accidentalem v. g. numeri ad sonum potest bifariam accipi. Primò absolutè, & sic est accidentalis, & contingens: secundò in ordine ad qualitatem, quę ex tali coniunctione resultat, v. g. ad harmoniam: & hoc pacto est per se, & omninò necessaria. Quemadmodum enim existentia, & diuersitas colorum probatur per temperamentum primarum qualitatum: sic harmonia, & illius species demonstratur sicut per propriam causam, per principia numeri, & soni.

11 Hinc ad obiectionem facilis est solutio: concessa enim maiori, neganda est minor: quia etsi obiectum scientię subalternatę coalescat ex rebus diuersorum generum; non tamen importat illas ex ęquo, sed vnam in recto, & aliam in obliquo, & vt radicant speciales passiones. Quo pacto optimè potest ex rebus diuersorum generum consurgere vnum ens per se, vt constat ex dictis.

Per quod patet ad confirmationem: nam principia accepta à scientia subalternante coniunguntur necessariò, & per se cum differentia accidentali, quatenus sunt propria causa qualitatis ex illorum vnione resultantis. Vndè quia in syllogismis constructis per scientiam subalternatam ingrediuntur illa principia non vtcumque; sed quatenus causa illius qualitatis, & passionum eius: idcircò non habent provt sic vnionem contingentem; sed omninò necessariam: quod satis est ad veram demonstrationem. Instantia verò Logicę vtentis minimè vrget: quia ens rationis nequit esse principium entis realis, vel vniri cum eo in ordine ad radicandum aliquid: quapropter vnio inter ens reale, & rationis est omnibus modis accidentaria, & insufficiens ad veram demonstrationem.

Inquires: supposito, quod obiectum scientię subalternatę est ens per se; in quo prędicamento est collocandum? Respondetur, numerum sonorum, provt est obiectum Musicę, esse reductiuè in genere qualitatis: & idem est de linea visuali, quę est obiectum Perspectiuę, & sic de alijs. Ratio est: quia licèt numerus secundum se sit quantitas, tamen provt est principium sonori, reducitur ad prędicamentum qualitatis, in quo sonus est per se; quemadmodum linea, vt principium superficiei, est reductiuè in specie superficiei, & vt pars trianguli ponitur reductiuè in quarta specie qualitatis.

QVÆSTIO III.

An scientia subalternata in absentia subalternantis sit verè scientia.

VIdimus *quæstione præced.* scientiam subalternatam secundùm se acceptam esse veram scientiam: quod tunc præcipuè apparet, quandò subalternanti coniungitur, vt cùm Musicus est simul Arithmeticus. Tunc enim euidenter cognoscit principia, & conclusiones, scitquè has resoluere in illa: vndè nihil deest, vt Musica sit verè, & perfectè scientia. Maior difficultas est, quandò scientia subalternata inuenitur in eo, qui caret subalternante, vt cùm Musicus non habet Arithmeticam; sed procedit ex principijs per fidem à Magistro acceptis. In quo casu inquirimus, an Musica habeat verè rationem scientiæ.

§. I.

Resolutio difficultatis ex D. Thoma.

12 DIcendum est, quod in absentia scientię subalternantis potest acquiri scientia subalternata, quid sit verè, & substantialiter scientia; quamuis ab illius perfectione, & statu deficiat, vsque dum actu coniungatur subalternanti. Ita docet Angelicus Doct. 1. *par. quæst.* 1. *artic.* 2. *& quæst.* 14. *de verit. artic.* 9. *ad* 3. vbi inquit: *Ille, qui habet scientiam subalternatam non perfectè attingit ad rationem sciendi, nisi in quantùm eius cognitio continuatur quodammodo cum cognitione eius, qui habet scientiam subalternantem. Nihilominùs tamen inferior sciens non dicitur de his, quæ supponit, habere scientiam; sed de conclusionibus, quæ ex principiis suppositis de necessitate concluduntur. Et sic fidelis potest dici habere scientiam de his, quæ concluduntur ex articulis fidei.* Vndè hanc sententiam sequuntur Caiet. *loco cit.* ex prima parte. Nazarius *ibidem controuersia* 1. Nauarrete *controuersia* 4. Zumel *quæst.* 2. Sanchez *lib.* 7. *quæst.* 12. Soto hîc *quæst.* 5. Arauxo 1. *Metaph. quæst.* 69. *art.* 6. *& quæst.* 4. *art.* 1. & communiter Thomistæ.

Secunda pars huius conclusionis probabitur argumentis aduersę opinionis, & satis constat ex supradictis *disp.* 18. *num.* 28. Prima autem sic suadetur: nam de ratione scientiæ in communi non est euidentia, vt exercita in actu secundo; sed solùm certitudo, & euidentia exacta, & in actu primo: at scientia subalternata in absentia subalternantis potest hoc vltimum habere: ergo est verè, & substantialiter scientia in absentia illius. Maior probatur, tùm quia Theologia nostra est verè scientia, vt docent communiter Theologi; & tamen non habet euidentiam actualem; sed tantum in actu primo, simul cum certitudine principiorum, quæ accipit per fidem. Tùm etiam, quia Aristot. non definiuit scientiam per euidentiam, sed per certitudinem, dum dixit, quod scire est cognoscere causam, propter quam res est, illius rei causam esse, nequè posse eam aliter se habere. Tum deniquè, quia perfectio propria intellectus sumitur per ordinem ad verum sub ratione veri; ergo firma adhæsio intellectus ad verum, in qua consistit certitudo, est proprius finis intellectus, & habituum eius. Euidentia autem, vel claritas deseruiunt ipsi certitudini; quatenus obie-

obiectum sub claritate propositum aptiùs est ad causandum firmiorem, & certiorem assensum. Quare certitudo, & non claritas pertinent per se primò ad substantialem perfectionem scientiæ.

Minor autem suadetur: quia scientia subalternata petit ex natura sua continuari cum subalternante, ex qua continuatione habent illius actus euidentiam: ergo adhuc in absentia subalternantis importat euidentiam exactam, seu in actu primo. Porrò quod habeat certitudinem actualem ostenditur: nam fides humana potest pertingere ad certitudinem, quæ excludat omnem hæsitationem, vt patet in eo, qui credit esse Romam: quia tot asserentibus habet velut euidentiam in attestantibus, nullaquè prudens suboritur ratio dubitandi. Hoc autem modo credit Musicus v. g. sua principia: quoniam in eis non conuenirent omnes Arithmetici, nisi essent vera, & demonstrata. Maximè cùm Musicus credat Arithmetico, non vt homo est, sed vt Arithmeticus est: quo pacto illa fides humanam quodammodo supergreditur: & sic habet firmitatem, quæ habitui scientifico indè deducendo sufficiat. Prædicta autem fides non concurrit ad scientiam subalternatam virtute propria, & per se; sed per accidens, & loco scientiæ subalternantis, cui subalternata ex natura rei subijcitur: ad eum modum, quo in Theologia fides diuina subrogatur loco luminis gloriæ, quod est proprius, & per se habitus principiorum eius, vt docent Caiet. & communiter Thomistæ.

13 Confirmatur primo: quoniam propria ratio scientiæ non sumitur ex actu, quem habet in statu imperfecto; sed ex eo, ad quem ex natura sua inclinat: sed sciẽtia subalternata, etiam in absentia subalternantis inclinat ad assensum euidentem: ergo etsi tunc non possit illum elicere, adhuc est substantialiter scientia. Minor constat: quia Musicæ, & cuicumque scientię subalternatę ex specie sua conformis est claritas; & dum ea carent sunt in potentia ad illam habendam: ergo inclinant semper, quantum est de se, ad assensum euidentem.

Confirmatur secundò: quia scientia subalternata ex specie sua est continuabilis cum scientia subalternante, tanquàm cum proprio habitu suorum principiorum; fidei autem conjungitur per accidens ob defectum scientię subalternantis: sed prędicta fides non substituitur in subalternantis locum ratione obscuritatis, sed ratione certitudinis, vt ex se liquet: ergo assensus scientię subalternatę in absentia subalternantis participat per se certitudinem, & per accidens obscuritatem; petitquè ex natura sua euidentiam. Quare nihil deest, vt sit substantialiter scientificus.

§. II.

Enodantur argumenta oppositæ opinionis.

14 Contrariam sententiam defendunt Soncinas 4. *Metaph. quæst.* 9. Suarez *disp.* 1. *sect.* 5. Vasquez 1. *p. disp.* 4. *cap.* 5. *&* 6. & alij Moderni. Et probatur primò: quia vt quis veram scientiam assequatur, debet habere demonstrationem omnium in illa serie demonstrabilium, & resoluere conclusiones scitas in principia per se nota, vt manifestè docent Aristot. & Diu. Thom. *cap.* 2. *huius libri*: sed qui caret scientia subalternante nequit resoluere conclusiones subalternatę in prima principia per se nota: ergo scientia subalternata in prędicto subjecto non est verè, & substantialiter sciẽtia; sed solum abusiuè.

Confirmatur primò: quia vt docet D. Thom. *in* 3. *dist.* 33. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 4. *si esset aliqua scientia, quæ non posset reduci ad principia naturaliter cognita, non esset eiusdem speciei cum alijs scientijs, neque vniuocè scientia diceretur*: at scientia subalternata in absentia subalternantis nequit reducere suas conclusiones vsque ad principia naturaliter nota: ergo non est vniuocè sciẽtia, sed solùm analogicè.

Confirmatur secundò: quia scientia, & fides eiusdem conclusionis non possunt esse simul in eodem intellectu, vt docet D. Thom. *quæst.* 14 *de verit. artic.* 9. & nos *infrà* dicemus: at scientia subalternata in absentia subalternantis admittit fidem suarum conclusionum: ergo non est substantialiter scientia.

Respondetur argumento, quod licèt nemo possit habere veram scientiam in statu perfecto, nisi sciat resoluere illius conclusiones vsque ad prima principia: vt tamen illam assequatur in statu imperfecto, non requiritur prædicta notitia; sed sufficit, quod credat firmiter conclusiones scientiæ subalternantis, quibus vtitur, vt primis principijs. Quod satis expressit D. Thom. *loco citato* exponens Aristot. his verbis: *Possibilè esset scire aliquam conclusionem non habens demonstrationem præmissarum, etiam si essent demonstrabilia: quia sciret ea per alia principia: sed hoc esset secundùm accidens*, &c.

Ad primam confirmationem dicimus, D. Thom. solùm intendere Theologiam, cum non resoluat conclusiones in principia naturaliter cognita, esse diuersæ rationis a scientijs purè naturalibus: vtpote quæ habet excellentiorem modum procedendi, nempè ex reuelatis a Deo: in quibus fundatur omnimoda certitudo suorum assensuum. Quod nostræ assertioni minimè aduersatur, vt satis ex se constat. ¶ Esto autem, quod D. Thom. loquatur de scientijs naturalibus, intelligendus est de scientia quoad statum: nam subalternata, quæ non conjungitur subalternanti, ac proindè nequit reduci ad principia naturaliter nota, non dicitur vniuocè scientia quoad statum, & perfectum esse; licèt sit scientia vniuocè quoad substantiam.

Ad secundam dicendum est, fidem solùm excludi per scientiam, quæ habet statum, & perfectionem scientię, qualis non est subalternata, dum non continuatur immediatè cum subalternante, à qua principia desumit. Vndè optimè in hoc statu imperfecto cohærere potest sciẽtia subalternata cum habitu fidei; neque oppositum docet D. Thom. vt legenti constabit.

15 Arguitur secundo: quoniam de ratione scientiæ est euidentia conclusionum: sed scientia subalternata in absentia subalternantis nequit habere euidentiam conclusionum, siquidem procedit ex principijs acceptis per fidem a Magistro: ergo in eo statu non est substantialiter scientia. Probatur major, tùm ex definitione scientiæ, quæ est habitus certus, & euidens. Tum quia scientia est virtus intellectualis, de cuius ratione est, quod sit dispositio ad optimum: constat autem actum optimum intellectus includere euidentiam.

Respondetur, de ratione scientiæ in communi acceptæ solum esse euidentiam in actu primo, & petitam. Euidentia vero in actu exercito solum est de conceptu scientiæ sub statu perfectionis: in quo non est scientia subalternata, dùm non conjungitur subalternanti. Per quod patet ad primam illius maioris probationem. Ad secundam dicimus, scientiam subalternantem inclinare, & disponere ex se ad actum euidentem, illumquè elicit quando est in statu perfecto: quod sufficit, vt semper sit substantialiter virtus intellectualis. In absentia autem subalternantis fatemur habere modum dispositionis, atquè à virtutis perfectione deficere.

16 Vltimo suadetur hæc opinio: nam de ratione scientiæ est, quod eliciat assensus omnino certos; cum per certitudinem distinguatur scientia ab opinione, & fide humana; sed scientia subalternata in absentia subalternantis

ternantis non valet elicere assensus omninò certos: ergo. Probatur minor: quia certitudo conclusionum deriuatur ex certitudine præmissarum: sed qui caret scientia subalternante, non habet certitudinem principiorum; siquidem eis assentitur per solam fidem humanam, quæ incerta est, & fallibilis: ergo scientia subalternata in absentia subalternantis nequit elicere assensus omninò certos.

Respondetur negando minorem, ad cuius probationem constat ex dictis pro nostra assertione: quia fides, qua Musicus v. g. credit principia sibi tradita ab Arithmetico excludit omnem formidinem: estquè re ipsa infallibilis: tùm quia pertingit ad quamdam euidentiam moralem similem ei, qua credimus Romam esse: cùm quia non innititur testimonio Arithmetici, vt homo est, sed vt Arithmeticus est, & vtitur scientia: quo pacto nequit proferre falsa.

QVÆSTIO IV.

Vndè scientiarum vnitas desumenda sit.

17 NOn loquimur in præsenti de scientiis practicis; quia Aristot. *in hoc cap.* solùm tractauit de speculatiuis; ex harum tamen notitia facilè constabit, quid de illis dicendum sit. Nequè procedit quæstio de vnitate numerica scientiarum: quoniam in schola Thomistica indubitatum est, desumendam fore à subiecto. Sed difficultas est, tùm circa vnitatem genericam, tùm & maximè circa specificam. Communis quippè sententia est, plures scientias conuenire inter se genericè, nonnullas etiam specificè: sed vndè vtraque vnitas desumatur, adeò obscurum est; vt vix inueniatur, qui debitam huic materię claritatem, & certitudinem conciliauerit. Quamuis autem difficile; non tamen est impossibile (vt aliqui autumant, dùm huic difficultati succumbunt) vniuersalem, ac metaphysicam doctrinam circa vnitatem scientiarum stabilire. Quam hic ex Angelico, & sanctissimo Doctore lucem mutuantes statuere conabimur, iuxta communiorem inter Thomistas sententiam.

§. I.

Præmittuntur nonnullæ obseruationes.

18 AD difficultatis ergo resolutionem supponendum est primò, in obiecto cuiuslibet scientiæ distinguendam esse duplicem rationem formalem: aliam illius, vt res est; alteram eiusdem, vt obiectum est. Quam distinctionem docent communiter Doctores contra Vasquez 1. *p. disp. 7. cap. 3.* & meritò. Tùm quia subiectum, circa quod versatur scientia, spectat ad genus entis, & ad genus scibilis: est enim talis res, & taliter scibilis: sed absque forma nequit dari constitutio in aliquo genere: ergo assignanda est forma constituens obiectum in esse rei, quam appellamus rationem formalem *qua*; & concedenda etiam est forma, per quam constituatur in esse scibilis, quæ dicitur *ratio sub qua*. Tùm etiam, quia res, quę in esse entis est vna, potest esse multiplex in esse scibilis, vt patet in rotunditate terræ, prout respicitur ab Astrologia, & Philosophia: aliquandò autem ea, quæ in esse entis sunt plura, possunt esse vnum in esse scibilis, vt constat in obiecto Metaphysicæ, sub quo res diuersissimæ comprehenduntur: ergo res non constituitur in esse scibilis per id ipsum, per quod constituitur in esse entis; sed duplex forma necessariò assignanda est.

19 Supponendum est secundò, vnitatem, & distinctionem scientiæ desumendam esse ab obiecto, non in esse rei; sed in esse scibilis, & quatenùs obiectum est. Quod satis liquet ex instantiis proximè adductis: si enim possunt esse plures scientiæ de eadem re; vel è contra vnus, & idem habitus valet innumeras res attingere: ergo vnitas, & distinctio scientiarum non deriuatur ab obiectis materialiter sumptis in esse rei; sed formaliter acceptis in esse scibilis. Porrò vt obiectum vnitatem specificam in scientiam transfundat, debet præhabere eandem vnitatem: quoniam specificatum ideò est vnum, quia specificatiuum est vnum: ergo nequit esse magis vnum, quam eius specificatiuum: ac proindè, vt scientia habeat vnitatem specificam ab obiecto, debet in ipso eadem vnitas splendere. Quod egregiè contra Vasquez conuincunt Bañes, Gonzalez, Nazarius 1. *p. quæstione 1. art. 2.* & communiter Thomistæ. Difficultas autem, & non leuis est in assignando formam constitutiuam obiecti in esse scibilis, per quam videlicet ea, quę in esse rei distinguuntur specie, aut etiam genere, fiant vnum in specie in esse obiecti, valeantquè vnitatem specificam scientiæ communicare; vt videre est in obiecto Metaphysicæ.

Duo autem sunt, quæ possunt deseruire ad hanc constitutionem obiecti in esse obiecti: nempè abstractio eius à materia, & medium, seu principium, per quod obiectum illuminatur. Primum videtur satis perspicuum: tùm quia vnumquodquè tantùm habet de intelligibilitate, quantùm habet de actualitate; & eò plùs actualitatis participat, quò magis à materia præscindit. Tùm etiam quia obiectum scientiæ debet esse necessarium, ita vt aliter se habere nequeat, & consequenter non potest esse subiectum mutationi, & contingentiæ; atqui materia est prima radix contingentiæ, & mutationis, vt docet D. Thom. 1. *p. qu. 85. art. 6.* ergo obiectum in esse scibilis abstrahit à materia; & consequenter abstractio à materia spectat ad constitutionem obiecti in esse obiecti.

20 Vndè supponendum est tertiò ex Aristot. *6. Metaph. text. 2.* & D. Thom. *opusc. 70. quæst. 5. art. 1.* quod triplex genus scibilis designari potest iuxta triplicem materiam, à qua obiectum præscindere valet, nempè singularem, sensibilem, & intelligibilem. Materia singularis dicitur quidquid pertinet ad singularitatem rerum sensibilium, vt hæc albedo, hæ carnes. Quare illa scientia dicitur abstrahere à materia singulari, quæ considerat res sensibiles, abstrahendo à singularitate earum, vt hominem cum carne; sed non cum hac, aut illa carne: & huiusmodi est Philosophia naturalis, quæ habet consequenter infimum abstractionis gradum: quia hunc, vt minimum requirit quælibet scientia. § Materia sensibilis consistit in qualitatibus, quæ sunt obiectum sensuum, vt color, odor, &c. Vndè illa scientia abstrahit à materia sensibili, quæ considerat suum obiectum sine his qualitatibus: & huiusmodi sunt Mathematicæ, quæ agunt de quantitate, non curando, an sit alba, vel frigida, &c. Concernunt tamen materiam intelligibilem, cui quantitas inest, & à qua in sui cognitione dependet: & ideò habent secundum gradum abstractionis. § Materia intelligibilis est ipsa substantia corporea, quæ sic appellatur, quia solo intellectu percipitur. Et ideò illæ scientiæ abstrahunt à materia intelligibili, quæ agunt de rebus, quæ sine materia esse possunt: vel quia illam positiuè excludunt, vt Deus; vel quia secundùm se illam necessariò non concernunt, vt ratio entis, & substantiæ, actus, & potentiæ. Et huiusmodi est Metaphysica, quę propterea obtinet summum gradum abstractionis inter scientias naturales. Triplex ergo genus scibilis excogitari potest, nimirum naturale, mathematicum, & Metaphysicum.

Quod

Quod autem media, seu principia, per quæ proceditur ad conclusiones, pertineant (quod supra insinuauimus) ad constitutionem obiecti in esse scibilis, traditur expresse à D. Thom. 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 1. vbi inquit: *In scientia Geometriæ materialiter scita sunt conclusiones; formalis verò ratio sciendi sunt media demonstrationis, per quæ conclusiones cognoscuntur.* Et potest facilè ostendi: tùm quia scibile nihil aliud est, quam cognoscibile per propriam causam: sed principia in demonstratione habent rationem causæ respectu conclusionis: ergo constituunt eam in esse scibilis. Tùm etiam quia, sicut colores videntur per lumen corporale, ita proportionabiliter conclusiones cognoscuntur per principia, seu media: ergo hæc pertinent ad constitutionem obiecti in esse scibilis, quemadmodum lux ad constitutionem visibilis. Tùm præterea, quia vt docet D. Thom. *quæst.* 9. *de veritat. art.* 1. media, seu principia participant lumen intellectuale ab intellectu agente, qui est principium totius luminis intellectualis, & in cuius virtute possunt illuminare obiectum. Tùm deniquè, quia idem est constitutivum, & distinctivum: sed diuersitas mediorum ponit diuersitatem obiecti in esse scibilis, vt patet in hac propositione *terra est rotunda*, quæ ideò est diuersa in esse scibilis, quatenùs spectat ad Mathematicam, & Philosophiam, quia probatur ab eis per diuersa media: ergo hæc intrant constitutionem obiecti in esse talis.

21 Hinc obseruandum est vltimò, vnitatem specificam mediorum quatenùs pertinent ad constitutionem obiecti, sumendam esse ex coordinatione illorum inter se: ita vt tunc sint eiusdem speciei infimæ, quandò deriuantur ex aliis, vel ex alterutris intra eandem abstractionem. Ratio est: quoniam vnitas mediorum demonstrationis, vt sunt principium sciendi, & constituunt obiectum in esse scibilis est vnitas eorumdem, quatenùs habent vim illuminandi, vt modo vidimus: sed eo ipso, quod plura media deriuentur ex aliis, vel ex alterutris intra eandem abstractionem à materia, sunt vnum in formali ratione illuminandi: ergo sunt eiusdem speciei. Probatur minor: quoniam secunda, tertia, & inferiora principia non illuminant, nisi per resolutionem ad vnum primum principium indemonstrabile, & quatenùs participant virtutem illius: vt clarè cernitur in principijs, quibus probatur hominem esse risibilem, quæ nequeunt constituere prædictam conclusionem in esse scibilis, nisi per ordinem ad hominis definitionem, quæ est primum principium in illa serie.

Diximus: *intra eandem abstractionem*: quia principia, quæ sunt diuersæ abstractionis, eo ipso differunt inter se in genere scibilis; ob idquè nequeunt esse idem in specie; multiplicata enim ratione superiori, multiplicantur inferiora; nequè possunt conuenire in specie, quæ genere distinguuntur. Quare licèt principia, quę sunt intra vnam abstractionem, deriuentur ex principijs in alia abstractione existentibus, vt principia v. g. Philosophię ex principijs Metaphysicę; id non tollit, quod sint simpliciter diuersa in specie quoad vim illuminandi, cum sint prima in proprio genere, seu intra propriam abstractionem.

22 Quę omnia illustrare placuit verbis D. Thom. *Ub. lect.* 41. vbi quę hactenùs tradidimus, mirum in modum complexus est. *Materialis*, inquit, *diuersitas obiecti non diuersificat habitum; sed tantùm formalis. Cùm ergo scibile sit proprium obiectum scientiæ: non diuersificabuntur scientiæ secundum diuersitatem materialem scibilium; sed secundum diuersitatem eorum formalem. Sicut autem formalis ratio visibilis sumitur ex lumine, per quod color videtur: ita formalis ratio scibilis accipitur secundum principia, ex quibus aliquid scitur. Et ideò quantumcumque sint aliqua diuersa scibilia per suam naturam, dummodò per eadem principia sciantur, pertinent ad vnam scientiam*, &c. Et post pauca: *Sed vlteriùs considerandum est, quod secunda principia virtutem sortiuntur à primis. Vndè requiritur diuersitas primorum principiorum ad diuersitatem scientiarum. Quod quidem non esset: si vel diuersorum principia ex eisdem principijs fluant, sicut principia trianguli, & quadrati deriuantur ex principijs figuræ; vel principia vnius deriuentur ex principijs alterius, sicut principia isoscelis dependent à principijs trianguli. Nequè tamen intelligendum est, quod sufficiat ad vnitatem scientiæ vnitas principiorum primorum simpliciter; sed vnitas principiorum primorum in aliquo genere scibili. Distinguuntur autem genera scibilium secundum modum cognoscendi: sicut alio modo cognoscuntur ea, quæ definiuntur cum materia, & ea quæ sine materia: vndè aliud genus scibilium est corpus naturale, & corpus mathematicum*, &c. Videatur etiam S. Doctor. 1. *p. quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 2.

§. II.

Statuitur vera sententia.

23 Dicendum est primò; vnitatem genericam scientiarum accipiendam esse ex abstractione à materia: ac proindè illas scientias esse eiusdem generis, quæ habent eandem abstractionem; illas verò spectare ad diuersa genera, quæ diuersas sortiuntur abstractiones. Sic docet Angelicus Doctor pluribus in locis, & præcipuè *lib.* 6. de sensu, vbi concludit: *Necessè est, quod habitus scientiarum distinguantur secundum differentiam separationis à materia: & ideò Philosophus in 6. Metaph. distinguit genera scientiarum secundum diuersum modum separationis à materia.* Vndè hæc conclusio receptissima est inter Thomistas, quos proindè opus non est in particulari referre.

Probatur breuiter ex ijs, quæ prænotauimus: quia obiectum constituitur in esse scibilis per abstractionem à materia; scibile enim est peculiare genus intelligibilis, & intelligibile idem est, ac immateriale: ergo diuersus modus abstractionis à materia constituet diuersum genus scibilis: vndè cùm abstractio sit triplex, vt dictum est, sequitur triplex dari genus scibilium, & scientiarum. ¶ Quod autem vnitas, quam scientiæ habent ex his abstractionibus, sit tantum generica, liquidò constat: siquidem intra eandem abstractionem possunt dari scientiæ specie diuersæ, vt Geometria, & Arithmetica, quæ abstrahunt eodem modo, nempè à materia sensibili.

24 Sed obijcies: Theologia Sacra, & Metaphysica habent eundem modum abstractionis; præscindunt enim à materia intelligibili: & tamen distinguuntur genere, vt sumitur ex D. Thom. 1. *p. q.* 1. *art.* 1. *ad* 2. ergo vnitas generica scientiarum non est accipienda ex abstractione à materia.

Respondetur primò negando maiorem: quia Sacra Theologia habet modum abstractionis distinctum ab aliis, & excellentiorem illis. Metaphysica enim solum excludit à suo obiecto materiam corporalem; admittit tamen in eo realem compositionem ex actu, & potentia: at Deus, qui est obiectum Theologiæ excludit omnem potentialitatem, & materiam, etiam metaphysicam. Vndè Theologia habet speciale genus abstractionis ab illis, quæ recensuimus condistinctum. Illud tamen ideò non enumerauimus *suprà numero* 20. quia solùm agebamus de scientiis purè naturalibus, qualis non est Theologia Sacra, cum procedat ex lumine fidei. ¶ Respondetur secundo, omissis maiori, & mi-

non negando consequentiam: quoniam conclusio nostra intelligenda est de scientiis, quæ procedunt ex eodem lumine tenente se ex parte potentiæ: tunc enim quæ fuerint eiusdem abstractionis, erunt eiusdem generis, vt patet inductiuè in scientiis purè naturalibus. Theologia autem procedit ex lumine supernaturali diuinæ reuelationis: & ideò debet distingui ab omni scientia purè naturali, quantumvis cum aliqua in abstractione conueniat. Quemadmodum enim actus pertinentes ad diuersas potentias magis distinguuntur inter se, quam actus spectantes ad eandem, licèt hi habeant diuersissima obiecta: ita habitus & actus procedentes ex lumine supernaturali, magis distinguuntur ab iis quæ naturali lumini innituntur, quam actus, vel habitus, qui ex eodem lumine deriuantur: esto quod habitus naturalis, & super naturalis sint eiusdem abstractionis. Vndè cum Metaphysica, v.g. & Mathematicæ distinguantur inter se genere infimo, accepto ex diuersa abstractione; vtraque distinguitur à Theologia genere subalterno, desumpto ex altiori principio.

25 Dicendum est secundò, vnitatem specificam sciētiarum petendam esse ex vnitate specifica mediorum, seu principiorum per quæ procedunt: sortiriquè prædicta media hanc vnitatem, cùm procedant ex aliis, vel ex alterutris intra eandem abstractionem. Hæc conclusio est satis frequens inter Thomistas, & meritò; cùm eam expressè tradat Diuu. Thom. *locis suprà citatis numero* 20. & 22. Probatur ratione: quia principia, seu media eatenùs pertinent ad rationem formalem specificatiuam scientiæ, quatenus habent rationem luminis, per quod illuminatur, & cognoscitur conclusio: sed principia quorum vnum deriuatur ex alio, vel vtrumque ex altero tertio, reducuntur ad vnam, & eandem radicem luminis: ergo sunt eiusdem rationis, & speciei in ordine ad communicandum scientię vnitatem specificā. Oppositum continget, quoties principia non deriuantur ex aliis, vel ex alterutris: nam eo ipso reducentur in virtutes illuminandi diuersas, constituentquè distinctas rationes in esse scibilis, & consequenter transfundent in habitus distinctionem specificam.

Sed opponeś: principia quantitatis continuæ, quæ est obiectum Geometrię, & principia quantitatis discretæ, quæ est obiectum Arithmeticæ, deriuantur ex principiis communibus quantitatis intra eandem abstractionem, nempè à materia sensibili: & tamen hæ sciēntiæ specie distinguuntur: ergo vnitas, vel distinctio specifica scientiæ non sumitur ex vnitate, vel diuersitate specifica principiorum.

Respondetur, quod Geometria, & Arithmetica respiciunt magnitudinem, & numerum, non vtcumque; sed sub ratione mensuræ: quo pacto principia vtriusque non deriuantur ex aliis intra eandem abstractionem. Omnia enim geometrica tandem resoluuntur in punctum, sicut in primam mensuram magnitudinis; & omnia Arithmetica in vnitatem, vt in primam mensuram numerorum. Punctum autem, & vnitas in ratione mensurandi nullo modo conueniunt, nequè habent mensuram sibi communem, per quam regulentur: quia vnitas mensurat numerum; vt pars eius; punctum verò mensurat magnitudinem, vt nexus, aut terminus illius: qui modi sunt omninò disparati, nequè reuocari valent in communem aliquam radicem. Vndè ad obiectionem neganda est maior.

§. III.

Applicatur doctrina tradita singulis scientijs in speciali.

26 QVamvis doctrina hactenùs proposita adeò sit auctoritate, atque ratione munita: multum tamen roboris, & claritatis accipiet, si ex ea ostendamus colligi vnitatem, & distinctionem specificam scientiarum iuxta commune placitum Interpretum. Hoc enim erit quoddam genus inductionis, quæ intellectum benè dispositum debet conuincere, vel saltem allicere; maximè cùm in hac parte vis inueniatur efficax ratio, quæ generalis doctrinæ radicem demonstret, tùm ob defectum nostrum, cùm ob materiæ difficultatem. Vndè ille modus dicendi, aliis in hac materia præferendus est, qui traditis communiter à Doctoribus circa vnitatem, & distinctionem scientiarum probetur magis congruere. Id quod inuenitur in eo, quem cum communi Thomistarum sententia selegimus, & stabilimus, vt constabit discurrendo per singulas scientias.

27 *Theologiam sacram* distingui genere à scientiis purè naturalibus, & esse vnam in specie infima, communis sententia est in schola D. Thom. qui eam satis indicat *in Prologo sentent. quæst.* 1 *art.* 2. & 1. *p quæst.* 1. *art.* 3. Quod principiis à nobis statutis optimè respondet, & ex eis legitimè deducitur: nam vnitas generica scientiarum sumitur ab abstractione materiæ: sed Theologia habet peculiarem abstractionis modum, per quem superat scientias purè naturales, vt diximus *num.* 24. ergo distinguitur genere ab eisdem. Rursus vnitas specifica scientiæ sumitur ex principiis, quæ deriuantur ex aliis, vel ex alterutris intra eandem abstractionem: sed omnia principia Theologiæ intra propriam eius abstractionem deriuantur ex aliis, cùm omnia tandem resoluantur in diuinam reuelationem, ergo Theologia quoad omnes suas partes est vnus habitus in specie.

28 Hinc etiam deducitur *Metaph.* distingui genere à Mathematicis, & Philosophia naturali, & esse vnam in specie: quod docet D. Thom. *opusc.* 42 *cap* 3. & eisdem fundamentis probatur. Nam Metaphysica abstrahit à materia intelligibili: ergo distinguitur genere à Mathematicis, & Philosophia naturali, quæ solum præscindunt à materia sensibili, & singulari. Et cùm aliàs omnia principia, ex quibus Metaphysica procedit, resoluantur in principia entis realis, quod est obiectum illius; planè sequitur omnia esse eiusdem speciei, refunderequè in habitum vnitatem specificam.

29 Sub eodem genere collocatur *Logica*, vtpotè quę abstrahit ab omni materia sicut Metaphysica. Differunt tamen in specie: quia principia vtriusque non deriuantur ex aliis, vel ex alterutris; sed Metaphysica procedit ex principijs entis realis; Logica autem ex principijs entis rationis: quæ sunt omnino diuersa in genere scibilis, licèt deriuentur ex principijs entis in communi. Quoniam, vt optimè obseruat D. Thom. *hic lect.* 43. ex vniuersalissimis principijs entis, vt sic non potest sequi aliqua conclusio intra aliquod genus scibilis; nisi illi adiungatur aliquod principium proprium talis generis: & ideò huius principij proprij, & non illorum vniuersalium habenda est ratiò ad constituendam vnitatem obiecti in esse scibilis. ¶ Porrò Logicam esse vnicum habitum in specie infima liquidò colligitur ex dictis: quia omnia principia eius deriuantur ex alijs, vel ex alterutris intra eandem abstractionem: vt principia demonstrationis ex principijs syllogismi; & hæc ex principijs argumentationis; ista verò ex principijs propositionum, & terminorum;

norum; & tandem hæc ex principijs communibus secundarum intentionum. Quod etiam constat in definitione, diuisione, & alijs obiectis Logicæ. Ac proindè omnia in genere scibili sunt eiusdem speciei.

30 *Philosophia naturalis* distinguitur genere à Metaphysica, & Mathematicis: quia eius obiectum vendicat sibi peculiarem, & infimam abstractionem, nempè à materia singulari. Circa vnitatem verò specificam non est par omnium iudicium: sunt enim, qui asserant eam non esse vnum habitum in specie infima, secundum quod complectitur libros Physicorum, de Cœlo, de Generatione, & Anima. Sed oppositum tenendum est cum Soto *hic quæst.* 25. *&* 1. *Physic. quæst.* 2. Sanchez *lib.* 1. *Log. quæst.* 11. quos sequuntur communiter iuniores Thomistæ. Id enim apertè sequitur ex dictis: quia omnia principia Philosophiæ resolvuntur vltimò in materiam, & formam, siue in mobilitatem radicalem, quæ est ratio *sub qua* illius, vt dicemus in *lib. Physic. disp.* 1. procemiali: ergo omnia deriuantur ex alijs, vel ex alterutris intra eandem abstractionem à materia, constituuntquè consequenter vnum obiectum specificè in esse obiecti. Quod satis expressè docet D. Thom. *lib.* 6. *de sensu, & sensato lect.* 2 vbi loquitur de tota Philosophia, vt de vna scientia, librosquè Physicorum, de cœlo, & alios appellat partes illius.

Neque refert, quod D. Thom. *lect.* 41. huius libri asserat *corpus naturale* (quod est obiectum Philosophiæ) *distingui in diuersas species scibilis*. Nam ibi nomine corporis naturalis, non solùm intellexit *ens mobile*, de quo agit Philosophia; sed alia etiam entia naturalia, quæ pertinent ad Mathematicas medias, vt sonorum ad Musicam, & visuale ad Perspectiuam &c. Istæ enim scientiæ licèt mutuentur principia ex Mathematicis; concernunt tamen materiam sensibilem, & idcircò sub eodem genere collocantur cum Philosophia, vt constabit ex dicendis. Vndè ens, vel corpus naturale, vt attingitur ab omnibus his habitibus diuiditur in plures species scibilium: sed hoc vnitati specificæ propriæ Philosophiæ neutiquam præiudicat.

31 *Mathematicæ* aliæ sunt extremæ; & aliæ appellantur mediæ. Illæ agunt de quantitate abstrahendo ab omni, & sola materia sensibili: quapropter distinguuntur genere à Metaphysica, & Philosophia naturali. Sunt autem duæ nimirùm Arithmetica, quæ agit de quantitate discreta; & Geometria, quæ respicit quantitatem continuam. Eas autem specie inter se distingui concors Doctorum sententia tenet, & manifestè conuincitur ex doctrina hactenùs tradita, quam iam pro ipsis expendimus *num.* 25. Tandem vnaquæque est vna in specie atoma: quia omnia arithmetica resoluuntur in vnitatem, quæ est prima omnium mensura: & omnia geometrica reducuntur ad punctum, quod est prima mensura quantitatis continuæ: ergo principia vniuscuiusque deriuantur ex alijs, vel ex alterutris intra eandem abstractionem; & consequenter debent Arithmeticæ, & Geometriæ speciem infimam impertiri.

Mathematicæ mediæ sunt, quæ procedunt ex principijs Arithmeticæ, & Geometriæ, illaquè applicant ad materias sensibiles, vt Musica, Perspectiua, Astrologia, Machinatiua, & similes; quæ subalternantur Mathematicis extremis. De quibus asserendum est, esse eiusdem generis cum Philosophia naturali. Cuius ratio est: quia licet ex scientiæ prima principia mutuentur ex Mathematicis extremis; nihilominus id, quod simpliciter, & in recto habet rationem obiecti, & materiæ circa quam respectu illarum est materia naturalis, & sensibilis, vt sonorum in Musica, & visuale in Perspectiua; quæ solùm abstrahunt à materia singulari; sicut ens mobile, quod est obiectum Philosophiæ naturalis: ergo distinguuntur genere à Mathematicis extremis; & sunt eiusdem generis cum Philosophia naturali. Quod expressè docet Aristot. 2. *Physicor.* vbi postquam Mathematici, & Philosophi differentiam explicuit ex diuersa abstractione à materia, hæc subdit: *Hoc idem indicant, & mathematicarum facultatum hæ, quæ magis sunt naturales, vt Perspectiua, Musica, & Astrologia. Nam contra quodammodò sese habent, ac Geometria. Geometria namquè de naturali linea contemplatur; sed non vt est naturalis: Perspectiua verò Mathematicam quidem lineam considerat; at non vt est mathematica, sed vt est naturalis.* Quod etiam docet D. Thom. ibidem *lect.* 2. & in præsenti *lect.* 25. Vndè hunc modum dicendi defendunt communiter Thomistæ. Videatur Arauxo 1. *Metaph. quæst.* 5. *art.* 3. *ad* 2.

32 An autem prædictæ Mathematicæ mediæ sint duæ tantùm, an verò plures; nullus hactenùs omninò certè definiuit. Est autem satis probabile, & consentaneum principijs, quæ huc usquè statuimus, quod sicut duæ duntaxat sunt Mathematicæ extremæ: ita duæ tantum sint Mathematicæ mediæ illis subalternatæ; quamvis pluribus nominibus designentur. Alia enim est, quæ principia sumpta ex Arithmetica applicat ad materias sensibiles, ob idquè appellari potest *Arithmetica naturalis*: quæ dùm prædicta principia applicat corporibus sonoris dicitur Musica. Altera vero est, quæ ex principijs Geometriæ procedit ad alias materias sensibiles, potestquè appellari *Geometria naturalis*. Quæ prout talia principia applicat ad lineas visuales, dicitur *Optica*, seù *Perspectiua*: si ad terram *Geographia*; si ad aquam, & maria *Hydrographia*; si ad bellica instrumenta, & machinas, *Machinatiua &c.* Vndè hæc nomina non designant scientias specie diuersas, sed solùm differentes partes obiectiuas eiusdem Mathematicæ mediæ subalternatæ Geometriæ.

Ratio huius doctrinæ deducitur ex dictis: quia non potest esse noua, & diuersa species scientiæ, vbi non est distincta ratio sub qua: sed eo ipso, quod scientia procedat ex principijs v. g. Geometriæ, quantumuis illa diuersis materijs applicet, habet vnam, & eandem rationem sub qua, videlicet ipsa principia, per quæ constituitur obiectum in esse scibilis: ergo omnis scientia procedens ex illis principijs est vna in specie infima. Neque in hoc oportet plus studij insumere in præsenti: quia nostri non est singularum scientiarum species exacussim inuestigare, sed satis fuerit ea, quæ de illis frequentiùs traduntur, breuiter attigisse. Ex ijs autem non infirmum fundamentum assurgit in fauorem nostræ assertionis: nam quæ hactenùs diximus de vnitate, & distinctione scientiarum in particulari, sunt veritati, ac rationi valdè consona, & inter Doctores satis communia: sed omnia deducuntur ex regula à nobis stabilita, & ei vndequaque respondent: ergo, cum verum vero consonet, sequitur prædictam doctrinam esse omnino conformem veritati.

§. IV.

Referuntur contrariæ opiniones.

33 Tot sunt, & adeò diuersi modi dicendi circa vnitatem, & distinctionem specificam scientiarum, vt neque liceat, neque libeat singulos in particulari referre. Aliquas tamen opiniones proponemus, quæ sunt in hac parte principaliores, & doctrinæ nostræ apertiùs refragantur. Prima ergo sententia nullam scientiarum diuersitatem agnoscit; sed asserit, vnam esse omnium rerum scientiam. Ita Ægidius 1. *Metaphys.*

quæst. 12. Antonius Bern. Mirandul. *lib.* 13. *de Euersione singularis certaminis sect.* 6. & 7. Cæterum huius sententiæ falsitas apertè ostenditur: quia plura sunt obiecta essentialiter distincta, cùm ob diuersam abstractionem, cùm ob diuersa media, per quæ attinguntur: ergo etiam debet dari distinctio essentialis inter scientias, cum hæ ab obiectis speciem, & vnitatem accipiant: Vndè hic modus dicendi iam diu à schola recessit, nullumquè pro eo militat argumentum, cui non possit perfacilè occursum iri.

34 Secunda sententia præcedenti è regione opposita affirmat, tot esse scientias specie distinctas, quot sunt obiecta materialia, siue res, quæ cognoscuntur: & ita concedit plures Logicas, & Philosophias specie differentes. Ita Nominales, vt referunt Soto in proœmialibus Logicæ *q.* 3. & Masius *ibidem sect.* 1. *qu.* 15. Quibus re ipsa consentiunt Niger *quæst.* 13. Clypei. Toletus *in proœmiali*, *q.* 2 *conclus.* 2. Oña *quæst.* 1. *art.* 3. asserentes, quamlibet scientiam esse vnam genere, & plures specie: quam genericam vnitatem dicunt sufficere, vt non dicantur plures Logicæ, aut plures Geometriæ. Docent tamen, non quamlibet conclusionem constituere habitum specie distinctum, sed ad eundem habitum pertinere omnes illas conclusiones, quibus demonstrantur passiones alicuius obiecti inadæquati: v. g. in Logica omnes demonstrationes, quibus probamus passiones definitionis; constituunt vnum specie habitum: & idem est de diuisione, & alijs. Vndè tot concedunt in qualibet materia scientias specie diuersas, quot fuerint diuersæ series, & coordinationes demonstrationum.

Fundamentum est: quia vnitas, & distinctio specifica scientiarum sumitur ex vnitate, vel diuersitate principiorum, per quæ procedunt: sed Logica v. g. quæ disserit de definitione procedit per diuersa principia, ac Logica disputans de diuisione: ergo distinguuntur specie. Probatur minor: quia tunc principia in esse luminis sunt diuersa, quandò non deriuantur ex alijs, vel ex alterutris: sed principia definitionis, & diuisionis sunt huiusmodi: siquidem principia definitionis non deriuantur ex principijs diuisionis, vt patet; nequè principia vtriusque ex principijs communibus secundarum intentionum; cùm vnaquæque sint simpliciter immediata, & irresolubilia in alia priora: ergo Logica attingens definitionem, & diuisionem procedit per principia simpliciter diuersa, ac proindè nequit gaudere vnitate specifica atoma. Idemquè argumentum potest vrgeri in Philosophia attingente hominem v. g. & Leonem: cùm vtriusque principia (quæ coincidunt re ipsa cum eorum essentijs) sint simpliciter prima, & consequenter non deriuentur ex alijs, vel ex alterutris: & sic de alijs.

Respondetur, quod licèt propria principia, per quæ probantur passiones definitionis, & diuisionis sint immediata, & simpliciter indemonstrabilia, quatenùs non habent proprium *propter quid*, per quod probentur: nihilominùs verè dependent à gradu generico secundæ intentionis, sicut à communi radice. Quoniam genus est principium differentiarum contrahentium ipsum ad species: & harum passiones possunt probari per principia generica, sicut per causam remotam, & inconuertibilem. Vndè ratio generica, cui per se primò conuenit abstractio, præhabet virtualiter omnes passiones, & conclusiones, quæ demonstrari possunt, tàm de ipsa, quam de speciebus sibi inferioribus, eademquè abstractione gaudentibus. Et ideo scientia, quæ respicit per se primo illam rationem communem, potest etiam demonstrare particulares passiones specierum illi inferiorum: vt Philosophia respiciens per se primò ens naturale potest attingere hominem, & Leonem: & Logica, quæ per se primò, versatur circa secundam intentionem directiuam intellectus, descendit ad species illius, vt puta ad definitionem; & diuisionem. Ob idquè opus non est multiplicare habitus, sicut res, & obiecta inadæquata multiplicantur: maximè cum natura studeat compendio, & abhorreat superfluam multiplicitatem.

35 Sed replicabis: quia hinc sequitur, vnam esse omnium scientiam, vt prima opinio defendit: consequens est absurdum, ergo &c. Sequela ostenditur: quia omnia principia cuiuscumque obiecti deriuantur ex communi radice entis, vt sic, in quo sicut in principio vniuersali virtualiter continentur: ergo potest vnus habitus attingere per se primò hanc rationem, & posteà se extendere ad gradus inferiores, & proprietates eorum: ac proindè sicut opus non est ponere plures Philosophias, aut Logicas; ita superfluum erit ponere plures scientias.

Respondetur negando sequelam, quam probatio non euincit: quoniam, vt obseruauimus *num.* 29. principia non sortiuntur vnitatem specificam, nequè eam possunt scientiæ impertiri, nisi quatenus continentur intra eandem abstractionem: eò quod ab ista sumitur vnitas generica: & nequit dari identitas specifica inter ea, quæ genere distinguuntur. Quapropter; cùm ratio entis abstrahat ab omni materia; distinguitur genere in esse obiecti à quantitate, quæ non excludit materiam intelligibilem; & multò magis ab ente naturali, quæ materiam sensibilem concernit; & solùm præscindit à singulari; Vndè opus est, distinguere pro ijs obiectis attingendis scientias diuersas genere, & à fortiori in specie. Hoc autem non militat in ente mobili, quod est obiectum Philosophiæ, & in omnibus speciebus illius. cùm illæ contineantur sub eadem abstractione à materia singulari; & intra eam omnia principia deriuentur ex alijs, vel ex alterutris: sintquè proindè eiusdem speciei in ratione luminis, vt explicatum est. Quare superfluum esset ponere plures Philosophias naturales specie distinctas.

36 Tertia sententia docet, scientiam esse quamdam facilitatem compositam, & coalescentem ex pluribus habitibus partialibus tendentibus ad eundem finem, & attingentibus diuersa obiecta partialia: qui partiales habitus dicuntur vna scientia, non propter realem aliquam vnionem; sed per aggregationem, & subordinationem ad vnum, & idem obiectum adæquatum. Quem dicendi modum, vt immunem ab omnibus obiectionibus, quibus subiacent reliqui, sequitur Suarez *disp.* 44. *Metaph. sect.* 11. Sed planè nullus est isto inutilior, & pluribus obstrictus difficultatibus. Imò cum hic Auctor maximoperè laboret in explicando vnitatem requisitam ex parte obiecti, vt habitus ad illud ordinati censeantur vna scientia, aliorumquè dicendi modos minimi reputet, illum tandem delegit, quem licèt pluribus contenderit explicare; nugatorium tamen appellat Antonius Rubio eiusdem instituti, *quæst.* 1. *proœmiali num.* 26. vbi Suarium acriùs reprehendit.

Sed quidquid sit de hoc, falsitas huius opinionis breuiter ostenditur: quia si potentia visiua est quædam simplex, & indiuisibilis qualitas, & si feratur in obiecta adeò diuersa: eò quod attingit omnia illa sub eadem indiuisibili ratione sub qua, nimirùm luce; non est cur scientia, quæ attingit diuersas species rerum, non sit simplex qualitas: cùm respiciat omnes illas sub vna indiuisibili ratione sub qua, vt constat ex dictis: ea enim, quæ sunt diuersæ naturæ, si cognoscantur per eadem principia sunt vnum in esse scibilis, & obiecti. Quomodo autem idem habitus possit realiter intendi in se, vel extendi ad diuersas conclusiones absque reali additione partium, explicabimus in libris de Generatione; vbi hæc difficultas propriam sedem habet.

DISPVTATIO XX.

De alijs habitibus intellectus.

1 AD perfectiorem notitiam quidditatis scientiæ egit Aristot. *cap.* 26. *&* 27. huius libri, *& cap. vltimo* libri secundi de alijs habitibus intellectualibus, nempè de opinione, & solertia, & habitu principiorum. Cuius doctrinam colligere curabimus, & quæstionibus sequent. exponemus.

QVAESTIO I.

Quid sit habitus principiorum, & an distinguatur ab intellectu.

NOmine *habitus principiorum*, quem Aristot. 6. *Ethicor. cap.* 6. appellat *intellectum*, seu *intelligentiam*, intelligimus facultatem, qua propositiones vniuersales, & necessarias perfectè dignoscimus. Cuius existentia est indubitata, & admittitur ab omnibus Interpretibus: quoniam sicut ad cognoscendas propositiones vniuersales mediatas, seu per aliud notas requiritur aliqua virtus, quam appellamus scientiam: sic ad attingendas propositiones, quæ nullum habent medium, per quod probentur, ob idquè dicuntur immediatæ, seu prima principia; necessaria est aliqua facultas intellectualis, quam vocamus habitum principiorum. Tria tamen sunt non ita certa; quæ proindè ad examen reuocantur. Primum est: an hic habitus distinguatur à potentia intellectiua. Secundum: in quo consistat. Tertium: an sit inditus à natura, vel qualiter fiat in nobis. Hoc vltimum explicabimus quæstione *seq.* duo autem priora absoluemus in hac; incipiendo tamen à secundo, quod lucem præferet primo.

§. Vnicus.

Communior sententia duabus assertionibus explicatur.

2 DIcendum est primò, intelligentiam, seu habitum principiorum *esse virtutem intellectualem circa propositiones vniuersales, necessarias, immediatas, & speculatiuas*. Sic docent communiter Doctores. Vt autem conclusio perfectius intelligatur suppositis his, quæ diximus *disp. praeced. à num.* 1. obseruandum est, prima principia esse in duplici differentia. Alia sunt speculatiua, vt: *Quodlibet est, vel non est, & Totum est maius sua parte*, ijsquè similia. Quædam verò sunt practica, cuiusmodi sunt illa: *Honestè est viuendum*: *Nulli est nocendum &c.* Porrò, tam ex practicis, quàm speculatiuis alia sunt vniuersalissima, & vocantur *dignitates*: cuiusmodi sunt, quæ modo retulimus. Alia autem sunt minus vniuersalia, & dicuntur *positiones*, quia non formantur ex prædicatis communibus entis, & passionum eius: sed ex quidditatibus specierum, quæ sub illis continentur.

Hinc facilè intelligitur adducta descriptio habitus principiorum (propriè enim definiri non potest, cum sit terminus complexus.) Nam priores particulæ exprimunt genus proximum, in quo prædictus habitus, seu intelligentia conuenit cum synderesi, quæ est habitus principiorum practicorum. Vltima verò ponitur loco differentiæ: quia intelligentia versatur circa prima principia speculatiua: synderesis autem circa prima principia practica.

3 Inquires: an sufficiat vnus habitus principiorum ad attingenda omnia prima principia speculatiua, tàm vniuersalia, quàm particularia. ¶ Respondetur affirmatiuè cum communi Doctorum contra Vasquez 1. 2. *disput.* 74. *cap.* 3. & ratio est: quia vnitas, & distinctio habitus sumitur ab illius formali ratione sub qua: sed eadem est ratio formalis, sub qua omnia prima principia speculatiua attinguntur, siue dignitates sint, siue positiones: ergo sufficit vnus habitus principiorum pro omnibus illis attingendis. Minor constat: nam ratio, sub qua prima principia speculatiua cognoscuntur, est immediata connexio prædicati cum subiecto: sed in omni primo principio subiectum, & prædicatum immediatè, & per se connectuntur, aliter enim iam illud principium non erit primum: ergo eadem est ratio sub qua in omnibus primis principijs speculatiuis. Vnde è contrariò deducitur distinctio huius habitus à synderesi; quoniam ratio sub qua assentiendi primis principijs speculatiuis est immediata connexio terminorum per ordinem ad ipsam rem absolutè acceptam; ratio verò assentiendi primis principiis practicis est immediata connexio terminorum, cuius veritas non liquet ex ipsis terminis; sed accipitur per conformitatem ad appetitum rectum: quas rationes constat esse satis diuersas, refundereque proindè distinctionem essentialem in prædictos habitus.

4 Dicendum est secundò, habitum principiorum distingui realiter à potentia intellectiua. Hæc assertio est communis inter Philosophos: quam tradit Aristot. 6. *Ethicorum*, *cap.* 3. vbi numerat hunc habitum inter virtutes intellectiuas, quæ sunt veri habitus potentiæ intellectiuæ, & illi realiter superadditi; appellat tamen ipsum, *intellectum* propter suam excellentiam, vt exponit D. Thom. *lect.* 5. his verbis: *Accipitur intellectus hic non pro ipsa intellectiua potentia, sed pro habitu quodam, quo homo ex virtute luminis intellectus agentis naturaliter cognoscit principia indemonstrabilia*. Idem docet S. Doctor 2. *contra gentes c.* 78. *&* 1. 1. *quæst.* 62. *art.* 3. *ad* 4.

Ratione probatur: quoniam habitus principiorum est omninò determinatus ad verum; secus autem potentia intellectiua: ergo distinguuntur realiter inter se. Antecedens quoad secundam partem non eget probatione: liquet enim experientia, potentiam intellectiuam esse de se indifferentem ad verum, & falsum; cum hoc frequenter incurrat. Prima autem pars ostenditur: tùm aucto-

auctoritate Aristot. qui libr. 2. Posteriorum, cap. vltimo ait: *Cum autem mentis habituum, quibus verum perspicimus quidam veri perpetuò sint, vt intellectus, atque scientia; quidam interdùm falsum suscipiant, vt opinio* etc. Tum etiam, quia determinatio, et certitudo assensus scientifici deriuantur ex determinatione, et certitudine assensus principiorum: et ideo firmiùs assentimur principiis, quam conclusionibus: sed habitus scientiæ, quo attingimus conclusiones, est omninò determinatus ad verum: ergo eadem, et maiori determinatione gaudet habitus principiorum in attingendo veritatem circa prima principia. Tùm deniquè, quia nihil potest subesse habitui, nisi mediante illius formali ratione sub qua: atqui ratio formalis sub qua habitus principiorum est immediata, atque necessaria terminorum connexio, sub qua euidens est, non posse cadere falsum: ergo prædictus habitus est omnino determinatus ad verum, et nequit deflectere ad oppositum.

5 Contrariam huic conclusioni sententiam docent Valentia, et Lorca 1. 2. *quæst.* 51. *art.* 1. Et probatur: quia habitus ponitur ad tollendam indifferentiam potentiæ: at intellectus non est indifferens circa prima principia; sed ita determinatus, vt explicatis terminis, non possit non illis assentire: ergo ad horum attingentiam non indiget habitu. ¶ Confirmatur: nam ita se habet intellectus circa prima principia necessaria, sicut voluntas circa finem sibi proportionatum: sed hæc non eget habitu ad attingendum talem finem, vt docet D. Thom. 1. 2. *quæst.* 56. *art.* 6. *& quæst* 62. *articulo* 3. ergo neque intellectus ad attingenda prima principia.

Respondetur argumento, & confirmationi, quod habitus principiorum requiritur, tùm ad determinandum intellectum specialiter ad assensum principiorum, nam intellectus de se est indifferens ad assentiendum principiis, vel conclusionibus: tùm quia veritas aliquorum principiorum particularium non ita perspicuè apparet; & ideò indiget intellectus hoc habitu, vt determinetur ad verum, ne falsam incurrat cognitionem: tùm deniquè, quia intellectus in omni suo actu indiget speciebus intelligibilibus: Vndè non habet à se sufficientem determinationem, etiam circa principia vniuersalissima. Voluntas autem non requirit species ad suam operationem: cùm hæc sit pura inclinatio in obiectum: ob idquè est de se sufficienter determinata, vt feratur in finem sibi naturaliter proportionatum. Videatur D. Thom. *quæst.* 1. *de virtutibus art.* 5. *ad* 3.

QVÆSTIO II.

An habitus principiorum sit à natura inditus, vel à nobis acquisitus?

Hoc ipso, quod habitus principiorum sit virtus superaddita potentiæ intellectiuæ, vt statuimus *quæst. præced.* sequitur manifestè, ipsum non consistere in speciebus intelligibilibus rectè coördinatis, vt arbitratur Masius 2. *Poster. quæst.* 4. *conclus.* 5. Quoniam dictæ species non sunt omninò determinatæ ad cognitionem veram, neque important facilitatem, aut vim rectè iudicandi: quorum vtrumque est de ratione virtutis intellectiuæ. Præterquam quod alienum est à mente, & phrasi D. Thom. intelligere nomine habitus intellectualis collectionem specierum, nam perpetuo huius habitus nomine intelligit tertiam aliam qualitatem simplicem, qua intellectus prompte, & delectabiliter iudicat de suo obiecto, vt passim ostendet legens eius opera. Superest tamen, vt videamus modum productionis habitus principiorum: an scilicet sit comproductus ad creationem animæ; an verò comparetur per assensus intellectus possibilis; an autem acquiratur ministerio sensuū, & intellectus agentis illustratione.

§. I.

Resolutio difficultatis ex D. Thoma.

6 Dicendum est, habitum principiorum non creari simul cum anima, neque acquiri per assensus intellectus possibilis; sed produci immediatè ab intellectu agente statim, ac ministerio sensuum adsunt species intelligibiles, & ponitur notitia terminorum. Hanc assertionem docet proculdubio D. Thom. 1. 2. *quæst.* 53. *art.* 1. his verbis: *Vndè si aliquis habitus sit in intellectu possibili immediatè ab intellectu agente causatus, talis habitus est incorruptibilis, & per se, & per accidens. Huiusmodi autem sunt habitus primorum principiorum, tàm speculabilium, quàm practicorum, quæ nulla obliuione, vel deceptione corrumpi possunt. Et* 2. *contra gentes cap.* 78. inquit: *Habitus principiorum est acceptus à sensibilibus, vt probat Aristot.* 2. *Posteriorum: & sic oportet, quod sit effectus intellectus agentis.* Vndè hic modus dicendi frequentior est inter Thomistas, illumquè complectuntur Caietanus 1. *p. quæst.* 51. *art.* 1. Nazarius *q.* 58. *art.* 1. *controuers.* 1. Iauelus 2. *Metaphysic. quæst.* 1. & alij.

Probatur ratione: nam habitus iste non fit per actus intellectus possibilis, neque producitur in creatione animæ: ergo producitur immediatè ab intellectu agente. Consequentia constat à sufficiente enumeratione, & antecedens suadetur quoad primam partem: quoniam si habitus principiorum produceretur per assensus intellectus possibilis, posset per illorum repetitionem intendi, & per dissuetudinem eorundem diminui: habitus enim ex eadem causa augetur, ex qua generatur; & ex eadem diminuitur, ex qua corrumpitur, vt rectè docet Diu. Thom. 1. 2. *quæst.* 53. *art.* 2. consequens est aperte falsum: ergo, & antecedens. Probatur minor: tum ex verbis D. Thom. proximè relatis: tùm quia eandem facilitatem experimur in assentiendo primis principijs, siue illorum assensus frequenter repetamus, siue per longum tempus ab eorum exercitio cessemus.

7 Secunda eiusdem antecedentis pars etiam ostenditur: tum quia prædictus habitus producitur experimento, & memoria, vt docet Aristot. 2. *Posteriorum*, *cap. vltim.* Tùm etiam quia si intellectus humanus haberet hunc habitum à principio, non esset pro tunc in pura potentia, & tanquam tabula, in qua nihil est depictum: consequens est contra Aristot. 3 *de Anima text.* 14. & contra communem doctrinam interpretum: ergo. Tùm deniquè, quia natura non communicat à principio, ea, quæ pro tunc non sunt necessaria, & possunt, cum necessaria fuerint, propria actione acquiri: sed habitus principiorum non est necessarius ante vsum rationis; & potest tunc, interueniente ministerio sensuum, produci per actionem intellectus agentis: ergo non producitur, cum anima creatur.

Confirmatur: quia habitus principiorum est partim inditus à natura, & partim acquisitus, vt expressè docet D. Thom. 1. 2. *qu.* 51. *art.* 1. & est satis communis modus loquendi inter Doctores: ergo non creatur simul cum anima, neque producitur per assensus intellectus possibilis; sed producitur immediatè ab intellectu agente, supposito debito exercitio, & experimento sensuū, medio quo acquiruntur species intelligibiles. Patet consequentia: nam si prædictus habitus esset animæ con-

creatus, esset totaliter à natura, non secùs ac ipsa potentia intellectiua: si autem produceretur per assensus intellectus possibilis, esset totaliter acquisitus, non minùs quam scientia, vel opinio. Restat igitur, quod producatur ab intellectu agente, supposita debita sensuum experientia, & acquisitione specierum intelligibilium: quia eo ipso erit partim à natura, quatenùs naturæ animæ rationalis debitum est, vt posita explicatione terminorum, & ante omnem discursum habeat hunc habitũ, quo perfectè iudicet de primis principiis. Et erit partim acquisitus, quia non resultat immediatè ab essentia animæ, neque producitur cum illa; sed expectat aliquem temporis tractum, & experimentum sensuum: & tunc ab intellectu agente producitur.

§. II.

Satisfit argumentis contrarijs.

8 Contra nostram conclusionem duplex militat sententia. Prima docet, habitum principiorum nullo modo esse naturalem, sed acquiri per actus intellectus possibilis, quibus primis principijs assentitur. Ita Rubio *hic tractatu de habitu principiorum numer.* 14. Quam sententiam probat primò expresso, vt inquit, testimonio Arist. *cap. vlt. huius secundi libri*, vbi loquens de habitu principiorum ait: *Neque itaque insunt determinati habitus, neque ab alijs habitibus fiunt notioribus; sed assensu*: sed assensus est proprius actus intellectus possibilis: ergo prædictus habitus fit per actus huius potentiæ.

Sed ad hoc facilè occurret, qui legerit textum: quem planè corrupit relatus Auctor addita vna litera. Ibi enim non legitur *assensu*; sed *à sensu*, vt habent omnes translationes, & legunt D. Thom. & alij interpretes. Ideò autem dicitur fieri *à sensu*: quia non producitur ab intellectu agente, nisi præuio vsu, & aliquali experimento sensuum. Vndè hæc auctoritas debet in Rubium retorqueri: quem mirum est in re adeò clara deceptum fuisse.

9 Secundò arguit: nam ideò scientia, & alij habitus naturales non producuntur in creatione, sed relinquuntur nostra industria comparandi, quia non requiruntur ad simpliciter posse; sed solùm ad faciliùs operandum: horret enim natura superfluum, ob idque nunquam impertitur ea, quæ valemus proprijs actibus obtinere: sed habitus principiorum non requiritur simpliciter ad cognitionem principiorum, sed dumtaxàt ad eam faciliùs eliciendam: ergo non communicatur à natura. Minor constat: quoniam prædictus habitus est naturalis, de cuius ratione est, quod præstet solam facilitatem. Maximè cùm prima principia sint veritates quædam naturales, & valdè notæ, quæ proindè non excedunt vires potentiæ intellectiuæ, sed earum assensus est illi admodum connaturalis.

Respondetur, habitum primorum principiorum esse seminarium omnis cognitionis, & industriæ intellectiuæ: ac proindè non posse acquiri per assensus, siue industriam intellectus possibilis. Dependet tamen in sui acquisitione à nostra industria, & labore: quia non est inditus à natura: sed producitur immediatè ab intellectu agente, medio vsu, & experimento sensuum: experimentum quippè aliqualem industriam denotat. Et ideo hic habitus partim est à natura, & partim à nobis, vt explicatum est; neque habitui, qui est seminarium cognitionis intellectiuæ, potest alius productionis modus competere.

10 Secunda sententia præcedenti extremè opposita defendit, habitum principiorum esse omninò à natura inditum intellectui, & cum ipso in creatione animæ comproductum. Ita Conradus, & Medina 1. 2. *q.* 51. *art.* 1. Bañes 1. *p. q.* 1. *art.* 6. *notabili*, & alij. Quibus plurimùm fauet D. Thom. *in* 3. *dist.* 24. *q.* 3. *art.* 2. ad primum, vbi hęc habet: *Habitus infusus similis est habitui innato: quia sicut naturalis habitus datur in creatione, ita infusus in reparatione. Naturalis autem sicut intellectus principiorum, indiget vt cognitio determinetur per sensum, quo acquisitus non indiget.* Et 1. 2. *q.* 94. *art.* 1. *ad* 3. concedit, habitum principiorum esse in puero ante vsum rationis, licèt nequeat eo vti ob defectum ętatis. Et denique pluribus in locis, quę passim quisquam offender, appellat S. Doctor hunc habitum naturalem, seu à natura inditum.

Sed certè, cùm expressam habeamus mentem Diu. Thom. in testimoniis pro nostra assertione adductis; non multi negotij erit ea, quę nobis opponuntur, exponere, ac diluere. Ad primum dicimus sensum D. Thom. esse causalem: verificatur enim habitum principiorum produci cum anima; quatenùs in creatione animæ accipit homo lucem intellectus agentis, à quo prædictus habitus, posita notitia terminorum, & pro tempore debito naturaliter resultat. ¶ Ad secundum respondemus, non esse necessarium perfectum vsum rationis, ad assequendum habitum principiorum: nam vt hic virtute intellectus agentis in puero resultet satis est quod sint in illo aliquæ species intelligibiles, simul cum aliquali experientia sensuum, & notitia terminorum: quæ omnia pręuenire possunt vsum rationis perfectum, de quo loquitur D. Thom. Appellat autem hunc habitum inditum, aut naturalem in sensu exposito §. *praced.*

Deindè arguitur; quoniam hic habitus est seminarium totius intellectiuæ cognitionis: sed in aliis naturis naturalia semina præexistunt; & insunt eis: ergo pariter hic habitus naturaliter inest homini, vt collatus à natura. ¶ Confirmatur: quia facilitas, & promptitudo est signum habitus: sed cùm primum proponitur hoc principium: *Totum est maius sua parte*, promptè, & faciliter assentimur ei, vt constat experientia: ergo ante illum præexistebat habitus, qui proindè erat inditus à natura.

Sed ad hæc iam constat ex dictis: quoniam vt habitus principiorum sit seminarium totius cognitionis sequentis, & præueniat omnem assensum intellectus possibilis, sufficit esse naturalem modo explicato: vndè tàm argumentum, quàm confirmatio firmat nostram assertionem.

QVÆSTIO III.

De quibusdam alijs habitibus intellectus.

Disserit Aristot. *cap.* 26. *&* 27. huius primi libri de opinione, & solertia: quibus alij in præsenti annectunt sapientiam, & fidem. Nos autem in horum habituum declaratione breuiter, & resolutoriè procedemus: quia hæc materia potiùs expositione indiget, quam disceptatione.

§. I.

Declaratur quid sit sapientia, & opinio.

11 Aristot. in fine huius libri expressè remittit sapientiæ notitiam, & disputationem ad Metaphysicam: & ideò nos in præsenti illam ex professo non agitamus; sed ea tantùm perstringemus, quæ necessaria

factæ fuerint, vt percipiatur distinctio scientiæ, & sapientiæ. Hæc enim notitia proculdubiò requiritur ad intelligendam diuisionem habitus intellectualis infrà proponendam. Ad cuius lucem, pluribus dicendi modis omissis, obseruandum est, quod scientia potest sumi dupliciter: vno modo in tota sua latitudine, quo pacto dicit cognitionem rei per causam, præscindendo ab hoc, quod illa sit altissima, vel inferior. Alio modo sumitur scientia pro cognitione rei per causam determinatè inferiorem, quæ est frequentior acceptio illius. Sapientia igitur quæ est cognitio rei per causam determinatè altissimam, & superiorem, non diuiditur contra scientiam priori modo acceptam, vt oppositum, contra oppositum, cùm sit quædam species illius, vt patet in Theologia, & Metaphysica, quæ sapientia sunt, & tamen acquiruntur per demonstrationem, in quo propria ratio scientiæ nostræ consistit. Diuiditur autem hoc pacto sapientia contra scientiam sumptam secundo modo, siue prout significat speciem ignobilissimam sui generis: qui a comparantur inter se sapientia, & scientia, vt species perfecta, & minùs perfecta intra idem genus.

Quam doctrinam desumpsimus ex Ang. Doctore 1. 2. q. 57. *art. 2. ad primum*, *& opusc. 70. quæst. 2. art. 2. ad primum*, vbi inquit: *Sapientia non diuiditur contra scientiam, sicut oppositum contra oppositum; sed quia se habet ex additione ad scientiam. Est enim sapientia, vt dicit Philosophus 6. Ethicorum caput omnium scientiarum regulans omnes alias*, &c. *Scientiæ verò nomen alijs inferioribus relinquitur*. Consuetum est enim nomen generis applicari ignobiliori speciei; nobilissimam verò peculiari voce insigniri. Quod contingit in præsenti: nam scientia, quæ per altissimas causas procedit ad suas conclusiones, vendicat sibi speciale nomen, atque appellatur sapientia; relinquendo alijs speciebus ignobilioribus nomen commune sui generis.

Cùm autem per resolutionem ad causas altissimas habeatur iudicium vniuersale, hinc prouenit, quod sapientia non solùm iudicet de conclusionibus, vt aliæ scientiæ; sed etiam de primis principijs, tàm proprijs, quàm aliarum scientiarum, & ideò est virtus præstantior illis, vt docet Aristotele 6. *Ethicor. cap.* 7. Quod non est ita accipiendum, quasi sapientia sit compositum quoddam ex habitu principiorum, & scientia, vt putauit Scotus *in 3. dist.* 35. *quæst.* 1. Sic enim sapientia non aliud foret, quam aggregatum, & ens per accidens. Sed sensus est, quod licèt per habitum sapientiæ non assentiamur primis principijs; per illum tamen explicamus dicta principia, & possumus ab impugnatoribus ea defendere: ad quod non pertingit ipse habitus principiorum, quem proindè sapientia ex hac parte excedit. Sicut etiam præcedit dignitate scientias: quia eæ tantùm attingunt conclusiones; sapientia autem reflectitur etiã suprà principia, ea explicans, & defendens: propter quod Aristot. eam vocat scientiarum caput. Et hæc de sapientia satis fuerit delibasse.

12 Veniamus ad opinionem: quam esse in nobis experimentum ipsum probat, & conuincit. Nemo quippè est, cui non liquido cõnstet se frequenter pluribus propositionibus determinatè assentiri, cum formidine partis contrariæ: in quo sita est ratio assensus opinatiui. Est enim opinio, vt sumitur ex Aristot. *cap. 26. huius primi libri*, & ex D. Thom. 1. *p. q.* 79. *art.* 9. *ad* 4. *Assensus determinatus vnius partis contradictionis cum formidine alterius*. In qua definitione ly *assensus*, ponitur loco generis, in quo conuenit opinio cum suspicione, & scientia. Sed per ly *determinatus* differt à suspicione, & dubio: quia dubitans nulli parti præstat assensum; sed manet suspensus, & anceps: suspicans verò, licèt magis propendat in vnam partem: adhuc tamen non assentitur illi determinatè, quia mouetur ex leuibus indicijs: opinans autem assentitur ex fortioribus, & ideò vni parti determinatè adhæret. Deniquè per vltimam particulam, *cum formidine* distinguitur opinio à scientia: eò quod sciens intuetur euidenter connexionem terminorum, & sic nullam in assentiendo patitur formidinem: cuius contrarium contingit in opinante, vt magis constabit ex dicendis.

Obseruat autem Aristot. *loco citato*, quod sicut circa propositiones necessarias est duplex habitus certus, alter circa propositiones immediatas, & per se notas, qui est habitus principiorum; alter verò circa mediatas, qui appellatur scientia: ita circa propositiones contingentes, id est, quæ aliter se habere possunt, debet duplex habitus opinatiuus distingui. Alter namquè est, qui versatur circa propositiones contingentes mediatas, id est, quæ per alias probari possunt. In quo cùm non procedatur in infinitum, nequè deueniatur per se ad propositiones necessarias; quia ex necessario non sequitur contingens, deueniendum est ad alias propositiones per se contingentes, primas, & immediatas, quibus assentiatur intellectus propter ipsam extremorum, licèt contingentem, immediatam tamen connexionem: & consequenter assignandus est alius habitus opinatiuus circa prædictas propositiones. Differunt autem prædicti habitus ex parte materiæ, & rationis *sub qua*, eo proportionali modo, quo habitus principiorum, & scientia: qui enim correspondet habitui principiorum est: *Acceptio propositionis contingentis, & immediatæ*: ille autem, qui correspondet scientiæ, est: *Acceptio propositionis contingentis mediatæ*. Quarum descriptionum sensus satis liquet ex dictis.

13 Dupliciter autem contingere potest, quod opinio versetur circa propositionem contingentem, vt rectè obseruat D. Thom. *loc. cit. lect.* 44. Vno modo per se, quod contingit, quandò propositio est contingens ab intrinseco, qualis est ista: *Homo currit*. Nam circa propositiones istas versatur opinio omninò per se: quia illarum formido, & contingentia non oritur ex parte subjecti cognoscentis; sed ex parte obiecti cogniti, cui ab intrinseco repugnat certitudo. Alio modo per accidens: quod contingit, quandò propositio est ab intrinseco necessaria; non tamen penetratur hæc necessitas ab opinante. Tunc enim, cùm formido oriatur solùm ex cognoscente; non verò ex obiecto; generatur per accidens opinio.

Quod potest contingere multipliciter: nam opinio per accidens generatur primò; quandò per medium probabile cognoscitur conclusio necessaria ab eo, qui nondum habet scientiam illius. Secundò, quandò cognoscitur per medium, quod re ipsa est contingens; iudicatur tamen necessarium. Tertiò, quandò cognoscitur per medium re ipsa necessarium, quod tamen apprehenditur, vt contingens. Quartò, deniquè, cùm conclusionem necessariam cognoscimus per medium necessarium, & cognitum, vt necessarium; non tamen euidenter, Sed dumtaxàt probabiliter. In omnibus his casibus nequit generari scientia, sed solum acquiritur opinio: quoniam scientia habet rationem boni; opinio verò rationem mali: & idcircò illa non consurgit, nisi ex integra causa; hæc verò generatur ex quocumque defectu.



§. II.

Fides, & solertia describuntur, & proponitur diuisio habitus intellectualis.

14 Opinioni affinis est fides: & ideò solent aliqui in hoc loco de illa disputare, quamuis eius non meminerit Aristot. in præsenti. Nos autem ea præcisè, & breuiter attingemus, quæ necessaria videntur ad aliqualem fidei notitiam comparandam. Dicimus ergo, fidem esse assensum determinatæ partis propter testimonium dicentis: quod si fuerit diuinum, erit fides supernaturalis; si autem sit creatum, erit fides naturalis. Vndè apparet distinctio fidei ab opinione, & scientia: ab opinione quidem, quia hæc cùm sit immediata, assentitur principiis propter ipsam connexionem extremorum; si verò fuerit mediata, assentitur conclusionibus per discursum: fides autem non innititur connexioni terminorum, vel discursui; sed soli extrinsecæ authoritati testificantis. A scientia verò differt: quoniam hæc affert secum claritatem, & euidentiam, quæ tamen repugnat fidei propter sibi annexam obscuritatem iuxta illud Apostoli *ad Hebræos 11. Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Videatur D. Th. 2. 2. *à quæstione prima:* quò lectorem remittimus, vt plenam fidei notitiam assequatur; quam intempestiuè induceremus in præsenti.

15 Tandem solertia, vt sumitur ex Aristot. *in hoc libro primo, capite vigesimo septimo; Est subtilis, & bona coniectatio medij, propter quod aliquid euenit, in tempore admodum breui.* Vt si quis videns illam partem Lunæ, quæ conuertitur ad solem, lucidam esse; statim perciperet propter quid hoc sit, nempè, quia illuminatur à sole. Quod aliis pluribus exemplis declarat Aristot. vt ostenderet, ait D. Thom. *ibidem*, solertiam inueniri posse in diuersis habitibus intellectualibus, tàm speculatiuis, quo pacto reducitur ad scientiam; quam practicis, secundum quam rationem est pars integralis prudentiæ, vt traditur 2. 2. *q.* 49. *art.* 4.

16 Ex dictis sequitur primò, opinionem, fidem humanam, atque solertiam non esse virtutes intellectuales, quod docent Aristot. 6. *Ethicor. cap.* 3. & D. Thom. *ibidem lect.* 3. *&* 2. 2. *q.* 4. *art.* 5. & pluribus aliis in locis. Ratio est manifesta: quoniam de ratione virtutis intellectualis est, quod verum semper, & infallibiliter attingat; sicut virtus moralis est, quæ bonum semper amplectitur: sed hoc non conuenit opinioni, cùm attingat obiectum contingens, cui potest subesse falsum; neque fidei humanæ, siquidem hæc innititur testimonio humano ab intrinseco fallibili; neque solertiæ, quippè cum ista procedat ex signis, & coniecturis, non quidem maturè perspectis, sed subitò cognitis, falsum frequenter incurrit: ergo omnes hæ qualitates intellectuales deficiunt à perfectione virtutis.

17 Infertur secundò; qualiter possit saltem rudi Minerua, ordinari diuisio habitus, seu virtutis intellectualis. Primò enim diuiditur in habitum, qui immediatè versatur circa singularia; & in eum, qui immediatè versatur circa vniuersalia. Primus necessariò est practicus: eo quod singularia possunt directè, & per se operari; non autem cognosci: diuiditurquè in prudentiam, & artem. Prudentia iterum diuiditur in Monasticam, Oeconomicam, & Polyticam. Sub arte quatuordecim communiter numerantur: septem liberales, & septem seruiles. Liberales continentur hoc carmine.

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra.

Lingua designat *Grammaticam*, tropus *Rethoricam*, ratio *Dialecticam*, numerus *Arithmeticam*, angulus *Geometriam*, tonus *Musicam*, & astra *Astronomiam*. Ex quibus quinque posteriores sunt verè scientię. Artes autem seruiles complectitur hic versus:

Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber.

Rus significat *Agriculturam*, nemus *artem venatoriam*, arma *militarem*, rates *naualem*, vulnera *chirurgicam*, lana *textoriam*, & similes, faber *fabrilem*, quæ in alias plures diuiditur.

Rursus habitus, qui versatur circa vniuersalia, diuiditur in habitum circa principia, & in eum, qui attingit conclusiones, & appellatur scientia. Habitus principiorum alius est circa principia speculatiua, & vocatur *intelligentia*: alius est principiorum practicorum, & dicitur *synderesis*. Deindè scientia partitur in eam, quę procedit lumine diuinę reuelationis, nempè *Theologiam*, & in eam, quę procedit ex principijs lumine naturali notis. Quę rursus diuiditur in practicam, & speculatiuam. Sub practica continentur *Philosophia moralis*, & *Medicina*. Speculatiua verò diuiditur in tria genera, iuxta triplicem abstractionem à materia, quam explicuimus *quæst. præced.* & vnumquodque genus comprehendit species, quas ibidem recensuimus. Videatur D. Thom. *opusc.* 70. *quæst.* 5. *art.* 1. vbi latè materiam istam prosequitur, & illustrat.

QVÆSTIO IV.

An de eodem obiecto possint esse simul scientia, & opinio.

18 Non ambigimus, quod de eadem re incomplexa, seu de eodem subiecto, secundum diuersa prędicata possit esse scientia, & opinio; hoc quippè manifestum est esse possibile; cùm sciamus v. g. hominem esse risibilem, & opinemur, an sit Philosophus. Vndè difficultas solùm procedit de scientia, & opinione circa idem simpliciter, hoc est, circa idem subiectũ, & secundum idem prędicatum, in eodem intellectu, & in eodem tempore. In diuersis enim hominibus, aut in eodem secundum diuersa tempora, certum etiam est posse inueniri scientiam, & opinionem de eadem propositione. De qua pariter supponimus esse impossibilem scientiam, & opinionem secundum eandem rationem formalem, seu secundum idem medium: implicat enim eundem syllogismum esse simul demonstratiuum, & topicum, & consequenter, quod ex eisdem pręmissis simul habeatur cognitio sciẽtifica, & opinatiua eiusdem conclusionis. Quare sensus quęstionis est: an de eadem propositione necessaria (contingenti quippè repugnat ab intrinseco terminare assensum scientificum) possit homo simul habere scientiam, & opinionem per diuersa media. C[illegible] autem scientia, & opinio possint sumi, vel pro actibus, vel pro habitibus: in vtraque acceptione discutiemus hanc difficultatem.

§. I.

Statuitur Thomistica, & vera sententia.

19 Dicendum est primò, quod de eadem propositione nequeunt esse simul actus scientiæ, & opinionis. Sic docet Aristot. *in hoc lib.* 1. *cap.* 26. iis verbis: *Ex his autem emergit fieri non posse, vt simul idem opinetur quisquam, ac sciat: quia simul existimationem haberet, & aliter, & non aliter idem sese habere quod*

quod quidem fieri nequit. Quæ sic elucidat D. Thom. *ibidem*: *Sic ergo ex dictis manifestum est, quod non contingit idem omninò simul scire, & opinari: quia simul homo haberet existimationem, quod posset aliter se habere, & quod non posset aliter se habere*, &c. Idem tradit S. Doct. 2. 2. q. 1. a. 5. ad 4. vbi ait: *De eodem secundum idem non potest esse simul in vno homine scientia, neque cum opinione, neque cum fide. Alia tamen, & alia ratione. Scientia enim cum opinione simul esse non potest simpliciter de eodem: quia de ratione scientiæ est, quod id, quod scitur, existimetur esse impossibile aliter se habere: de ratione autem opinionis est, quod id, quod est opinatum, existimetur possibile aliter se habere*. Quæ loca ad minùs procedunt de opinione, & scientia, quantùm ad actus. Vndè hanc sententiam defendunt communiter Thomistæ: imò, & alij Doctores: quorum plures refert, & sequitur Gallego in præsenti, *controuers*. 32.

Probatur ratione desumpta ex Aristot. & D. Thom. quæ potest ita disponi: quia ea, quæ habent prædicata repugnantia, & opponuntur inter se priuatiuè, vt visus, & cœcitas, nequeunt esse simul in eodem subiecto, vt ex se liquet: sed ita se habent actus scientiæ, & opinionis circa eandem conclusionem: ergo non possunt iungi in eodem intellectu. Probatur minor: tùm quia de ratione scientiæ est certitudo, seu firma adhæsio intellectus suo intelligibili; de conceptu verò opinionis est formido partis contrariæ: at formido essentialiter importat carentiam certitudinis; qui enim formidat non est certus, aliàs non esset cur formidinem subiret: ergo opinio, & scientia opponuntur priuatiuè. Tùm etiam: quoniam de ratione scientiæ est, quod id, quod scitur, existimetur esse impossibile aliter se habere; de ratione autem opinionis est, vt id, quod opinatur existimetur possibile aliter se habere: constat autem, quod impossibile, & possibile opponuntur contradictoriè; cùm idem sit impossibile, ac non possibile: ergo actus scientiæ, & opinionis de eodem important prædicata omninò repugnantia.

Respondebis, iis conuinci intentum respectu assensus scientifici, & opinatiui, quandò tendunt ad eandem conclusionem, & per idem medium; secùs verò si attingant illam per media diuersa.

Sed contra primò: quia licèt intellectus feratur in propositionem per diuersa media; in ipso tamen consequenti assentitur illi absolutè sumptæ; & non prout præcontinetur in medio, seu causa: hoc enim expostulat forma syllogystica, quæ consistit in eo, quod intellectus videns duas extremitates vniri cum quodam tertio, iudicet eas vniri absolutè inter se: atqui repugnat intellectum absolutè iudicare, quod idem prædicatum conuenit contingenter subiecto; & quod conuenit non contingenter, sed necessariò: ergo neque per diuersa media potest intellectus simul assentiri scientificè, & opinatiuè eidem propositioni. ¶ Secundò: quoniam, quæ opponuntur priuatiuè vt lux, & tenebræ, nequeunt esse simul in eodem subiecto; tametsi inducantur per diuersas causas, aut media; sed opinio comparatur ad scientiam, sicut tenebræ ad lucem: eò quod, etsi positiuum aliquid sit, includit tamen carentiam certitudinis, quam importat scientia: ergo. ¶ Tertiò: nam alias possent esse simul assensus scientificus, & erroneus eiusdem conclusionis, si elicerentur per diuersa media: sed hoc est manifestè falsum, siquidem error comparatur ad scientiam, sicut tenebræ ad lucem: ergo cùm hæc ratio militet etiam in actibus scientiæ, & opinionis, vt dictum est; sequitur esse impossibiles in eodem intellectu circa eandem conclusionem, quantumuis ex diuersis medijs processerint.

20 Dicendum est secundò, habitus scientiæ, & opinionis de eadem propositione non posse esse simul in eodem intellectu. Sic docent communiter Thomistæ, quos proindè superuacaneum est singulatim referre. Videatur Sanchez *lib. 7. quæst.* 13. & Rua *tom. 1. Controuersiarum controuers. 1. Scholastica*. Probatur breuiter ex his, quę hactenùs diximus: quoniam incompossibilitas habituum desumitur ex eorum actibus, vtpotè à quibus speciem, & conditionem desumunt: sed repugnat esse simul actus scientię, & opinionis respectu eiusdem propositionis: ergo idem etiam repugnat eorum habitibus.

Confirmatur, & explicatur: quia sicut actus specificatur per obiecta, ita habitus proximè, & immediatè speciem capit ab actibus: ob idquè idem debet habere habitus in actu primo; quod habet illius operatio in actu secundo: ergo si actus opinionis, & scientiæ, sunt ex natura sua incompossibiles, quatenùs versantur circa idem obiectum; eadem incompossibilitas, atque repugnantia debet conuenire habitibus, prout inclinant ad prædictos assensus, & se explicant in illos.

§. II.

Enodantur argumenta opinionis aduersæ.

21 Oppositam sententiam quantum ad habitus scientiæ, & opinionis amplectitur Durandus *quæstio. 1. Prologi num.* 13 cui consentiunt Valentia *tom. 3. disp. 1. quæst. 1. punct. 4. §. 2.* Salas 1. 2. *q.* 56. *disput. 6. sect.* 5. Hurtado *disp. 10. de Anima sect.* 5. & alij recentiores extra scholam D. Thomæ. Quam probant testimonio S. Doctoris *in 3. dist. 31. q. 2. art. 1. quæstiunc. 1. ad 4.* vbi inquit: *Opinio, & scientia quamvis sint de eodem, non tamen secundum idem medium, sed secundum diuersa: & ideò possunt esse simul: sed fides, & visio patria sunt de eodem, & secundum idem medium; & ideò perfectio unius non patitur imperfectionem alterius.* Idem satis insinuat 3. *p. q. 9. art. 3. ad 2.* vbi docet, quod *acquisita scientia, potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum dialecticum, quasi consequens scientiam demõstratiuam, quæ est per causam*.

Respondetur primò ad auctoritatem ex *lib. sentent.* D. Thomam mutasse sententiam: quia in alijs locis, vbi versat hanc quæstionem, manifestè tenet oppositum: & argumentum (cui ibidem respondet concedendo scientiam, & opinionem posse esse simul; non verò scientiã, & fidem) alijs in locis dissoluit respondendo vtrumque esse impossibile, vt videre est *loc. citato ex* 2. 2. & *quæst.* 14. *de veritate art. 9. ad* 6.

Respondetur secundò cum Caietano *loco citato ex* 3. *parte*, opinionem sumi dupliciter: vno modo propriè, & adæquatè: quo pacto dicit assensum positiuè formidolosum, & excludentem ex parte subiecti euidentiam circa suum obiectum: alio modo impropriè, & inadæquatè, qua ratione solùm dicit cognitionem probabilem, quæ ex se non pertingit ad euidentiam, neque tamen affert in exercitio formidinem; sed ab vtroque præscindit: appellaturque cognitio dialectica. Igitur D. Thom. in auctoritate opposita nomine opinionis intelligit cognitionem dialecticam, quæ potest esse simul cum ipsa scientia, & ad illam adquisitam consequi, vt expressè docet S. Doctor loco allegato. *ex 3. parte* (per quod occurrimus illi) quæ cognitio verè non est opinio: quia intellectus iam non iudicat prædicatum conuenire contingenter subiecto; sed est cognitio perfectior opinione: quæ tamen, quia procedit per medium probabile, non pertingit ad perfectionem cognitionis scientificæ.

22 Secundò probatur hæc opinio: nam ille, qui habet

bet habitum opinionis valdè intensum circa vnam propositionem, si inueniat eius demonstrationem acquirit scientiam illius: sed non ob id amittit statim præexistentem habitum opinionis: ergo hæc potest esse simul cum scientia eiusdem obiecti. Suadetur minor: quoniam non apparet, à quo illicò destruatur ille habitus opinionis, cum sit valdè intensus, & scientia denuò acquisita possit esse valdè remissa: habitus autem remissus non statim expellit intensum, vt constat in eo, qui habet habitum intemperantiæ maximè intensum, ob idquè non amittit eum, vbi primò acquirit habitum temperantiæ: sub esse remisso. Confirmatur: quia supposita scientia alicuius conclusionis, adhuc possumus per media probabilia tendere in illam: sed hic assensus non potest non elici ab habitu opinatiuo, cùm non sit assignabile aliud principium illius: & debet generare habitum opinionis, cùm ab intrinsecò sit potens ad eum generandum: ergo potest opinio iungi cum scientia eiusdem obiecti.

Respondetur ad argumentum negando minorem: quoniam habitus scientiæ, quantumuis remissus, est magis firmus ex natura sua, quam quælibet opinio; siquidem hæc ab intrinsecò importat infirmum assensum, atquè adhæsionem debilem ad obiectum. Præterquam quod inter priuatiuè opposita respectu determinati subjecti non datur medium: quare sicut ob hanc rationem tenebræ totaliter excluduntur per lucem, & è contra: ita scientia statim abijcit opinionem. Cùm enim assensus scientificus omninò certificet, & conuincat intellectum circa suum obiectum; non relinquit in eo partis contrariæ vllam formidinem, aut timorem: & sic destruit opinionem. Per quod satis constat ad instantiam temperantiæ, & intemperantiæ: hæ namquè non sic opponuntur priuatiuè; sed magis contrariè: & alias per vnum actum non generatur in voluntate habitus virtutis; cùm ratio nequeat superare eam vno actu, nequè proponere illi omnes rationes, & motiua diligendi aliquid.

Ad confirmationem neganda est minor: dicimus enim assensum illum; quo quis post acquisitam scientiam alicuius conclusionis, assentitur eidem per media probabilia, elici immediatè, vel ab ipsa potentia intellectiua, vel ab habitu scientiæ, cui non repugnat sese extendere secundariò ad actus probabiles: quod satis expressit D. Thom. *loco supra citato ex 3. parte* dicens: *Ille, qui cognoscit causam, ex hoc etiam magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit dialecticus syllogismus.* Non tamen generatur aliquis habitus opinatiuus per hos assensus: quoniam supponunt scientiam, quæ tali habitui obstat, & repugnat. Plerumquè enim actus ex se sufficiens ad producendum habitum, vel alium effectum, prohibetur ab eius productione: vel quia illum supponit productum, vel ob aliud impedimentum ibi concurrens.

23 Tertiò, & vltimò arguitur: quia non minùs repugnat scientia fidei, quam opinioni, cùm scientia afferat claritatem, & fides sit essentialiter obscura: sed scientia, & fides eiusdem propositionis possunt esse in eodem intellectu: ergo scientia, & opinio. Probatur minor: tùm in Philosopho Christiano, qui simul habet scientiam, & fidem huius veritatis: *Deus est*: Tùm in D. Paulo, qui vidit in raptu essentiam diuinam, & alia mysteria fidei: & tamen tunc simul conseruauit fidei habitum, vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 175. *art.* 3. *ad* 3.

Huic argumento, quod non est huius materię, sed spectat ad 2. 2. vbi tractatur à Theologis breuiter respondetur negando minorem. Ad cuius primam probationem dicendum est, eum, qui habet euidentiam illius propositionis, *Deus est*, non habere fidem illius, nisi in animi pręparatione: quę stante dicta euidentia, nequit ad actum secundum reduci. Euadit tamen assensus scientificus firmior, & certior propter coniunctionem ad finem. Videatur Bañez 2. 2. *qu.* 1. *art.* 5. ¶ Ad secundam, pluribus modis dicendi relictis: respondetur cum Caietano *loco proximè citato ex* 2. 2. quod licèt D. Paulus viderit diuinam essentiam; non tamen vidit omnia mysteria fidei. Quod colligitur ex eo, quòd ignorabat, an esset in corpore, an extra illud. Vndè potuit in eo remanere virtus fidei per ordinem ad illas veritates, quas non videbat; respectu verò aliarum, quas intuebatur, solùm habebat fidem in animi pręparatione, vt modo diximus de Philosopho Christiano. Quod sufficit, vt verificetur, quod scientia, & fides eiusdem propositionis nequeunt coniungi in eodem intellectu.

Addunt Caietanus 1. 2. *q.* 67. *art.* 5. & Medina *ibidem art.* 3. pędictum actum visionis communicatum fuisse D. Paulo transeunter. Quamvis autem omninò repugnet habitus; vel actus scientię, & fidei esse simul permanenter, seu in esse completo respectu eiusdem obiecti: quia denominarent subiectum simpliciter videns, & non videns, quod implicat: nihilominùs non sic apparet hęc contradictio, quandò actus visionis confertur transeunter, & per modum motus: nam tunc non denominat simpliciter subiectum. Et plura sunt, quę nequeunt recipi permanenter in subiecto; possunt tamen illi communicari transeunter, vt de virtute productiua gratię respectu Sacramentorum docet D. Thom. 3. *p.* *q.* 62. *art.* 4. Quam solutionem ille, & alij Theologi latiùs prosequuntur; nobis autem, qui Logicum agimus, eam insinuasse sufficiat. Et hęc de libris Posteriorum, & de tota Logica: quę sint in laudem, & gloriam sanctissimę Trinitatis, Beatissimę Virginis Marię de monte Carmeli, atque Angelici Doctoris, & Doctoris nostri D. Thomę: cuius doctrinę, si aliquid dissonum, vel minus consonum in hoc opere inueniatur scriptum, libenti animo reuocamus.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

In quo L, librum, & C, caput summularum notant: littera verò D, disputationes Logicæ, N, numerum marginalem & Col. Columnam designat. Vltimus verò numerus paginam propriam demonstrat.

A

C

Quæ

Quæ-

FINIS.

